UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Virtute Ac Sacramento Pœnitentiæ Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

urn:nbn:de:hbz:466:1-94661

Visual Library

Th. 914a.

G. VII
16.

DE VIRTUTE AC SACRAMENTO PŒNITENTIÆ DECISIONES

AUCTORE

JOANNE CLERICATO
PRÆPOSITO PATAVINO

Juris utriusque Doctore, olim in Curia Episcopali Patavina Advocato, & promotore Fiscali, deinde Auditore, ac demum Vicario Generali.

IN QUIBUS

Ex studio, ac Responsis illius Cleri Anni 1691.

Disputatur clarè, & breviter tota materia concernens tam Virtutem, quàm Sacramentum Pœnitentiæ, ornata Eruditionibus plurimis, Historiis, Exemplis, & Quæstionibus celebrioribus, scitu necessariis Ecclesiarum Prælatis, eorumque Vicariis, ac Examinatoribus, Parochis, & Confessariis quibuscunque; præcipue Regularibus, quorum Privilegia circa eorum approbationem ad Confessiones audiendas sui ipsorum, Monialium, Tertiariorum utriusque Sexus, Hospitum, Famulorum, omniumque Laicorum ad eos confluentium referuntur, examinantur, & enucleantur.

RESPECTU ETIAM

Ad absolvendum, ac dispensandum in Casibus reservatis, Votis, Juramentis, & Irregularitatibus: nec non ad exequendas Litteras Sacræ Pœnitentiariæ.

Opus nedùm utile, sed jucundum Theologis, Jurisperitis, Medicis, Philosophis, humaniorumque Litterarum Professoribus: Quorum omnium dicta ac opiniones frequenter allegantur, atque probantur.

TOMI PRIMI LIBER QUARTUS.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus
MARTINI HAPPACH ET FRANC. XAV. SCHLÜTER,
MDCCXXX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DECISIONES

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus
MARTINI HAPPACH et FRANC. XAV. SCHLUTER,
MDCCXXX.

Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTI UNDECIMO PONTIFICI MAXIMO

Joannes Clericatus Præpositus Patavinus FELICITATEM.



INcongrua videri potest, BEATISSIME PATER, à me susceptа fiduciа consecrandi has Decisiones, De Virtute, ac Sacramento Pœnitentiæ, *Innocentissimo Principi. An enim TE pœniteat Heroicarum, quas perpetuò excoluisti, & nunc ad supremum evehis fastigium, Virtutum? Sed illis, qui eximia fulgent integritate, magis displicet tenuissimus pulvis, quem, teste Magno Leone TIBI simillimo, contrahunt ipsa quoq; religiosissima corda, quàm alios corripiat dolor immanium criminum, quibus turpiter inquinantur. Tuum igitur ad Patrocinium convolare potest Tractatio de Virtute pulcherrima, quæ Tibi est in deliciis; & quam, superbis animis abominatam, mirа TUI Demissio amantissimè amplectitur. Recensentur hìc Opera, quæ Pœnitentia parit, oblatæ videlicet Deo Optimo Maximo preces, in egenos Liberalitates, Jejunia, & aliæ ultrò susceptæ Pœnæ. His porrò singulis illustraris, BEATISSIME PATER, & utinam modum in ultimis non prætergredereris, nimis attenuans Incolumitatem TUAM, à qua pendet Publica Populorum omnium Salus. Cœleste ipsum ab Aurora, quæ ALBA Lux est* (a), *exortum Cognomen Tuum aptissimis Pœnitentiæ Virtutem coloribus pingit; illa enim tenebras fugat, solvit in salubrem rorem ignobiles terræ vapores, eoque flores exhilarat, plantas fœcundat. Hæc autem omnia præstat quidem per se prædicta Virtus; sed prodigiosum eidem robur additur ab Exemplis Tuis, ad eliminandam ab aliis delictorum noctem, ad irrorandos lacrymis nascentium Virtutum flores, ad omnium conatus, merituris Immortale Regnum actibus, fœcundandos. Quod si Pœnitentia spectetur ut SACRAMENTUM, hìc disputatur de illa CLAVIUM Potestate, cujus Exercitii ad ligandum, & solvendum Auctoritas permanat ad alios omnes vocatos in partem solicitudinis ab Apostolico Throno, ad quem TE triduò reluctantem beneficentissima humano generi Divini Numinis Providentia tandem evexit. TUA ergo TIBI offerenda erant, PATER SANCTISSIME, ut* ad locum, undè exeunt, flumina revertantur (b). *QUI, quod gloriari cum Apostolo potes:* Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei (c), *in sacro Pœnitentiæ lavacro, Divini aspersione Sanguinis, in Basilicis, & Nosocomiis animas eluis. Ea solùm delibo, quæ meo sunt argumento quodammodo innata; neque enim audeo ire per singulas, easque innumeras Dotes TUAS, quas nulla valeat enumerare eloquentia. Superest, ut obsequentissimè veniam petam audaciæ, quâ mea tenuitas assurrexit ad hoc sublime votum Nuncupationis MONARCHÆ MAXIMO. Sed Magnus CLEMENS Divinam illius Indolem refert, cujus Vices præclarè gerit. Duo celebratæ Viduæ in Evangelio minuta Divinitati arriserunt* (d). *Non contemnet Sapientissimus, & Doctrinarum omnium opibus locupletissimus Princeps qualemcumq; ausum senis agricolæ,* gravem duro terram qui vertit aratro (e): *atque hoc ex Patavinæ anguloVniversæ Christi Vineæ Moderatori Sanctissimo vectigal solvit. Humanissimæ tandem, quam Phœnicis annis regnare opto, CLEMENTIÆ preces illas porrigo, quas olim Angelo Patriarchа Jacob: nec discedam à SANCTIS, ante Quos provolvor, PEDIBUS, nisi voti compos fiam:* Ascendit Aurora, *cui Pœnitentiam comparavi,* non dimittam TE nisi benedixeris mihi (f).

(a) Corn. à Lap. in Prov. 4. 18. (b) Eccl. 1. 7. (c) 1. Cor. 4. 1. (d) Marc. 12. 42. (e) Horat. Satyr. 1. V. 28. (f) Gen. 32. 26.

VEN. CLERO PATAVINO
Aliisque Studiosis Confessariis
AUCTORIS OBTESTATIO.

TImerem, Decisiones has *De Virtute, ac Sacramento Pœnitentiæ* redhibitioni subjacere, ob tarditatem in eis exhibendis, nisi me illud juvaret Axioma, (a) quod hodie omni tempore mora purgari potest; & quandocunque ante litis contestationem debitor exhibet opus, ad quod tenetur, adversus eum non proceditur ultrà. Sanè (Studiosissimi) creditores estis Decisionum harum ab A. 1691. quo illas per me propositas, & per Vos studio vestro enucleatas, responsionibus vestris ad me transmissis, extendendi, compilandi, ac juris publici faciendi debitum mihi imposuistis. Hucuqs; non exsolvi, pluribus detentus occupationibus, nunc autem illud adimpleo, & non absq; innocenti interusurio in hujusmodi dilationis pœnam, eruditionibus scilicèt, quæstionibus, historiis, & exemplis, ad ornatum Operis ex approbatorum Auctorum lectura collectis. Qui minutiora Horologia fabricant, longiori indigent tempore ad formandam, atq; firmandam rotarum difformiter conformium circumvolutationem, quàm hi, à quibus ferrea, grandiaque extruuntur. Decisiones hæ *De Pœnitentia* minutissimo similes sunt Horario; in eis enim restrictæ leguntur innumeræ propemodùm difficultates, Regulæ, ac documenta, à Scholasticis, Moralibusque Theologis, ingentibus voluminibus tradita; idcircò ad eas typis mandandas, non modicis opus fuit labore, ac tempore; mihique fidendum, eas benigno vultu, & hilari corde à vobis excipiendas, ac legendas, tanquàm continentes ea omnia, quæ bonos Confessarios scire decet, brevi tamen, facili, ac jucundis narrationibus exarata. Restant compilandæ Decisiones de Extrema Unctione, ac de Ordine Sacro, quibus etiam studuistis, me in Episcopali Curia Præsidente, pro omnium Sacramentorum complemento. Earumdem me debitorem profiteor; at patientiam, & humanitatem vestram pro solutione adjutricem exopto.

(a) Gonzalez in cap. Potuit. n. 3. in fin. de Locat. & Conduct.

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la fede di revisione, & approbatione del P. F. Raimondo Asperti Inquisitore nel Libro intitolato: *Decisiones de Virtute, ac Sacramento Pœnitentiæ Jo. Clericati J. U. D. Præpositi Patavini, &c.* non v' esser cosa alcuna contrò la Santa Fede Cattolica, & parimente per attestato del Segretario Nostro niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza, che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle publiche Librarie di Venetia, & di Padova.

Dat. 4. Marzo 1702.

Gio: Lando Kav. Proc. Ref.
Francesco Corner Proc. Ref.

Agostino Gadaldini Segret.

INDEX

INDEX ARGUMENTORUM DECISIONUM.

DECISIO I.

ARGUMENTUM.

Agitur de Virtute Pœnitentiæ. Refertur Etymologia hujus vocis. Definitur Pœnitentia, & ostenditur, esse Virtutem Moralem, quæ subjectatur in voluntate; & cujus objectum materiale est peccatum; formale verò dolor, & vindicabilitas peccati.

DECISIO II.

ARGUMENTUM.

Dolor requisitus in Virtute Pœnitentiæ qualis, & quantus esse debeat? Ostenditur in lege Naturæ, ac Moysis necessarium fuisse dolorem perfectum, nempè Contritionem pro remissione peccatorum. Requisita veræ Contritionis in lege gratiæ. Cur debeamus pœnitere, ac dolere de peccatis, si Christus superabundanter satisfecit pro nobis? Refutatio doctrinæ Lutheri, ac Calvini.

DECISIO III.

ARGUMENTUM.

Disquiritur, An post adimpletam Pœnitentiam Sacramentalem teneamur facere alias pœnitentias voluntarias? Rationes pro utraque parte, & resolutio quæsiti. Utilitates ex voluntariis pœnitentiis. Atrocitas pœnarum Purgatorii. Difficultas in assequendo fructu Indulgentiarum.

DECISIO IV.

ARGUMENTUM.

Expenditur, quid, & quotuplex sit Satisfactio? Qui, & quot actus satisfactorii ad tria capita redacti, videlicet ad Jejunium, Orationem, & Eleemosynam. Agitur de Jejunio tùm Quadragesimali, tùm quatuor Temporum, ac Vigiliarum. Plures eruditiones circa Jejunium primitivorum Christianorum quo ad horam comedendi, quo ad qualitatem cibi, & potus. Ostenditur virtus Jejunii in satisfaciendo pro peccatis.

DECISIO V.

ARGUMENTUM.

Cilicium, quòd est magnæ virtutis ad satisfaciendum pro peccatis, undè dictum? Quid, & Quotuplex sit? De Ciliciorum usu in lege Naturæ, Moysis, & Christi. De Cilicio Jacobi Patriarchæ, Achabi, Davidis, Jorami, Judithæ, Isaiæ, Machabæorum, S. Joannis Baptistæ; nec non Summorum Pontificum Romanorum, Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, Sacerdotum, Virginum, & Laicorum; atque de his omnibus exempla plurima, & non injucunda.

DECISIO VI.

ARGUMENTUM.

Agitur de voluntariis proprii corporis flagellationibus, pro culparum satisfactione. De usu flagellationum apud Judæos, & apud Romanos. De Flagellatione Domini Nostri JESU CHRISTI, Sanctorum, Clericorum, ac peccatorum. Quas circa omnes ponuntur eruditiones plurimæ atque Canonum, Legum, ac Historiarum intellectus.

DECISIO VII.

ARGUMENTUM.

Utrùm pœnæ, & afflictiones ab agente extrinseco, sivè creato, sivè increato provenientes sint aptæ ad satisfaciendum? Argumenta pro opinione negativa, & affirmativa, quæ amplectitur, & firmatur Auctoritate, & ratione. Exempla culparum satisfactarum per tollerantiam afflictionum ab extrinseco provenientium.

DECISIO VIII.

ARGUMENTUM.

Examinantur tria dubia circa energiam satisfactionis in sufferendis afflictionibus ab extrinseco; nempè, An sit necessaria intentio satisfaciendi? An qui illas suffert, debeat esse in gratia? Et an homo possit satisfacere pro suis peccatis nondum remissis? Circa primum declaratur, quid, & quotuplex sit intentio? Circa secundum referuntur tres opiniones. Circa tertium proponitur sententia affirmativa Eminentiss. Card. de Lauræa contra communem aliorum.

DECISIO IX.

ARGUMENTUM.

Disseritur de virtute Orationis in satisfactione pœnis debitis pro peccatis, eaque pluribus exemplis comprobatur. Inter cæteras orationes magnæ efficaciæ sunt Psalmi Pœnitentiales, Graduales, Officium Defunctorum, Officium parvum B. MARIÆ Virginis, ejus Rosarium, & Corona; de quibus omnibus, & singulis eruditiones plurimæ, ac Indulgentiæ referuntur: nec non de recitantibus trinam salutationem Angelicam ad pulsum Campanæ in Aurora, Meridie, ac Vespere.

DECISIO X.

ARGUMENTUM.

Ostenditur, quanta sit vis Eleemosynæ in delendis pœnis debitis pro peccatis? Docetur, quid, & quotu-

quotuplex sit eleemosyna? Quando sit de præcepto in personis Laicis, & Ecclesiasticis? Disputatur celebris illa Quæstio, Utrùm beneficiarii, non expendentes fructus superfluos suorum beneficiorum in usus pios peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem; nec non eorum hæredes?

DECISIO XI.

ARGUMENTUM.

Agitur de præcepto Virtutis Pœnitentiæ; & disputatur: Quando vi hujus præcepti teneatur, qui peccavit pœnitere? An tantùm in articulo, vel periculo mortis? An verò statim post commissum peccatum? Vel quanto tempore post? An quandocunque peccata menti occurrunt, sivè nondum dimissa, sive etiam jam expiata? Speculativæ opiniones practicis exemplis comprobantur.

DECISIO XII.

ARGUMENTUM.

Demonstratur existentia Sacramenti Pœnitentiæ, & à quibus hæreticis, antiquis, ac modernis fuerit impugnata? Probatur hoc Sacramentum à Christo Domino esse institutum. Quid sit? diversis Theologorum definitionibus examinatis, declaratur.

DECISIO XIII.

ARGUMENTUM.

Disseritur de Contritione, & explicatur duplex materia Sacramenti Pœnitenriæ, Remota, & Proxima; circa Quam, vel ex Qua; Essentialis, & Integralis, & quæ utraque sit? Dolor in pœnitente contrito quotuplex sit? Quot, & quales circumstantiæ doloris ob culpas tùm mortales, tùm veniales? An Gratianus, & Magister Sententiarum, ac Auctor Historiæ Scholasticæ fuerint fratres germani, & geniti ex adulterio? De nece Bajamontis Catilinæ Veneti. De peccatorum commissorum detestatione, & de ejus qualitatibus. De proposito non committendi ampliùs peccata, ac commissa confitendi cum spe veniæ.

DECISIO XIV.

ARGUMENTUM.

Sermo est de Attritione. De hujus vocis varia significatione, ac divisione. Attritio alia Naturalis, alia Supernaturalis, & quæ utraque sit, exemplis ac definitione demonstratur. Rex Antiochus quare non esset misericordiam consecuturus? Felix Præses Judææ, ac Druxilla ejus Uxor cur non conversi ad prædicationem sancti Pauli Apostoli? Opiniones tres Antiquorum de Attritione explosæ. Differentiæ duæ inter Contritionem, ac Attritionem. Attritionem non mutari in Contritionem; sed Attritum in Contritum virtute Sacramenti ostenditur.

DECISIO XV.

ARGUMENTUM.

Disseritur de variis significationibus hujus vocis Confessio. Et de illa generali, quæ incipit, Confiteor. Exponitur triplex Confessio hominis, idest Commercii, Forensis, & Sacramentalis. De differentia vocis humanæ, & brutorum. Definitio Confessionis Sacramentalis, & ejus copiosa declaratio. Catechumeni an teneantur præcepto Confessionis? Lepida Confessio cujusdam mulierculæ. An liceat confiteri peccata non Voce, sed Scripto? Plura alia quæsita curiosa, sed scitu necessaria Confessariis. De eorum tàm Sæcularium, quàm Regularium approbatione. Quod simplices Sacerdotes non possunt absolvere à Venialibus Decreto Innocentii XI.

DECISIO XVI.

ARGUMENTUM.

Disquiritur, Utrum Confessio Sacramentalis possit fieri publicè, & coràm pluribus eam audientibus? Negativæ opinionis argumenta octo. Totidem affirmativæ contrariæ; nec non exempla ex Historiis. Tertiæ opinionis priores duas concordantis temperamentum. Responsiones, ac resolutiones argumentorum primæ opinionis.

DECISIO XVII.

ARGUMENTUM.

Probatur usus Confessionis Sacramentalis, & secretæ ad aures Sacerdotum ab exordio Ecclesiæ, per omnia subsequentia sexdecim sæcula, Testimonio Sacræ Scripturæ, SS. Patrum, & Conciliorum: nec non exemplis ab Historiis, vitisque Sanctorum desumptis.

DECISIO XVIII.

ARGUMENTUM.

Inquiritur, an in Casu necessitatis, absente Presbytero, licitum sit confiteri peccata coram Laico? Proponuntur Auctoritates, Rationes, & Exempla pro opinione affirmativa. Resolvitur disputatio sub distinctione; ex qua desumuntur responsiones ad argumenta contraria. Docetur, quid esset antiquitùs Reconciliatio publica Pœnitentium? Horum quinque gradus demonstrantur; & ostenditur, quo tempore cessaverit usus Pœnitentiæ publicæ, & qua de causa?

DECISIO XIX.

ARGUMENTUM.

Præmissa erudita declaratione tùm Clavium materialium ex auro, ex argento, & ex ferro; tum Naturalium, Industrialium, & Spiritualium ex metaphora sic appellatarum; disputatur de CLAVIBUS ECCLESIÆ datis à CHRISTO, tàm pro foro externo, quam pro foro interno. Ostenditur, Claves fori externi esse duas, Scientiæ scilicet, & Jurisdictionis. Utramque fuisse in D. Petro, ac in Apostolis, & nunc esse in Papa, & in Episcopis. In Papa cum prærogativa Infallibilitatis, & absque ulla restrictione locorum, vel personarum, ob ejus Primatum. In Episcopis cum dependentia à Papa à quo illas recipiunt pro suis Diœcesibus tantùm; prout etiam Cardinales, Abbates, ac Præla-

Prælati Regulares pro suis solùm subditis ; non etiam Abbatissæ. Declarantur duæ Claves fori interni, Scientiæ, & Potentiæ. Quomodo hæ transeant in simplices Sacerdotes? & triplex earumdem Clavium effectus. Quæ omnia Juribus, Historiis, & auctoritatibus DD. plenè comprobantur.

DECISIO XX.

ARGUMENTUM.

Exponitur effectus Clavium Ecclesiæ quo ad Indulgentias, quarum vetustissimo usu probato, ostenditur plenissimam potestatem eas elargiendi esse in Papa ; limitatam autem in Cardinalibus, Episcopis, Archiepiscopis, Abbatibus, ac aliis Prælatis Regularibus ; nullam verò in Conciliis, Vicariis, Capitulis, ac Parochis. Novem observationes scitu dignæ circa facultatem Episcoporum impertiendi Indulgentias ; & harum publicationes etiam ab aliis, quàm ab Episcopo, ex consuetudine fieri posse, auctoritate Rotæ Romanæ demonstratur.

DECISIO XXI.

ARGUMENTUM.

De necessitate examinis conscientiæ ante Confessionem. Quanta debeat esse diligentia in eo faciendo? Exempla virorum felicis, ac debilis memoriæ. Peccata linguæ, cogitationum, & omissionum difficilè reperiri in discussione conscientiæ. Quando sit valida Confessio, omisso examine ? Utrum valeat Confessio facta non voce, sed exhibitione chartæ continentis, genuflexi coram Sacerdote ?

DECISIO XXII.

ARGUMENTUM.

Mutorum diversitas ac Mutitatis quatuor causæ ex fonte Medicinæ extractæ declarantur. Muti an possint contrahere Matrimonium ? Profiteri in Religione ? ac alia publica officia agere ? ex Jurisprudentum dictis ostenditur : nec non ex Historia tùm Sacra, tùm Profana plurium Mutorum exempla referuntur. Hi quomodo possint, ac debeant sua peccata confiteri ? decidi-tur, & refertur casus curiosus, sed periculosus Muti ab Auctore reperti in Visitatione Patavinæ Diœcesis.

DECISIO XXIII.

ARGUMENTUM.

Integritas, quæ est secunda Confessionis Sacramentalis conditio, in præsenti Decisione declaratur, quæ tria requirit, Numerum, Circumstantias, & effectus peccatorum. Ratione, Juribus, & Exemplis Animarum damnatarum probatur necessitas hujus integritatis. Hæc tamen ex Divina institutione dispensatur in sex casibus Physicæ, vel Moralis impotentiæ hic relatis, & expositis, in quibus clarè, ac doctè ostenditur, quomodo, & quando liceat tacere aliquod peccatum in Confessione ? Et quid agendum cum habente non reservata, ac reservata simul, ea volente confiteri ?

DECISIO XXIV.

ARGUMENTUM.

Agitur de necessaria numerica specificatione culparum. Præmittitur artis Arithmeticæ, ac numerorum origo, usus, & utilitas ; ac eorum à primo usque ad Decimum laudes, atque excellentiæ ; tùm Sacris, tùm Profanis eruditionibus ; quasinter habetur Regula cognoscendi Anni Bissextilis, & Aurei Numeri reperiendi. Traditur, quando opus sit exprimere numerum certum malorum actuum tàm internorum, quàm externorum ; & quando sufficiat incertùm cum particula *Circiter, Plus, Minusve* ? Meretrices, ac habituati peccatores quomodo confiteantur ? Concluditur, peccata dubia semper esse confitenda.

DECISIO XXV.

ARGUMENTUM.

Circumstantiarum peccati definitione, ac multiplici divisione proposita, firmatur Regula inconcussa ; quod Circumstantiæ mutantes speciem sunt de necessitate confitendæ. Deinde examinatur celebris, ac famosa Quæstio, Utrùm Circumstantiæ notabiliter aggravantes sint de necessitate in Confessione aperiendæ ? Utriusq; opinionis, affirmativæ, ac negativæ argumenta proponuntur, & enervantur. Tandem in quinque Notandis colliguntur quinque genera circumstantiarum aggravantium, quarum prima quatuor sunt de necessitate manifestanda ; non autem quintum, prout in exemplis ibidem clarè, ac doctè allegatis.

DECISIO XXVI.

ARGUMENTUM.

Prima circumstantia QUIS, in confessione explicanda, declaratur. Hæc concernit personam Pœnitentis, cujus peccata vel gravat, vel multiplicat numero, vel facit mutare speciem ob ejus Dignitatem, Votum, Ligamen Matrimoniale, & Scandalum. Agitur de dignitate Pœnitentis ob scientiam, ætatem, ac Superioritatem. De ejus Voto, statuque conjugali ; pluribusque exemplis ostenduntur Circumstantiæ inde resultantes, in Confessione manifestandæ. Scandali essentia, ac divisio traditur, & plenè differitur de Scandalo activo, ac passivo, & quomodo sint confitendæ circumstantiæ ex scandalo insurgentes ; additis jucundis Historiis in materia Scandali.

DECISIO XXVII.

ARGUMENTUM.

Differitur de Circumstantia QUID, concernente peccata Pœnitentium, ad duos præcipuè effe-

ctus ; ut scilicet Confessarius cognoscat, quando mutent speciem, & quando habeant annexam obligationem restitutionis vel bonorum, vel famæ ? Repetuntur cursim ferè omnia peccata contra Præcepta Decalogi ad supradictos effectus ; & plures Circumstantiæ considerantur, potissimum in peccatis Luxuriæ, & in usu Matrimonii. Dantur doctrinæ, & exempla recentia compensationis damnorum, cum faceta Historia recusatæ restitutionis famæ.

DECISIO XXVIII.

ARGUMENTUM.

Explicantur quinque sequentes circumstantiæ peccati, UBI, QUIBUS AUXILIIS, CUR, QUOMODO, QUANDO? & ostenditur, quando aggravent? mutent speciem ? & sint in Confessione manifestandæ ? Exempla duarum Meretricum, recusantium in loco Publico coire.

DECISIO XXIX.

ARGUMENTUM.

Mendacii maligna natura exposita, ejusque speciebus, ab ipso immunem esse debere Confessionem Sacramentalem ostenditur, ut sit Fidelis. Mentiri in Confessione, quando sit Mortale, & quando Veniale ? quinque Regulis demonstratur. Exempla gravia, ac lepida ad evitandum quodcumque mendacium referuntur.

DECISIO XXX.

ARGUMENTUM.

Præsens Decisio continet quartam conditionem Confessionis Sacramentalis, ut scilicet SIT OBEDIENS ; hoc est, ut Pœnitens sit dispositus acceptare, & exequi pœnitentiam, quam ei injunxerit Confessarius, & ei obedire circa alia concernentia salutem Animæ. Examinatur famosa Quæstio, An sit absolvendus Pœnitens recusans Pœnitentiam Confessarii, asserendo, se velle eam facere in Purgatorio ? Stultam esse hanc assertionem exemplum relatum à S. Antonino demonstrat.

DECISIO XXXI.

ARGUMENTUM.

Proponuntur novem principales casus, in quibus prior Confessio invalida est reiteranda. Quinque ex defectu confitentis vel ob malum finem, vel non integrè, vel absque dolore, ac proposito se emendandi : vel non deferendi occasiones proximas (circa quas quatuor propositiones damnatæ referuntur) : vel ob excommunicationem, à qua Confitens priùs, quàm à peccatis non fuit absolutus. Redditur ratio cur excommunicati, etsi indignè, validè tamen recipiant omnia Sacramenta ; non autem illud Pœnitentiæ ? Alii quatuor casus repetendæ Confessionis invalidæ ex defectu Ministri, vel ficti Sacerdotis : vel non approbati : vel dormitantis : vel indocti. Curiosus successus R. P. Francisci Suarezii eximii Theologi, dum rusticaretur penès Conimbricam.

DECISIO XXXII.

ARGUMENTUM.

Quæritur, An Moribundi, qui destitutis sensibus, confiteri non possunt peccata sua, sint Sacramentaliter absolvendi ? Distinguuntur, examinantur, & resolvuntur quatuor casus. Exempla agonizantium, qui sopitis sensibus nec vocem Confessarii audierunt, nec ullum pœnitentiæ actum interiùs emiserunt. Doctrina summè necessaria Parochis, Confessariis, ac aliis Sacerdotibus morientes adjuvantibus.

DECISIO XXXIII.

ARGUMENTUM.

Pro resolutione Casus, *An Moribundus habens tantùm Venialia sit obligatus ea confiteri* ? discutitur, An sit, & esse possit Præceptum de Confessione Venialium ? Quæ dispositio requiratur in confitente Venialia tùm circa dolorem, tùm circa propositum emendationis. Venialia quot, & quibus modis deleantur in hac vira ei, qui non habet Mortalia ? An deleri possint venialia habenti etiam mortalia, mortalibus non deletis ? In alia vita animæ Justorum qualiter purgentur à Venialibus neglectis in vita præsenti : Cur tantæ Animæ Religiosorum, ac Sanctimonialium in Purgatorio, si in articulo mortis habent Indulgentiam plenariam ex Bulla Pauli V. ? Quæstiones omnes perdifficiles, sed clarè, ac breviter explicatæ.

DECISIO XXXIV.

ARGUMENTUM.

Satisfactionis Sacramentalis materia in hac Decisione plenissimè declaratur. Traditur ipsius definitio explicans essentiam, & effectus ejusdem. De obligatione Confessarii circa impositionem Pœnitentiæ. Qualem, & quantam debeat imponere ? Causæ, ob quas levis Pœnitentia pro gravibus peccatis potest injungi ? Quanto tempore ejus executio possit differri ? An adimplenda sit in statu gratiæ ? Cur, quomodo, quando, & à quibus Satisfactio à Confessario imposita pœnitenti sit commutanda ?

DECISIO XXXV.

ARGUMENTUM.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est absolutio à peccaris, exactissimè explicatur. Plures quæstiones curiosæ, ac utiles circa illam resolvuntur. Quomodo peccata aliàs confessa, & dimissa in nova Confessione iterùm dimittantur, subtiliter examinatur, ac ostenditur. Mutatio formæ hujus Sacramenti an licitè, & validè fieri possit ? An liceat absolvere à peccatis sub conditione ? Bulla Clementis Papæ VIII. de confitente per litteras, & absente non absolvendo, interpretata, ac declarata.

DECI-

DECISIO XXXVI.

ARGUMENTUM.

Solum Sacerdotem esse Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ in hac Decisione firmatur. Ejusdem Ministri quatuor necessaria requisita exponuntur; Probitas, Scientia, Prudentia, ac Justitia; & enucleantur variæ Quæstiones in eorumdem requisitorum declaratione. Præcipuè an Confessarii teneantur monere Superiores, quorum Confessiones audiunt, de eorum notoriis defectibus, vel suorum Ministrorum? Utrùm debeant ipsi restituere, si non inculcaverint pœnitentibus onus restitutionis? An opinio Confessarii prævaleat opinioni pœnitentis? Probabilitatis tractatus confusi, & incerti.

DECISIO XXXVII.

ARGUMENTUM.

De approbatione Confessariorum sæcularium disseritur in præsenti Decisione. Docetur, quod eorum approbatio requirit duo, scilicet judicium de idoneitate, & concessionem Jurisdictionis pro pœnitentibus absolvendis. Qualiter approbentur Parochi, nec non simplices Sacerdotes? Utrum approbatio facienda sit ab Episcopo Confessarii, vel Pœnitentis, vel Loci, in quo audienda est Confessio? An dentur Casus, in quibus Sacerdos non approbatus possit absolvere? Abbates habentes territorium separatum approbant Confessarios: Non etiam Monasteria, & Capitula pro Ecclesiis Curatis de eorum Mensa. Parochi nùm possint assumere in Confessarios Sacerdotes approbatos tantùm quo ad scientiam? Quando expiret facultas audiendi Confessiones.

DECISIO XXXVIII.

ARGUMENTUM.

De approbatione Confessariorum Regularium, pro audiendis sæcularium personarum confessionibus, tractatur in præsenti Decisione. Recensentur eorumdem Regularium Privilegia antiqua; eaque declarantur, distinguendo tria Jura; Jus vetus Extravagantium, Jus novum Concil. Trident. & Jus novissimum Constitutionis Urbani Papæ VIII. Disputatur, An Regulares Confessarii habeant Jurisdictionem à Papa, vel ab Episcopis? Quomodo sit danda licentia Regularibus audiendi Confessiones Laicorum? Et quando jam data limitari, vel revocari possit? pluraque alia dubia proposita deciduntur, tùm ex declarationibus Sacræ Congregationis Concilii; tùm ex Constitutione Clementis Papæ X. Anni 1670.

DECISIO XXXIX.

ARGUMENTUM.

Disseritur de Confessariis Religiosorum, & de eorum approbatione per Prælatos Regulares tantùm facienda. Examinatur famosa Quæstio, An Religiosus habens licentiam eligendi extraneum Confessarium, possit eligere simplicem Sacerdotem à nemine approbatum? Firmatur opinio negativa contra torrentem Moralistarum. Alia plura dubia proponuntur, ac resolvuntur, concernentia Confessarios Religiosorum existentium intrà, & extra Monasterium; nec non Itinerantium, Novitiorum, Famulorum, Hospitium; ac tandem Tertiariorum.

DECISIO XL.

ARGUMENTUM.

Confessarii Regulares non approbati ab Episcopo non possunt audire confessiones Mulierum Tertiariarum, quæ vulgò dicuntur *Pizzochere*. Harum duo genera. Conditiones, quibus Tertiariæ sunt ab Episcopis permittendæ. Plura de his Tertiariis scitu digna. Qua pœna plectendus Regularis audiens earum confessiones sine approbatione Episcopi?

DECISIO XLI.

ARGUMENTUM.

Tractat præsens Decisio de Confessariis Monialium Episcopo subditarum. De origine Monasteriorum, & eorum Clausuræ. Indigitantur Confessariorum Monialium qualitates, ac requisita. Cautelæ præscriptæ ab Innocentio Papa XI. in audiendis confessionibus Monialium ægrotantium. Deciditur difficillimus casus Monialis confitentis crimen reservatum; sed prohibentis Confessario accedere ad Episcopum pro facultate eam absolvendi, ob justum, ac probabilem timorem manifestationis sui ipsius infamiæ, atque scandalorum.

DECISIO XLII.

ARGUMENTUM.

Electio, & approbatio Confessariorum Monialium Regularibus subditarum à quo sit facienda? Stipendium eorumdem Quale? & Quantum? Socius Confessarii Regularis an intret cum ipso in Clausuram Monialium? Prædictas Moniales Regularibus subjectas quis absolvat à censuris, & à casibus reservatis? Quis iisdem morientibus assistat?

DECISIO XLIII.

ARGUMENTUM.

Ex hypothesi, quòd innotescat Confessario Monialium, reperiri inter eas Unam Hermaphroditam, agitur de variis speciebus, seu differentiis Hermaphroditorum; & circa eosdem curiosæ, sed utiles Quæstiones, scitu necessariæ, proponuntur, atque terminantur ex Philosophorum, ac Medicorum doctrina, exemplis, & Historiis. Præcipuè Quomodo fœminæ convertantur in Mares? An Mares possint in fœminas converti? An Hermaphroditi valeant in venereis Agere, & Pati?

Pati? Generare cum aliis, ac concipere in seipsis? Dantur quinque Regulæ ad cognoscendum quando sint potiùs Viri, quàm fœminæ. Resolvitur in fine, Quid agendum de Moniali Hermaphrodita? Et quando ejus Professio sit invalida?

DECISIO XLIV.

ARGUMENTUM.

Exponitur, quid sit casuum Reservatio? An ea in Ecclesia sit antiqua? Et qui possint in foro interno, ac Sacramentali Casus sibi reservare? Examinatur, An reservari possint peccata Venialia, vel Mortalia interna, vel dubia? Referuntur Instructiones Sacræ Congregationis Episcoporum, ac Regularium circa Casuum reservationem.

DECISIO XLV.

ARGUMENTUM.

De permissa absolutione à quibuscunque reservatis in articulo, vel periculo mortis, ac tempore Jubilæi. De facultate absolvendi à casibus occultis, Papæ reservatis, competente Episcopis vigore Concilii Tridentini sess. 24. de Reform. cap. 6. & à publicis de Jure Canonum, ubi pœnitentes sint impediti recurrere ad Papam. An Episcopi absolvant à casibus occultis Bullæ Cœnæ Domini? & ab aliis post Concilium Sedi Apostolicæ reservatis? Referuntur varii casus, in quibus Confessarii inferiores possunt absolvere pœnitentes à reservatis.

DECISIO XLVI.

ARGUMENTUM.

Disseritur de potestate Regularium circa casus reservatos. Refertur Decretum Clementis VIII. circa reservationem Casuum pro Religiosis. Quæ, & quanta sit auctoritas Prælatorum Regularium circa casus reservatos à Papa, vel ab Episcopis, in absolvendis suis Religiosis? A quibus casibus Confessarii Regulares non possint absolvere suos pœnitentes sæculares? Quam facultatem iidem habeant dispensandi in Votis, ac in Irregularitatibus cum suis Pœnitentibus sæcularibus?

DECISIO XLVII.

ARGUMENTUM.

Proponitur Controversia: An Parochi Regulares tempore Episcopalis Visitationis teneantur recipere Confessarios missos ab Episcopo ad prædicandum eorum populis, ac confessiones excipiendas; Et datur Declaratio Sacræ Congregationis Anni 1668., quod tenentur eos recipere.

DECISIO XLVIII.

ARGUMENTUM.

Continet hæc Decisio Eminentissimi Cardinalis Majoris Pœnitentiarii originem, antiquitatem, & in præteritis sæculis amplissimam Auctoritatem. Innuit numerum ejus Officialium, ac Ministrorum. Refert novissimam Constitutionem Innocentii Papæ XII. anni 1692. reformativam Officii Sacræ Pœnitentiariæ, ex qua dignoscitur, quando Major Pœnitentiarius possit, aut non possit absolvere à reservatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini, & à Censuris etiam latis ab homine. Item dispensare, vel non super Irregularitatibus, præcipuè cum Hæreticis, Apostatis, malè promotis ad Ordines, & beneficia, cum Simoniacis, cum Regularibus, & cum homicidis. Item quomodo, & quando dispensare valeat circa impedimenta Matrimonii, Vota, Juramenta, malè ablata, vel retenta; & quam habeat Jurisdictionem cum suis Officialibus, & Ministris. Tandem docetur, qui possint esse Executores litterarum S. Pœnitentiariæ; & Quot in earum executione sint observanda? Item Qualis sit Canonici Pœnitentiarii in Ecclesiis Cathedralibus obligatio, & potestas?

DECISIO XLIX.

ARGUMENTUM.

Declaratur, Quid sit Sigillum Confessionis? A quotuplici jure proveniat? Quæ personæ teneantur illud servare? Et de quibus rebus? Quot modis Sigillum Sacramentale frangatur? Quando liceat Confessario uti scientia Confessionis? Pœnæ contra hujus Sigilli violatores. Historia crudelitatis Wenceslai Imperatoris; ac exempla Confessariorum ultimo supplicio punitorum ob violatum Sigillum.

DECISIO L.

ARGUMENTUM.

Agitur de Præcepto tùm Divino, tùm Ecclesiastico annuæ Confessionis. Ostenditur, quas personas utrumque afficiat? Quando, & Quomodo intra annum sit confitendum? Quæ causæ excusent ab annua Confessione? Circa eam Quæstiones diversæ utiles, ac jucundæ. Præcipuè, an Papa teneatur confiteri? An Deipara Sacramentum Pœnitentiæ susceperit? Et an peccata confessa, & remissa in hac vita sint ab omnibus videnda in die Judicii?

DE

DE POENITENTIÆ VIRTUTE AC SACRAMENTO.

DECISIO I.

ARGUMENTUM,

Agitur de Virtute Pœnitentiæ. Refertur Etymologia hujus vocis. Definitur Pœnitentia, & ostenditur, esse Virtutem Moralem, quæ subjectatur in voluntate; & cujus objectum materiale est peccatum; formale verò dolor, & vindicabilitas peccati.

SUMMARIUM.

1 *Etymologia Pœnitentiæ, & unde sic dicta?*
2 *Hæretici omnes odio habent Pœnitentiam.*
3 *Theodorus Beza cur convictus à S. Francisco Salesio, sed non conversus?*
4 *Pœnitentia, ut Virtus, quid sit? Ejus definitio. Qualis Virtus?*
5 *Subjectum Virtutis Pœnitentiæ quale sit?*
6 *Habitus Pœnitentiæ an sit in Beatis? in Angelis? in Deipara? in Christo? in dæmonibus? in damnatis?*
7 *Objectum Pœnitentiæ quale sit, tùm materiale, tùm formale?*
8 *Motiva pœnitendi Quæ? & Quot?*
9 *Officia Pœnitentiæ Quæ? & Quot?*

QUia tractant Theologi de Pœnitentia dupliciter, vel tanquam de *Virtute tantùm*; vel tanquam *de Virtute, ac Sacramento simul*; ideò nonnulla sunt prius declaranda, quæ ad solam virtutem Pœnitentiæ spectant. In primis autem notare oportet Etymologiam hujus nominis; 1 alii enim volunt, Pœnitentiam dici à *Penuria*; cum enim peccator considerat paucitatem bonorum operum, & penuriam, qua laborat, meritorum pro æterna vita, eum pœnitet, tædet, ac piget. Vossius *in Etymologico linguæ latinæ V. Pœna*: alii autumant, eam sic appellari à *Pone*, & *teneo*; idest *retrò*, & *à longè tenens*, quia qui se culpis, & criminibus obrutum agnoscit, præ verecundia non se præfert; sed adinstar Publicani, de quo in Evangelio *Luc.* 18. 13. *A longe stans, non vult nec oculos ad cœlum levare; sed percutit pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Ita Pererius *in Eccl.* 11. Alii asserunt, *Pœnitentiam* idem esse ac *Punitentiam*, siquidem, ut inquit Isidorus *lib.* 6. *Originum*, *A punitione Poenitentia nomen accepit, quasi punitentia, dum ipse homo punit pœnitendo, quod malè admisit.* Ita Ivenim in *Commentario Histor. & Dogmat. de Sacramentis Dissertat.* 6. *in princ.* subdens hæc Verba S. Augustini *Epist.* 54. *Nihil aliud agunt, quos veraciter pœnitet, nisi ut id quod malè fecerint, impunitum esse non sinant.* Alii tandem communiter docent, *Pœnitentiam* denominari à *Pœna*, ea ratione, quia quem pœnitet culparum, sequitur voluntaria pœna, & afflictio in earum odium, & vindictam; pœna verò significat quodcunque incommodum, seu disconveniens naturæ, ex quo homo patitur afflictionem sivè in potentia rationali, idest in animo; sivè in sensitiva, videlicet in corpore; ut latiùs declarat Emin. Card. de Lauræa *in* 4. *Sent. tom.* 2. *in tractatu de Pœnitentia disp.* 1. *num.* 1. *&* 2. Mastrius *in Theologia Morali disp.* 21. *n.* 4. Suarez *in* 3. *part. D. Thomæ tom.* 4. *disp.* 1. *sect.* 1. Gonet *tom.* 5. *tract.* 5. *disp.* 2. *ar.* 1. & Collegium Salmanticen. *in Cursu Theolog. Moral. tom.* 1. *de Pœnitentia tract.* 6. *cap.* 1. *punct.* 1. Qui omnes DD. refellunt errorem Lutheri, Bezæ, Erasmi, 2 & aliorum hæreticorum hujus temporis, Pœnitentiæ nomine abutentium: cum enim omnia aspera fugiant, & mollia quæque sectentur, docent, non esse necessarias pœnas, aut afflictiones pro peccatis commissis, sed sufficere resipiscentiam, idest novitatem vitæ; quamvis habeantur tot testimonia contraria in Sacra Scriptura, utpotè Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu &c.* & Matth. 11. *Si in Tiro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cinere, & cilicio Pœnitentiam egissent.* Porrò nugantur hæretici etiam circa assertam resipiscentiam, & novitatem vitæ; nam, ut legitur in Vita S. Franc. Salesii *lib.* 1. *cap.* 12. *propè finem*, Theodorus Beza, eorum coryphæus, convictus ab eodem Sancto falsitatem suæ doctrinæ; & 3 hortatus, ut saluti animæ suæ consuleret; ac diverteret à concubina, cui adhærebat, recusavit resipiscentiam, & emendationem vitæ, etsi annorum esset septuaginta.

Quod si quærimus de vera definitione virtutis
4 Pœnitentiæ inter plurimas relatas à Scholasticis, & Moralistis, placet illa, quam firmat Collegium Salmanticen. *d. tract. 6. cap. 1. punct. 1. num. 2.* his verbis: *Pœnitentia est virtus residens in Voluntate, tendens ad destructionem peccati, in quantum est Dei offensa, media satisfactione, & dolore.* Dicitur *Virtus*, sivè Pœnitentia consideretur in habitu, sive in actu; utroque enim modo est conformis rectæ rationi, quod est de essentia Virtutis. Cæterum cujus generis sit hæc Virtus, an Theologica, an Cardinalis, an Moralis? & an sit Virtus infusa, vel acquisita? prolixè disputant Theologi, ut videre est apud Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. tom. 2. disp. 1. ab art. 4. & seqq.* Mastrium *in 4. Sent. disp. 5. q. 1.* Gonetum *d. disp. 1. art. 1. §. 2.* Suarezium *d. tom. 4. quæst. 85. disp. 2.* & Eminent. Cardin. de Lugo *in tomo de Pœnitentia disput. 1. sect. 1.* quorum alii volunt, Pœnitentiam reduci ad charitatem, quatenus ex amore Dei detestatur peccatum; ejusdem enim virtutis est diligere objectum, & detestari oppositum; alii asserunt, eam pertinere ad virtutem Religionis, quatenus honorem DEO debitum per peccatum sublatum, restituit; alii verò, juxta magis communem utriusque Scholæ opinionem, docent, Pœnitentiam esse virtutem moralem, quæ reducitur ad Justitiam; siquidem hæc virtus inclinat ad satisfaciendum DEO pro injuria ei illata per peccatum, & ad puniendum illum, qui peccavit; satisfacere autem, & punire spectat ad Justitiam, ut doctè demonstrat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 1. de Pœnitent. art. 7.* & 8. & Mastrius *in 4. Sent. d. disp. 5. quæst. 3.* ubi etiam disputando demonstrat secundùm Thomistas, habitum pœnitentiæ ex suo genere esse infusum, atque simul cum charitate infundi; at secundùm Scotistas, non infusum, sed acquisitum esse ex pluribus actibus; ac posse remanere informem in peccatore, sicut possunt remanere aliæ virtutes sine charitate; ut plenè disserunt, & pluribus rationibus probant idem Mastrius *d. disp. 5. q. 3.* & Eminent. Cardin. de Lauræa; qui *d. tom. 2. disp. 1. art. 10. num. 134. & num. 139.* inter cæteras rationes, has firmat; scilicet, quod Virtus moralis acquisita *ex 2. Ethic. cap. 1.* illa est, quæ ex more, & consuetudine est generabilis; & talis est Pœnitentia, quia peccator conversus non experitur in se facilitatem, & promptitudinem ad pœnitendum; scilicet ad vindicandum peccatum, nisi post actuum frequentationem. Prout etiam si esset infusa; neque esset meritoria; neque essent homines excitandi ad pœnitendum, neque minus terrendi, nisi pœniteant, ut sæpè vidimus fieri in Sacra Scriptura, nam expectandum esset, quando DEUS eam infunderet; at quod non est in potestate voluntatis, non est meritorium; id autem, quod à Deo infunditur, est in ejus potestate. Porrò videntur conciliandæ hæ duæ contrariæ opiniones, si dicamus, esse quidem habitum Pœnitentiæ non totaliter acquisitum, sed partialiter infusum censeri, ob adjutorium supernaturale, quod ex parte Dei recipitur ab homine, qui conatur vindicare peccatum per actus Pœnitentiæ à sua voluntate imperatos.

Sequitur in definitione, quod Pœnitentiæ *vir-*
5 *tus residet in voluntate*, quia ejus subjectum non est, neque intellectus, neque potentia sensitiva, sive irascibilis, sive concupiscibilis, sed ipsa voluntas, ad quam spectat, detestari, & odio habere peccatum sub ratione mali, & offensæ Dei, & ut tale, velle illud punire. Emin. Card. de Lauræa *d. tom. 2. disp. 4. art. 1.* Hinc sequitur, habitum Pœnitentiæ retineri posse in patria à beatis, qui illum habuerunt in via; cujus causa odio habent peccata, & si sibi permitteretur, vellent ea vindicare subeundo multas prœnas corporales; imò ipsos Angelos beatos ejusdem Pœnitentialis habitus esse capaces, quatenus odio habent peccata hominum, & dæmonum, & cupiunt vindictam in satisfactionem Divinæ offensæ; & si Deus permitteret, parati essent ex motivo Divinæ charitatis pœnas in se pro eis suscipere. Et quod magis est, etiam in Christo, & Deipara admitti post habitus pœnitentiæ in cœlo; cum enim in via odio habuerint peccata hominum, & tristati sint de illis, & susceperint in se ex charitate multos actus pœnales in vindictam illorum; sequitur, nunc etiam in cœlo à Christo, & à Sanctissima Virgine retineri habitum Pœnitentiæ, ex quo eis eximius decor resultat; ut latè Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 4. art. 4.* & Mastrius *d. disp. 5. à num. 40. & seqq.* ubi contradicentium Theologorum opinionem, ac rationes refert. At in Angelis, ac hominibus damnatis in inferno nulla dari potest pœnitentia sivè in actu, sivè in habitu; quia nullum odium habent in peccatum; neque dolorem de offensa Dei, aut desiderium satisfaciendi; sed occupant mentem in sola tristitia ob pœnas sibi inflictas à Divina justitia, illam intenso odio prosequentes. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *ead. disput. 4. art. 6.*
6

Subditur in definitione; *tendens ad destructionem*
7 *peccati*; quia objectum materiale Pœnitentiæ est peccatum, tanquam quid odibile, punibile, & vindicabile; sivè sit mortale, sivè sit veniale; sivè actuale, sive originale; nam homo adultus ante baptismum laudabiliter posset pœnitentiam agere etiam pro originali peccato; & idem dicendum est de peccatis alienis, pro quibus virtuosum est unicuique christiano dolere, & pœnitere, prout etiam de propriis jam dimissis; ea enim licitum est, iterùm odisse, ac pro eis pœnas luere. Idcircò, pœnalitates, & afflictiones ipsæ, quas pro peccatis patienter patimur, sunt objecta materialia Pœnitentiæ; ex traditis per eumdem Emin. Cardin. de Lauræa *d. tom. 2. disp. 2. per totam, & præcipuè articul. 7.* & per Suarezium *in 3. part. D. Thom. d. tom. 4. q. 85. disp. 2. sect. 1.*

Additur in definitione, in quantum *peccatum est of-*
fensa Dei; quia objectum formale poenitentiæ consistit in contritione; hæc autem detestatur peccatum, quatenus est offensa Dei summè dilecti; & imperatur æqualiter à virtute Charitatis, & à virtute Poenitentiæ, ut ait Layman. *lib. 5. tract. 6. cap. 1. n. 5.* cum enim Poenitentia sit meritoria justificationis, & deletionis peccati, cum voto tamen suscipiendi Sacramentum, & confitendi peccata, ut hunc operetur effectum, & justificet peccatorem, debet ipse dolere de peccatis tanquam offensæ Dei; si enim ex alio motivo detestaretur peccata, scilicet ob timorem poenarum, esset poenitentia imperfecta, non valens justificare peccatorem, nisi accedente ipso Sacram. Poenitentiæ, Em. Card. de Lauræa *d. tom. 2. disp. 8. art. 8. & 9.* & Gobat. *in sua Theolog. Exper. tract. 6. à num. 23. & seqq.* ubi cumulat septem motiva, ob quæ homines solent detestari peccata, & de eis dolere; quam vis idem Auctor fateatur, ea
8

omnia

omnia communiter reduci ad tria capita, nempè ad metum pœnarum, ad turpitudinem peccati, & ad bonitatem divinam, cui peccando fuit irrogata injuria, ac offensio; & ob quam debent satisfacere.

Ideò, Ultima definitionis Verba sunt: *media satisfactione, & dolore*; quia hæc duo sunt officia
9 veræ Pœnitentiæ, dolere de injuria, & offensa facta Deo; & ei satisfacere per pœnas voluntariè assumptas, sivè ad compensandum ipsum Deum pro offensa; sivè ad resarciendum jus Divinum, quod fuit læsum à peccatore, scilicet denegatam obedientiam Divinis mandatis debitam; sivè ad ineundam pacem, & amicitiam cum Deo; sivè ad vindicabilitatem peccati, quam principaliter intendit Virtus Pœnitentiæ; quia secundùm Scotistas, peccatum sub ratione vindicabilis est verum objectum formale Pœnitentiæ. Emin. Cardin. de Lauræa *d. tom. 2. disp. 3. art. ult.* quem commendat Mastrius *in 4. sent. d. disput. 5. art. 1.* ubi *sub num. 31.* ita dicit: *Quartus tandem dicendi modus est eorum, qui motivum formale specialis Pœnitentiæ assignant ipsum peccatum, ut vindicabile, hoc est commutabile in pœnam, & per aliquam satisfactionem, vel satispassionem expiabile; quod motivum distinguit Pœnitentiam à cæteris virtutibus, quæ licèt peccatum detestentur, ut contrarium proprio objecto, non tamen ulterius tendunt ad illud expiandum per aliquam satisfactionem; & hic est modus dicendi* Scoti *in 4. dist. 14. q. 2. & dist. 15. q. 1. & fuit etiam* D. Thom. *3. p. q. 85. art. 3. quem benè probat* Brancatus (nimirum Eminent. Cardin. de Lauræa, qui ita denominabatur, antequam ob ejus egregias virtutes ad Sacram Purpuram elevaretur) Confirmat supradicta motiva novissimè Gobatus, ac illa declarat exemplo, dicens: *Si fureris amico librum, in primis afficis illum injuria propriè dicta, quæ mox tollitur, postquam redhibuisti librum; aut postquam illum ipse tibi donavit: tunc enim posita est æqualitas, quam spectat singulariter justitia, deindè præter prædictam injuriam adest offensa; das enim ipsi causam, cur ejus animus magis avertatur à te, seu cui ejus animus magis exacerbetur, quàm si alius id fecisset, juxta illud Psalmistæ, Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, tu verò homo unanimis &c. Et hæc offensio non tollitur mox ut redditus est liber; sed tunc solùm, quando exhibes amico à te læso obsequia, ei petis veniam, & similia facis, pro quantitate offensæ; illa enim satisfactione posita tollitur offensa, omnis indignatio.* Ita Gobatus *in Theolog. Experim. d. tract. 6. num. 30.* & ante ipsum Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Pœnitentia disp. 2. n. 50. & 51.* sufficiant lectori ad intelligendam naturam virtutis Pœnitentiæ.

DECISIO II.

ARGUMENTUM.

Dolor acquisitus in Virtute Pœnitentiæ, & quantus esse debeat? Ostenditur in lege Naturæ, ac Moysis necessarium fuisse dolorem perfectum, nempè Contritionem pro remissione peccatorum. Requisita veræ Contritionis in lege gratiæ. Cur debeamus pœnitere, ac dolere de peccatis, si Christus superabundanter satisfecit pro nobis? Refutatio doctrinæ Lutheri, ac Calvini.

SUMMARIUM.

1 *Dolor de peccatis qualis, & quantus esse debeat?*
2 *Contritio quid sit? quot ejus requisita?*
3 *Amor erga Deum duplex; & qualis sit necessarius in Contritione?*
4 *Propositum emendationis quodnam? & Quotuplex?*
5 *Necessitas pœnitendi, ac satisfaciendi Deo per pœnalitates pro peccatis, unde oriatur in nobis, si jam Christus satisfecit pro omnibus?*

CUm itaque ex jam dictis duo sint officia, sive duæ partes Virtutis Pœnitentiæ, dolere de offensa facta DEO per peccatum; & sa- 1
tisfacere DEO pro eadem offensa; declarare oportet, qualis, & quantus esse debeat iste dolor; & an sit adeò necessarius, ut sine illo non possit homo peccator æternam salutem adipisci?

Quo ad primam quæsiti partem, distinguere oportet tria tempora; scilicet status naturæ, legis Mosaycæ, & legis Evangelicæ. In lege naturæ, & Moysis ad obtinendam remissionem peccati in Pœnitente necessarius erat dolor perfectus, qui dicitur contritio; est autem contritio 2
actus voluntatis, quæ dolet, & tristatur, offendisse DEUM per peccatum, quod ex motivo amoris erga ipsum DEUM, summoperè detestatur, seu ut ait Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 4. Est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cùm proposito non peccandi de cætero*; adeò ut contritio tria continere debeat, dolorem de peccatis, detestationem eorumdem, ac propositum vitæ emendandæ; juxta auctoritates Sacræ Scripturæ, quas refert ibidem Concilium, scilicet ex *Psalm. 6. Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum; Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Et Psalm. 50. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Et Ezech. 18. Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis; & facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Dolor autem contritionis accipi debet pro actu dolendi, non pro passione dolorifera; quia licèt ut plurimùm, cum quis conteritur, experiatur in se tristitiam, & afflictionem, ac dolorem sensitivum, causantem lacrymas, & gemitus; tamen hæc passio sensitiva non est de essentia contritionis; ita enim se habet ad pœnitentiam dolor, sicut delectatio ad peccatum: sed delectatio, quæ facit peccatum, est actus, non passio; igitur dolor, qui constituit pœnitentiam, non est passio sola, sed actio. Emin. Card. de Lauræa *de Poenitent. disp. 8. à n. 73. & seqq.* Card. de Lugo *eod. tract. disp. 2. n. 17.* & Gobatus *tract. 6. de Poenitentia n. 38. & 39.*

Detestatio autem peccati est pariter actus voluntatis, quæ ita illud detestatur, & damnat, ut si fieri posset, vellet efficere, ut nunquam extitisset; ut explicat idem Emin. Card. de Lugo *disp. 4. n. 16.* & Gobatus *num. 40.* qui notabiliter advertit *n. 87.* dolorem & detestationem peccati in contritione procedere debere ex Dei amore formaliter, vel saltem virtualiter super omnia, siquidem amor Dei vel est *ex concupiscentia*; idest quia nobis be- 3
nefacit,

nefacit, aut benefacturus est, v. g. largiturus æternam gloriam; & hic amor non sufficit ad perfectam contritionem, quia non est super omnia: vel est amor *amicitiæ*, seu *benevolentiæ*, quo diligimus Deum propter seipsum, seu propter solam suam excellentiam, ac bonitatem; qui subdividitur, in amorem *simplicis complacentiæ*, quando animitus gaudemus, Deum esse talem, qualis est, excelsus, omnipotens, sanctus, justus, misericors &c. & in amorem *obedientialem*, quo tanto affectu illi conjungimur, ut parati simus, ipsi obedire etiam cum periculo cujusvis mali perpetiendi in omnibus, ubique, & semper; non ob mercedem, sed ob ejus divinæ voluntatis, & voluptatis implementum. Qui igitur, dolet de peccato, & illud detestatur ob hæc motiva, dicitur habere contritionem cum Dei formali amore; qui verò dolet, & detestatur peccatum, tanquam offensam Dei, super omnia venerabilis, & obedibilis, dicitur eam habere cum Dei amore virtuali, qui satis est ad perfectam contritionem, ut pluribus argumentis probat idem Eminent. Cardin. de Lauræa *d. tom. de Pœnitentia disp. 8. art. 8. per totum*, & Mastrius *in 4. Sent. d. disp. 5. n. 88. & seqq.* ubi citat pro hac eadem opinione Vasquesium, Suaresium, Aversam, & alios Thomistas.

Ulterius contritio debet habere propositum emendationis vitæ; & abstinendi de cætero à peccatis; quod quidem propositum debet esse firma voluntatis deliberatio, non autem quædam velleitas ut explicat Gobatus *d. tract. 6. num. 284. & seqq.* ubi *num.* 289. advertit cum Valentia, & Laymano, tametsi quis considerata sua fragilitate meritò timeat, imò etiam existimet, se ad vomitum rediturum; id tamen nil obesse firmitati propositi; hæc enim firmitas est actus voluntatis; illa verò existimatio dicitur actus intellectus, qui potest consistere cum priore voluntatis operatione. Itaque in lege naturæ, & Moysis homini adulto & peccanti erat necessaria contritio hæc perfecta ad obtinendam remissionem culparum; juxta illud *ex Ps. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum, & humiliatum Deus non despicies?* ubi ait Glossa: *Spiritus contritus est sacrificium, quo peccata solvuntur.* Et hoc docet Concil. Trid. *sess. 14. cap. 1.* in illis verbis: *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria.* Quod latè prosequitur probando Emin. Cardin. de Lauræa *de Pœnitent. disp. 14. art. 4.*

In lege autem Evangelica ad obtinendam remissionem culparum mortalium extra Sacramentum
4 Pœnitentiæ requiritur supradicta perfecta contritio; sed ita, & taliter, ut sit annexa voto, videst firmo proposito suscipiendi ipsum Sacramentum Pœnitentiæ, ut decisum est ab eodem Concilio Tridentino *d. sess. 14. cap. 4.* ea ratione, quia congruum erat, ut hoc modo dignificaretur Sacramentum Pœnitentiæ, cum institutum sit à Christo Domino pro deletione mortalium, & resuscitatione animæ à morte peccati. Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 14. num. 70.* cum actuali verò Sactamenti Pœnitentiæ susceptione sufficit Attritio, de qua infra Decis. XIII.

Et quoniam objectum formale Virtutis Pœnitentiæ est vindicabilitas, seu vindicta sumenda de peccato; quæ quidem vindicta fit à Pœnitente per voluntariam assumptionem, seu acceptationem pœnarum; quas Deo offert in satisfactionem offensæ ipsi Deo factæ, dum peccavit; quarum quidem pœnarum (de quibus in sequenti Decisione agemus) præcipua est interna tristitia, & dolor 5
ob commissa peccata; dubitare contingit, undè oriatur hæc necessitas tristandi, ac dolendi de peccatis, & debitum satisfaciendi Deo pro ipsis per assumptionem, ac sufferentiam pœnarum?

Si quidem certum est de fide, Christum Redemptorem nostrum passum, & mortuum esse pro peccatis nostris, ac pro illis sufficienter, imò superabundanter satisfeciisse Divinæ Justitiæ; ait enim Isaias *cap. 53. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Et Evangelista Joannes *in Epist. 1. cap. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed pro totius mundi.* Et in libro Apocalypsis *cap. 7. Dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Imò Apostolus Paulus *in Epist. ad Roman. cap. 3.* subdit, quod sumus *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Igitur, si ipse satisfecit pro nobis, si gratis sumus ab eo justificati, unde habemus necessitatem faciendi Pœnitentiam, & per opera pœnalia satisfaciendi pro peccatis?

Respondetur, hanc esse instantiam, & argumentationem Lutheri *in Confessione Augustana*, docentis, nostras Pœnitentias, ac satisfactiones derogare meritis Christi; nec non Calvini *lib. 4. Instit. cap. 4. §. 25.* asserentis, quod *lacrymæ, jejunia, & charitatis officia, quibus dicitur satisfieri pro peccatis, sunt mendacia, quibus opponitur gratuita peccatorum remissio, quia si gratis justificati sumus; & si Deus pro nobis omnibus filium suum tradidit, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Ergo,* inquit ipse, *mendacia sunt Episcoporum, & Monachorum, ut indulgentias adstruant, & pecuniam comparent.* Ita ratiocinantur hæretici ut carnalitatibus, & immunditiis suis habenas laxent.

Pro resolutione sciendum, quod licèt Deus de potentia absoluta possit condonare peccata hominibus absque ulla pœnitentia eorum; ut tenet Suarez *eod. tract. disp. 9. sect. 2.* & Emin. Cardin. de Lauræa *disp. 14. art. 3. per totum*, nihilominus Deus voluit facere Decretum; ut qui post susceptum baptismum mortaliter peccarent, non possent salvari absque Pœnitentia; nec liberari à culpa, ac pœna æterna, nisi per hanc virtutem formalem, seu virtualem cum voto Sacramenti Pœnitentiæ; & dimissa culpa, non possent absolvi (aliquibus paucis casibus exceptis) à pœna temporali, nisi per opera pœnalia satisfacerent. Motiva hujus Divini Decreti fuerunt, ut ostenderetur nobis non solùm Dei potentia, & misericordia in remittendis peccatis; sed etiam ejus Sapientia, ac justitia; illa, docendo nos proportionem necessariam inter culpam, ac pœnam, & ne facilitas veniæ nobis præberet incentivum vitiorum; ista, ut daretur aliqua compensatio offensæ Divinæ, cum enim omne peccatum sit injuria gravissima illata Deo, ob contemptum supremæ auctoritatis suæ; iustum fuit, ut hæc injuria compensaretur debita satisfactione, quæ in Pœnitentia, ejusque actibus reperitur, ut piè differit Segnerius *in Christiano instruct. serm. 19. part. 3.*

Et quoniam ex generali Scholasticorum, & Theologorum consensu, quos cumulat Collegium Salmantic. *de Incarnatione disp. 1. §. 2. num. 117.* purus homo non poterat satisfacere ad æqualitatem pro gravi offensa Dei, vel propria, vel aliena; quia Dei offensa habet gravitatem simpliciter infi-

infinitam ex Divina Majestate injuriata, cui purus homo non valet offerre satisfactionem tanti valoris, ut illi gravitati adæquetur; ideò Christus Deus, & homo pro nobis satisfacere dignatus est; ita tamen, & sub hac conditione, ut cum ejus satisfactione, etsi copiosè, & superabundanter facta, concurrerent cooperationes, ac satisfactiones nostræ, tùm in mandatorum observantia, tùm in Sacramentorum applicatione, ac in exercitio virtutum, operumque pœnalium; ut pluribus in locis docet Emin. Cardin. de Lauræa in tractatu de Incarnatione *disp. 20. n. 35. & disp. 21. n. 36.* & in tomo de Pœnitentia *disp. 13. n. 29. & 30.* cujus verba ad majorem lectoris intelligentiam placet hìc transcribere: *Deus videns humanum genus lapsum per Adæ peccatum, volens satisfieri suæ justitiæ, & liberari homines ab illa culpa, & pœna debita pro ipsa; nec non & quotiescunque homo laberetur in mortale, decrevit, Verbum Divinum incarnari, & suis actibus satisfacere pro culpis illis, in quas deberent homines incidere; & redimere eos a pœna æterna toties debita; non quidem omnes, & absolutè: sed eos, qui aliquos actus exercerent, & aliquod Sacramentum applicarent, vel votum illius haberent, & sic patet, quomodo & Christus satisfecerit copiosè, & quod sit necessaria satisfactio hominis. Et hoc dicere intendunt Theologi, cùm dicunt, Christum satisfeciſſe pro culpis, & pœnis hominum in actu primo; ideſt, meruit, ut satisfactiones hominum essent Deo acceptæ, & meritoriæ, ut iis positis, ipse placaretur, & culpam, ac æternam pœnam remitteret. Itaque actus hominis pœnitentiales sunt satisfactorii in virtute satisfactionis Christi; & dici possunt quasi complementum exigitum à Christo, ut ejus satisfactio prosit homini; & hoc modo puto intelligendum illud Apostoli ad Colossens. 1.* Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea; *nihil enim videtur defuisse passioni Christi, nisi nostra cooperatio, nostraque particularis satisfactio.*

Hæc est igitur necessitas, qua adstringitur peccator ad pœnitentiam, etsi Christus pro omnibus satisfecerit; quia Christi satisfactio fuit cum conditione, ut & nos peccatores pœnitentiam ageremus; idque habetur expressè in Scripturta Sacra: Luc. 3. *Facite fructus dignos Pœnitentiæ.* Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis.* Et Apostolus Petrus in prima sua concione ad Judæos ait *Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini. Et cap. 3. Pœnitemini ergo, & convertimini; ut deleantur peccata vestra,* & *in Epist. 2. capit. 3. Non tardat Dominus promissionem suam, ut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire; sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Et Joannes *in Apocalypsi cap. 2. Age pœnitentiam, & prima opera fac. Et cap. 3. Æmulare, & pœnitentiam age.* Et Apostolus Paulus *in epist. 2. ad Cor. c. 7. Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.*

Et ex his omnibus manifesta fit falsitas doctrinæ Lutheri, & Calvini negantium necessitatem pœnitentiæ post commissa peccata; attentis meritis, & satisfactionibus Christi, qui gratis nos justificavit: gratis enim nos redemit, quia scilicet ex sua sola benevolentia, & absque nostro merito; at ejus Passio, & redemptio præscindit ab operibus nostris; quibus debemus cooperari ad nostram salutem, obtemperando mandatis; & post eorum transgressionem, dolendo, peccatum detestando, ac opera pœnitentialia agendo, ut fructum Passionis Christi consequi possimus.

DECISIO III.

ARGUMENTUM.

Disquiritur, An post adimpletam Pœnitentiam Sacramentalem teneamur facere alias pœnitentias voluntarias? Rationes pro utraque parte, & resolutio quæsiti Utilitates ex voluntariis pœnitentiis. Atrocitas pœnarum Purgatorii. Difficultas in assequendo fructu Indulgentiarum.

SUMMARIUM.

1 *Afflictiones voluntariæ præter Sacramentalem Pœnitentiam an de Præcepto assumendæ? Rationes pro affirmativa num. 2. Pro negativa num. 3.*
4 *Pœnalitates spontaneæ sunt utilissimæ.*
5 *Carnifice deficiente unus ex pluribus Reis assumendus.*
6 *Pœnitentia Sacramentalis an deleat totum reatum?*
7 *Remissio culparum an certò sciatur in hac vita?*
8 *Pœnitentiæ antiquæ erant annorum septem.*
9 *Purgatorium pro satisfactione culparum an expediat eligere?*
10 *Purgatorii pœnæ quàm sint acerbæ?*
11 *Indulgentiæ an valeant pro his, qui respuunt voluntarias Pœnitentias?*
12 *Indulgentiæ ut plurimùm infructuosæ. Et cur?*
13 *Exempla Animarum Purgatorii petentium suffragia.*
14 *Regularibus omnibus concessa Indulgentia plenaria in articulo mortis.*
15 *Venialia cur rarò dimittantur in hac vita?*

STante igitur necessitate dolendi, ac pœnitendi pro obtinenda remissione actualium peccatorum, alia quæstio est examinanda; an scilicet, post adimpletam Pœnitentiam Sacramentalem, 1
teneamur de Præcepto assumere alias Pœnitentias voluntarias pro remissione reatus, seu pœnæ temporalis, quæ remanet luenda vel in hac vita, vel in Purgatorio pro culpis jam dimissis?

Pro parte affirmativa facit primò Scriptura Sacra, quæ in pœnitente requirit opera pœnitentialia, la- 2
crymas, jejunia, &c. Ita Joel. *cap. 2. Convertimini ad me in toto corde vestro; in jejunio, & fletu, & planctu.*

Secundò, quia Christus Dominus dixit Matth. 5. *Vers. 5. Beati qui lugent* &c. ubi glossa interlin. & ordin. declarat, *Beati qui lugent pro suis, vel aliorum peccatis.* Et idem docent SS. Patres Hilarius, Chrysostomus, Theophylactus, Chromatius, Hieronymus, Leo, quorum sententias refert Barradas *tom. 2. in Evangel. lib. 7. cap. 2.* super illud, *Beati, qui lugent*, ac alias plures adducit Suarez *de Pœnitentia disp. 15. sect. 7. num. 3.*

Tertiò, quia Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 14.* docens Pœnitentiam esse secundam tabulam naufragii, eamque consistere in contritione, ac confessione peccatorum; subdit, illud require-

re etiam *Satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia.*

Quartò, quia Cassianus *Collat. 23. cap. 15.* scriptum reliquit; eum, qui post baptismum mortaliter peccavit, *aut diuturna pœnitudinis afflictione, ac pœnali dolore purgandum; aut certè pro his in futuro æterni ignis suppliciis addicendum.* Quibus verbis innuere videtur; eum, qui post confessionem, non curat voluntariis afflictionibus satisfacere pro pœna temporali, peccare mortaliter, & esse damnandum in inferno.

Quintò suadet ratio; sicut enim peccatum commissum est ab anima, & corpore simul; sic justitia exigit, ut pœna solvatur non à sola anima, sed etiam à corpore. Hoc autem nullam pœnam solveret, nisi affligeretur in hac vita; & satisfactio pro peccatis esset facienda ab anima in Purgatorio. Ita Canus *de Pœnit. relect. par. 3. concl. 2.* & Paludan. *in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 4. in 5.*

3 Nihilominùs contraria sententia communis est apud Theologos, qui tenent, esse quidem de Præcepto satisfactionem Sacramentalem, impositam per Confessarium pœnitenti; non autem ultroneam satisfactionem virtute Pœnitentiæ debitam pro pœna temporali, quæ remanet post dimissa peccata; hanc enim absque culpa potest homo velle solvere non in hac vita, sed in Purgatorio. Probant hanc libertatem ita.

Primò: Nulla lex obligat reum, ut ipsemet in se puniat delictum; sed solùm ut sustineat patienter pœnam à Judice inflictam. Cùm ergo Deus sit judex, & vindex peccatorum, & in Purgatorio, & puniat ad æqualitatem, quando in hac vita satisfactum non est, potest peccator sine ulla injustitia differre castigationem, seu satisfactionem sui peccati usque ad Purgatorium.

Secundò: Nulla est differentia inter pœnam temporalem debitam pro peccatis mortalibus dimissis, ac inter illam debitam pro peccatis venialibus non dimissis. Sed peccator hanc non tenetur diluere in hac vita ex præcepto; & sufficit ei, si satisfaciat pro venialibus in Purgatorio. Ergo idem dicendum de satisfactione pro mortalibus, de quibus fuit confessus, & absolutus.

Tertiò: Quod non est contra charitatem Dei, vel proximi, & non privat æterna beatitudine, potest omitti in hac vita absque culpa mortali. Sed differre satisfactionem non sacramentalem, sed sola virtute Pœnitentiæ debitam pro peccatis dimissis, & pro pœna temporali, non est contra charitatem Dei, vel sui ipsius; quia Animæ Purgatorii sunt in gratia, & licèt eis differatur possessio æternæ beatitudinis, tamen de ea sunt securæ. Igitur non est de Præcepto satisfacere per pœnalitates voluntarias in hac vita.

Quartò: Quia Concilium Tridentinum *sess. 14. de Pœnit. cap. 1.* loquens de necessitate Pœnitentiæ; & explicans, in quibus hæc necessitas consistat, nominat tantummodò dolorem ad detestationem peccati, atque emendationem vitæ; non autem voluntariam assumptionem pœnarum pro satisfactione pœnæ temporalis; ita enim dicit: *Ut perversitate abjecta, & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur.* Et eadem *sess 14. cap. 8.* differens de satisfactione, quæ fit per pœnalitates voluntariè assumptas in hac vita; ostendit quidem uberrimum fructum ex ea provenientem; sed numquam nominat eam necessariam de Præcepto, nisi quando imponitur à Confessario in Sacramento Pœnitentiæ. Igitur absq; culpa possunt homines post adimpletam satisfactionem, & Pœnitentiam sibi à Sacerdote injunctam, abstinere ab ulteriori satisfactione pro pœna temporali, quam luere debent pro peccatis confessis, & dimissis; reservantes sibi illam luendam in Purgatorio.

Neque obstant argumenta contraria; quia tria prima ex Scriptura Sacra, & ex Concilio Tridentino intelligenda sunt de exhortatione, non autem de Præcepto. Quartùm verò dictum à Cassiano interpretandum est de peccatoribus non accedentibus ad Sacramentum Pœnitentiæ, vel saltem in voto illud non suscipientibus cum perfecta contritione. Et ad quintum respondetur, rationem illam non urgere; aliàs sequeretur, quod Animæ in Purgatorio existentes, cum sint corpore exutæ, non satisfacerent pro peccatis, de quibus corpus fuit particeps; & tamen contrarium est de fide. Præterquam quod corpus, velit, nolit, non potest se omninò eximere à pœnalitatibus in hac vita; nam ut ait Job. 14. 1. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Et Rex Salomon testatus est *Eccl. 1. 14. Vidi cuncta, quæ fiunt sub Sole; & ecce universa vanitas, & afflictio spiritus.* Et cum retulisset omnes delicias, quibus frui conatus est in vita sua, subjunxit *Eccl. 2. 11. Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Nec levis est pœnalitas, quam patitur homo, in deliciis vivens, dum recordatur, se esse moriturum, & quod anima separanda est à corpore; juxta exclamationem ejusdem Salomonis *Eccl. 41. 1. O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis?*

Porrò, quamvis homines non adstringantur de Præcepto ad voluntarias pœnalitates assumendas pro satisfactione pœnæ temporalis remanentis 4
post Sacramentalem confessionem, nihilominus magni refert, ut ipsi satagant, eas assumere, & spontaneas pœnitentias facere ex sequentibus motivis.

Primò ex jam dicto, quod sicut corpus peccavit unà cum anima; ita convenit, ut ipsum quoque pœnitentiam faciat, & pœnalitates voluntarias; ad 5
satisfaciendum in se assumat. Ubi duo Rei sunt ad mortem condemnati, deficiente carnifice contingit frequenter, ut Judices offerant vitam uni eorum, si velit in alium exequi sententiam, ut eleganter differit Tholosanus *in Syntagm. Jur. libr. 31. cap. 38. n. 5.* Anima, & Corpus correi sunt ob peccatum ad mortem damnati. Si igitur anima per pœnitentiam puniat corpus, liberat seipsam à sententia mortis, ac ipsum correum salvum facit in æternitate. Ideò ait Tertullianus *lib. de Pœnitentia. In peccatorem Pœnitentia pronuncians, pro Deo indignatione fungitur.*

Secundò, ut sciant peccatores ex regula ordinaria per Pœnitentiam sacramentalem tolli quidem peccata quo ad maculam, non autem quo ad reatum; nisi enim intervenat intensissimus dolor, & 6
amarissima contritio, delentur quidem peccata virtute Sacramenti Pœnitentiæ quo ad culpam, & pœnam æternam; sed remanet pœna temporalis, satisfacienda vel in hac, vel in alia vita, ut definitum est in Concilio Trident. *sess. 14. can. 12.* his verbis: *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt, Christum pro eis satisfeciße: Anathema sit.*

Tertiò:

Tertiò: quia omnes Sancti, qui in quocunque ſtatu naturæ, legis Moyſis, & Gratiæ lapſi ſunt in peccata; quamvis per contritionem veram obtinuiſſent remiſſionem; non ceſſarunt usque ad mortem Pœnitentiam agere, affligendo ſeipſos multis pœnalitatibus, ut de Adamo, de Rege David, & de S. Maria Magdalena licet videre.

Quartò: Nam non affligere corpus, quod peccavit, idem eſt, ac ſi adultera, cui conjux pepercit, iterùm alluderet, ac blandiretur adultero. Siquidem anima, quæ cum corpore voluptates reas capit, dicitur moraliter mœchari, juxta illud: *Fornicata es cum amatoribus multis. Hier.* 3. 1. & hinc inſurgit major Dei contemptus, teſtante S. Jo. Chryſoſt. *Hom.* 60. *ad Populum: De peccatis non dolere, magis Deum iraſci facit, quàm peccare.*

7 Quintò: Tanto magis, quia nullus in hac vita, abſque ſpeciali revelatione, poteſt eſſe certus de ſua juſtitia, & de obtenta remiſſione peccatorum, juxta illud *Eccl.* 9. *Neſcit homo, utrùm amore, an odio dignus ſit? Et Eccleſiaſt.* 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu*; *& Prov.* 30. *Quis poteſt dicere: mundum eſt cor meum*; *purus ſum a peccato?* ut latè demonſtrat Collegium Salmanticen. *in Curſu Theologico tom.* 6. *tract.* 14. *diſp.* 9. §. 1. *&* 2. Idcircò qui certus eſt offendiſſe Deum, & incertus eſt, an ſibi condonaverit offenſas, debet in operibus pœnalibus, ex amore pœnitentiæ ſe exercere; & per ea ſe magis, ac magis præparare ad gratiam Dei verè obtinendam; *Deus enim recipit eum, qui ad ſe confugit*; ut docet S. Thomas 1. 2. *q.* 112. *art.* 2. *&* 3.

Sextò: ſed præcipuè, eſto, quod nobis verè ſint dimiſſa peccata, incumbendum eſt actibus pœnitentialibus, ut evellantur mali habitus, & inclinationes vitioſæ, quæ remanent in anima, poſt peccatum. Hoc expreſſum eſt ab eodem Tridentino Concilio *d. ſeſſ.* 14. *cap.* 8. in illis verbis: *Satisfactoriæ pœnæ medentur peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus, malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt.*

Septimò. Et ſuper omnia expedit pro peccatis dimiſſis continuam pœnitentiam facere, ne iterùm in eadem peccata labamur. Hoc idem notatur *à Trid. Conc. cit. cap.* 8. dum dicit, quod eædem ſatisfactoriæ pœnæ *magnopere à peccato revocant, & quaſi freno quodam coercent, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt.* Cauſa tot relapſuum poſt confeſſionem; & tot recidivorum ad vomitum peccati, eſt omiſſio operum pœnalium. Satisfactio à Confeſſario impoſita tàm modica eſt, ut ea breviter adimpleta, ſtatim obliviſcatur pœnitens gravitatem offenſæ Dei, & reincidat in priores culpas, à quibus abſtineret, ſi more primitivæ Eccleſiæ longas, & afflictivas pœnas aſſumeret; aſſerente Angelico Doctore *in Supplement. quæſt.* 15. *art.* 2. *in corp.* Quod *non facile homo ad peccata redit, ex quo pœnam expertus eſt.* Ceſpitantem equum calcari percutimus, ne iterum pede offendat; & teſte Divo Gregorio *in prim. Pſal. poenit. Omnis curatio, quantò difficilius acquiritur, tantò acquiſita cautiùs cuſtoditur.* Hinc conſuetum fuit in Eccleſia, ut pro majoribus criminibus pœnitentia non minus, quàm ſpatio ſeptem annorum
8 concluderetur, *cap. Hoc ipſum.* 33. *quæſt.* 2. quæ autem ſint crimina majora, leguntur in Canonibus Pœnitentialibus impreſſis in fine tertiæ partis Decreti Gratiani; & relatis etiam à Reginaldo *in Praxi fori Poenitentialis lib.* 7. *n.* 54. quos legiſſe Confeſſarios juvabit.

Sed dicet aliquis. Non curo differre ſatisfactionem pro peccatis meis poſt mortem, ſi ſufficit 9
ea luere in Purgatorio. Huic reſpondeat pius, ac eruditiſſimus Theologus Georgius Gobatus *in ſuo Quinario tract.* 4. *n.* 288. ubi *Verſ.* 2. ſcribit: *Nonnullas animas in Purgatorii flammis ita graviter cruciari, ut plurium annorum poenitentia valdè rigida non æquet valore illum cruciatum*; & citat Bonacinam *tom.* 1. *De Indulgentiis diſp.* 6. *quæſt.* 1. *punct.* 2. *n.* 3. Toletum *lib.* 6. *cap.* 13. ubi adden. ſubdit: *conſtat ex Beda lib.* 5. *cap.* 13. *Hiſtor. Anglic. nonnullas animas ad extremum uſque judicii* 10
diem poenis illis divexandas eſſe: & Martinum de Rota in libello de ſtatu Animarum Purgatorii; ubi *cap.* 5. ait: *La gravezza, e durezza di queſte pene è tale, che la minore di eſſe, come dice Sant' Anſelmo, è maggiore, che le maggiori della noſtra vita. E Sant' Agoſtino tiene per ignorante colui, che per mancamento di queſta conſideratione dimanda di Patire nel Purgatorio, potendolo evitare con la penitenza in queſta vita.* Et de hac re horrifica refert exempla. Igitur quàm imprudens eſt dicere, luam Peccata mea in Purgatorio? Sed adhuc ille replicabit, ſpero effugere pœnas etiam Purgatorii ob frequentiam Indulgentiarum, quæ in Eccleſia Catholica conceduntur. Quid in contrarium tantæ ſpei allegari poteſt?

In primis opponi poteſt doctrina Cajetani, quam amplexus eſt Navarrus *in tract. de Jubileo, & In-* 11
dulgen. notab. 21. quod ſcilicet, Indulgentiæ nihil proſint illis, qui poſt confeſſionem ſuarum culparum, non curant per voluntarias pœnitentias, ac afflictiones ſatisfacere pro ipſis. Ne pigeat Lectorem audire verba Navarri: *Movet me* (ait) *ad hanc opinionem tenendam; primò quod per eam ſuus honor Indulgentiis ſervatur; Chriſtiani ad poenitentiæ opera ſubeunda excitantur; obſtruuntur ora in Indulgentias debacchantium; & ſuffragia Eccleſiæ non contemnuntur. Deindè movet me, quod indignus eſt aliena ope, qui ſibi non vult operari, cum poſſit, juxta leg. Bona fides ff. Depoſiti, & gloſſ.* 2. *& com. Doctr. in cap. Quæ in Eccleſiarum. De conſtit. cui alludit illud Apoſtoli* 2. *ad Theſſalon. Qui non vult operari, non manducet. Qui ergo poenitens etiamſi gratiam Dei gratum facientem habeat, non vult, aut non curat, cum poſſit, ſatisfacere de reliquiis ſuorum peccatorum, ſivè de poena, quam pro eis debet temporali, indignus erit ope aliena; & per conſequens, ut Eccleſia ei de theſauro prædicto ſubveniat.* Subdit poſtea idem Auctor alias ſex rationes ponderoſas pro ſua opinione ibi videndas; quam non improbabilem vocat Henriquez *lib.* 7. *cap.* 8. *num.* 3. & alii, inter quos Fumus *Verb. Indulgentia num.* 13. ſic pronuncians: *Aliqui ſunt tepidi, qui licet ſint in gratia, rogant tamen ſibi dari parviſſimam poenitentiam, & gaudent cum parva datur; & cum illam minimam executi fuerint, non curant aliam facere, & iſtis ſic negligentibus non proſunt Indulgentiæ. Ex quo patet, quod quaſi omnes remaneant decepti.*

Scio opinionem hanc rejici communi calculo Doctorum, & praxi Eccleſiæ; nihilominus cordatis viris eſt attendendum: præterquam quod advertendi ſunt hi, qui ſolis Indulgentiis volunt ſatisfacere pro ſuis peccatis; non autem voluntariis pœnitentiis, apud plurimos, ac graviſſimos Doctores

nimis

nimis verum reputari dictum Gloſſæ *in Clem. 1. de Reliq. & Vener. Sanctor. propè fin.* videlicet, pau-
12 cos indulgentias conſequi ob defectum conditionum, quæ requiruntur à Pontifice in ſuſcipiente ipſas Indulgentias; quod etiam affirmat ipſe Navarrus *de Indulg. Not. 17.* & Felinus *in Sermone de Indulgentiis*; quos citat, & ſequitur P. Gobat. *d. tract. 4. quæſt. 75. à num. 243. & ſeqq.* ubi & ipſe dubitat, multos credentes recipere indulgentias, remanere ſine effectu earum, ob conditiones non perfectè adimpletas. Præterquam quod Indulgentiæ reatum pœnæ dimittunt, ſed non ſunt medicinales pro evitandis futuris peccatis, & non augent meritum, nec theſaurum Eccleſiæ, prout faciunt afflictiones, & pœnitentiæ voluntariæ per hominem juſtum exercitæ, & aſſumptæ. Quare Paſſerinus *in tract. de Indulgentiis q. 122. num. 933.* ita ſcribit: *Eſt verò conſilium optimum pœnitentias injunctas implere, non obſtante quod pœnitens lucratus fuerit Indulgentiam. Tum quia non eſt forſan certus, quod per illam Deo ſatisfecerit, quia poteſt eſſe, quod verè lucratus non fuerit. Tum quia adimpletio illa, ſi non ſit neceſſaria ad ſatisfaciendum, eſt utilis ad merendum, & ad augendum theſaurum ſatisfactionum in Eccleſia, ex quo poſſit per Indulgentias ſatisfieri Deo.*

Confirmatur hucusque dicta pluribus exemplis Religioſorum, & Monialium; quarum animæ apparuerunt Ven. Sorori Franciſcæ à Sanctiſſimo Sa-
13 cramento Carmelitæ Diſcalceatæ petentes ſuffragia, ut liberarentur ab igne Purgatorii, in quo cruciabantur, ut legitur in Aureo illo libello, cujus titulus eſt, *Lume à Vivi dall' eſempio de Morti*, impreſſo Venetiis per Stephanum Curti Bibliopolam anno 1680. cum Annotationibus Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Mendozæ Epiſcopi Omenſis; quandoquidem certum eſt, omnes Regulares utriusque ſexus gaudere Indulgentia plenaria in articulo mortis vigore Bullæ Pauli Papæ Quinti in-
14 cipien. *Romanus Pontifex, &c.* quæ in Bullario Romano, inter illas ejusdem Pontificis, eſt *la XXI.* quod notant Moraliſtæ, inter quos Gobat *in tractatu de Indulgentia tract. 4. in Quinario n. 549.* Itaque ego conſidero, ſi Regularibus, & monialibus conceſſa eſt Indulgentia plenaria in articulo mortis, undè fit, ut harum, & illorum plurimæ animæ torqueantur in Purgatorio, etſi fuerint in ſtrictiſſimæ obſervantiæ cœnobiis? Utique dicendum venit, perdifficile eſſe, aſſequi indulgentias Plenarias: Quod ſi dicamus Religioſos, ac Religioſas illas detentas fuiſſe in igne Purgatorii ob peccata Venialia; de quibus in hac vita habuerunt multam complacentiam, & nullum dolo-
15 rem; ſine quo in hac vita remitti Venialia non poſſunt quoad culpam, & per conſequens neque quo ad pœnam; adeo ut quo ad utramque debeant purgari per ſatiſpaſſionem in igne Purgatorii; ut docent Theologi, inter quos S. Thomas *3. p. quæſt. 87. artic. 1. ad 2.* Candidus *diſquiſit. 24. art. 34 dub. 3.* Emin. Cardin. Capiſucchius *Controverſ. 27. quæſt. 2. §. 14.* & Collegium Salmanticen. *tom. 11, de Sacramentis in genere tract. 6. cap. 5. num. 32. & 51.* adhuc ex hac ſuppoſitione manifeſtiùs reſultat neceſſitas aſſumendi voluntarias pœnitentias ad ſatisfaciendum in hac vita pro pœna temporali debita ex peccatis; attento quod eædem voluntariæ pœnalitates, & afflictiones valere poſſunt ad delendas etiam culpas venia-les, vel excitando auxilia divina ad eas deteſtandas; vel cauſando ipſis dolorem, & diſplicentiam ſaltem virtualem, quæ ſatis eſt, ut remittantur quo ad cùlpam. Suarez *de Pœnitent. diſput. 11. ſect. 3. Aſſert. 3.* Collegium Salmanticen. *d. capit. 5. num. 40.* cumque Venialia fuerint hoc modo dimiſſa quo ad culpam; facilius eſt, immò certum, quod remittentur etiam quoad pœnam temporalem per Indulgentias plenarias, potiſſimùm in articulo mortis.

DECISIO IV.

ARGUMENTUM.

Expenditur, quid, & quotuplex ſit Satisfactio? Qui, & quot actus ſatisfactorii ad tria capita redacti, videlicet ad Jejunium, Orationem, & Eleemoſynam, Agitur de Jejunio tùm Quadrageſimali, tùm Quatuor temporum, ac Vigiliarum. Plures eruditiones circa Jejunium primitivorum Chriſtianorum quo ad horam comedendi, quo ad qualitatem cibi, & potus. Oſtendirur virtus Jejunii in ſatisfaciendo pro peccatis.

SUMMARIUM.

1 *Satisfactio in genere ſumpta quid ſit? Et quotuplex? num. 4.*
2 *Satisfactio hominis Chriſtiani an ſit ex congruo, vel ex condigno?*
3 *Satisfactio an fieri poſſit per opera de Præcepto?*
4 *Satisfactio alia Antidoralis, alia Civilis, alia Criminalis?*
5 *Satisfactorii actus quinam ſint?*
6 *Dolor intenſus de peccatis remittit totam pœnam.*
7 *Jejunium, oratio, & eleemoſyna ſunt opera ſatisfactoria.*
8 *Jejunii valor, & fructus.*
9 *Ambroſiana Eccleſia cur incipiat Quadrageſimam die Dominico?*
10 *Caſinenſes quare incipiant Quadrageſimam feria 2. poſt Dominicam Quinquageſimæ?*
11 *Jejunia primitivorum Chriſtianorum magis pœnalia circa horam comedendi, circa cibum, & circa potum.*
12 *Xerophagiis veſcebantur Chriſtiani in die jejunii.*
13 *Ova, ac lacticinia an licita in Quadrageſima?*
14 *Vigiliæ Sanctorum, ac Stationes undè dictæ?*
15 *Jejuniorum exempla, ac fructus.*
16 *Malachiæ Regis Hiberniæ anima in Purgatorio.*
17 *Anima Parochi defuncti 1639. in Purgatorio.*
18 *Jejunium in pane, & aqua quando imponendum à Confeſſariis?*

ATtenta itaque neceſſitate, & utilitate ſatisfaciendi in hac vita pro pœna temporali, quam ſolvere debet, qui peccavit; tum ob indignitatem peccati, quæ tanta eſt, ut etiam poſt remiſſionem dignum ſit puniri aliqua alia pœna; tùm ob ordinationem Dei, qui ſicut in remiſſione culpæ exercet ſuam miſericordiam, ſic in exactione pœnæ temporalis oſtendit ſuam juſtitiam; demonſtrare hic oportet, qui, & quot ſint actus ſatisfactorii? ſeu quæ ſint opera, quibus poſſumus ſatisfacere Divinæ Juſtitiæ pro prædicta pœna temporali debita pro peccatis jam dimiſſis?

Pro

Pro clariori autem intelligentia est notandum; 1 quod *Satisfactio* in genere sumpta *est redditio voluntaria æquivalentis, aliàs indebiti.* Dicitur *Redditio* tanquam actus justitiæ de re prius debita, ad differentiam doni; quod gratis datur; si enim do Petro centum, quia debeo, tunc satisfacio: si autem non debeo, dono. Dicitur, *voluntaria*; alioquin non est *satisfactio*, sed *satispassio*; ac proinde quia damnati in inferno involuntariè patiuntur pœnas, non satisfaciunt; secùs de purgantibus, quia voluntariè secundùm affectionem justitiæ pœnas subsinent. Dicitur *æquivalentis*; id est sufficiens, & proportionatum debito; si enim debeo centum, & reddo quinquaginta, non satisfacio pro toto debito. Quomodo autem homo possit reddere æquivalens pro offensa facta 2 Deo? & an satisfactio, quam præstat homo pro peccatis dimissis, sit sufficiens de condigno, vel de congruo? & an ex natura rei, vel ex benigna Dei acceptatione? disputant Scholastici, inter quos Suarez *de pœnitentia disp.* 37. *sect.* 9. Eminent. Card. de Lugo *eod. tract. disp.* 24. *sect.* 1. Eminent. Card. de Lauræa *disput.* 13. *art.* 11. & Mastrius *in* 3. *sent. disput.* 4. *quæst.* 5. & quamvis sub diversis distinctionibus procedant, concludunt omnes, satisfactionem hominis justi esse de condigno, quamvis discordent in assignanda ratione, an ex concursu gratiæ habitualis, & Divini auxilii; an ex Dei acceptatione; an verò (quæ est potissima causa humanæ condignitatis) ex applicatione satisfactionis & meritorum Christi, in quo *omnis nostra sanctificatio, & redemptio est.* 1. *Cor.* 1. unde ait Concilium Tridentinum *sess.* 14. *c.* 8. *Dum pro peccatis nostris satisfaciendo patimur, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur.* Dicitur tandem in definitione, *alias indebiti*; quia si quis deberet centum Petro ex legato; & alia centum pro mutuo; reddendo hæc centum pro mutuo non satisfaceret pro legato. Hoc tamen intelligendum est de rigorosa justitia; secùs ex benignitate creditoris, qui potest acceptare unam solutionem pro satisfactione utriusque debiti; & hinc est, quod defendunt Theologi, posse nos satisfacere pro pœna temporali, peccatis 3 dimissis debita, non solùm per opera Supererogationis; sed etiam per illa de Præcepto; nam tanta est largitas divinæ munificentiæ, ut dignetur illud opus recipere & pro solutione obsequii, ac obedientiæ per nos debitæ ejus præceptis; & pro satisfactione nostrarum culparum, ut infrà latius demonstrabimus.

Notandum est secundò, quod satisfactio est triplex, *Antidoralis, Civilis, & Criminalis.* Prima 4 est, quæ rependitur ex animi gratitudine pro beneficiis, ac favoribus receptis. *l. Sed et si.* 28. §. *Consuluit. ff. de Petit. hæredit.* Glossa *in l. Aristo.* 18. *in Verb. non contrahi. ff. de Donationibus.* Et ita cum quis ex liberalitate alicujus recipit beneficium, potest satisfacere benefacienti, si aliquod obsequium, vel aliud illi reddat pro beneficio. Prout etiam si quis ab alio diligatur, potest rependere, & recompensare dilectionem, per aliam dilectionē vel etiam per actus externos, munera, defensionē, protectionem, & similia. Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 13. *n.* 2. Satisfactio *Civilis*, est, quæ exercetur in contractibus onerosis, & quotidianis hominum commerciis, puta Emptione, Locatione, Mutuo, & similibus, in quibus satisfit à debitore creditori per solutionem pecuniæ, aut mercedis debitæ; & ideò apud Juristas satisfactio intelligitur sub nomine solutionis, *l. Satisfactio ff. de Solutionibus l. Solutionis verbo. ff. de Verbor. signif.* Em. Card. Mantica *de Tacitis, & ambig. lib.* 20. *t.* 5. *n.* 22. Satisfactio *Criminalis* est illa, quæ debetur ob injuriam alicui irrogatam; & solet intentari per injuriatum in judicio vel ad æstimationem injuriæ, vel ad publicam vindictam, & ipsius injuriantis punitionem. *l. Prætor edixit.* §. *Si dicatur*; & §. *seq.* ubi Gloss. *ff. de Injuriis.* Andr. Gail. *Practic. Observ. lib.* 1. *observ.* 65. & Conciolus *Resolut. criminal. Verb. Injuria, resol.* 1. ubi allegat Criminalistas disputantes, an peti possit satisfactio ad publicam vindictam, quando intentata fuit ad æstimationem injuriæ; & è contra? Modo omnis homo tenetur Deo retribuere has tres satisfactiones; *Antidoralem* ob eximiam suam charitatem, & beneficia tùm supernaturalia gratiæ & gloriæ, tum naturalia creationis, ac conservationis, quibus incessanter à Deo ditamur; ad quam respiciebat David dicens: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Psal.* 115. 3. *Civilem*, in adimplemento omnium Divinorum præceptorum; quæ habent vim contractuum pro obtinendo Regno cœlesti, juxta illud *Matth.* 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et *Criminalem*, ad recompensandum, quantum homo abstulit Deo per peccatum; cum enim omne peccatum habeat rationem injuriæ & offensæ, quæ infertur Deo, fuit ab ejus divina justitia taxata pœna æterna pro peccato mortali, & temporalis pro veniali, ad justè ea punienda; ad has autem pœnas redimendas immensa Dei pietas ordinavit passionem, ac meritum Christi cum nostra cooperatione, fundata in ejus meritis, & exercenda in usu Sacramentorum; & præcipuè per lapsos in peccata post baptismum in usu Sacramenti Pœnitentiæ, cujus virtute commutatur pœna æterna in temporalē; & temporalis in aliqua parte solvitur; pro reliqua verò pœna remanente satisfaciamus ejus Divinæ justitiæ per actus satisfactorios eidem gratos in præsenti Decisione referendos; gratos, inquam, ex Dei benignitate, & ex Christi adjutorio ex valore meritorum ejus: ut doctè differit Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 13. *de pœnit. artic.* 5. ubi retundit hæreticos asserentes, quod passò jam, & mortuo Christo Dei filio, homo non remanet obligatus ad satisfactionem aliquam; quam hæreticam assertionem damnavit Concilium Trid. *sess.* 14. *can.* 12. his verbis: *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo; satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt, Christum pro eis satisfeciisse; Anathema sit.*

His prænotatis referamus actus satisfactorios, quibus (præter illos injunctos à Confessario, constituentes tertiam partem Sacramenti Pœnitentiæ, de quibùs infrà Decis. XXXIV.) possumus nos liberare à pœna temporali debita pro peccatis.

Primò; satisfactorii sunt actus interni tùm charitatis, tùm Contritionis & doloris pro pec- 5 catis jam confessis, & dimissis. Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 13. *num.* 111. De Charitate testatus est Christus, dum de Magdalena pœnitente dixit ad Pharisæum *Luc.* 7. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* De contritione, ac dolore peccati facit ratio; quia quo major est contri- 6

tio, ac dolor pœnitentis, eo minor pœna remanet solvenda. Ergo si replicetur, poterit totam delere, ac solvere. Exempla si cupiat Lector de tota pœna temporali remissa ob internum cordis dolorem de peccatis legat Speculum exemplorum *dist. 5. Exempl. 112.* Matthæolum *in Sylva Histor. par. 2. lib. 8. tit. 18.* & Segnerium *in Christiano instructo part. 1. serm. 1. num. 16.* ubi juvenis quidam incæstuosus cum sorore sua, deinde fratricida, ac parricida; pluribusque aliis sceleribus obrutus, cum audisset Concionatorem de Misericordia Dei erga pœnitentes disserentem, tantam contritionem concepit de suis flagitiis, ut vi doloris expiraret ad pedes Confessarii; cui divinitùs revelatum fuit animam illam ob contritionis valorem à culpa, ac pœna omni absolutam, in cœlum ascendisse.

7 Secundò; Satisfactorii sunt actus exteriores virtutis, qui reducuntur ad tria capita, ut ait Concilium Tridentinum *d. sess. 14. can. 13.* nempe *ad jejunia, orationes, & eleemosynas*, quod dictum fuit etiam per Angelum Tobiæ 12. 8. *Bona est Oratio cum jejunio, & eleemosyna.* Et horum appellatione veniunt omnia alia opera pœnalia, & satisfactoria, de quibus infra. Congruentia horum trium operum est, quia complectuntur bona omnia, quæ homo potest offerre in satisfactionem, id est corpus, animam, & bona temporalia. Item quia satisfactio consistit in privatione voluntaria alicujus boni; & per jejunium homo privatur delectatione corporis, per orationem recreationibus mundi, & per eleemosynam complacentia rerum temporalium. Vel quia homo peccando lædit seipsum, Deum, ac proximum; ideò satisfacit per jejunium castigando seipsum; per orationem, honorando Deum; per eleemosynam subveniendo pauperibus. Ac etiam quia satisfactio debet esse medicinalis, & per jejunium homo medetur concupiscentiæ carnis; per orationem superbiæ vitæ; & per eleemosynam concupiscentiæ rerum externarum; ut bene considerat Suarez *de Pœnitent. disp. 37. sect. 6. num. 10.* & docet S. Thom. *supplem. quæst. 15. art. 3.*

Igitur jejunium est præcipuum opus satisfactorium pro pœna temporali peccati; & eo usi sunt Ninivitæ pœdicante Jona; nam factum fuit præceptum 8 à Rege, quod *homines, & jumenta, & boves, & pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant. Joan. 3. 7.* ubi Tirinus notat, Regem illum fuisse Sardanapalum, & subdit, *Qui etsi perditissimus esset moribus, totusque luxu difflueret, auditis tamen Jonæ prophetæ minis, compunctus, & conversus est, egitque pœnitentiam cum omnibus suis Ninivitis, ac proinde parcitum illis est à Deo.* Plura erant per annum jejunia de præcepto apud Hebræos, qui ad evatandas pœnas temporales ob eorum peccata sibi imminentes ad jejunium tanquam satisfactorium opus recurrebant, ut advertit idem Tirinus *in comment. Zachar. 7. verf. 2.* Et in Ecclesia Catholica ex Apostolorum traditione usque ab initio fuit in usu tum jejunium quadragesimale, tùm quatuor temporum, ut demonstrat Emin. Cardin. Baronius *Ann. 57. n. 199. & Ann. 388. n. 81.* Hoc quidem adinstar Primitiarum, quas in lege veteri volebat Deus sibi deferri, cumque duodecim sint menses anni, per quatuor tempora inditum fuit jejunium duodecim dierum, tanquam primitiæ mensium. Quadragesimale vero tanquam Decima omnium dierum totius anni; in quo computantur dies trecenti sexaginta sex. Ideo jejunabant primitivi Christiani triginta sex dies in quadragesima, hos consecrando tanquam Decimam cum jejunio, at paulo post Patres Apostolici superaddiderunt alios quatuor dies, ut jejunium Christi Domini imitaremur. Ita legitur in *cap. Quadragesima 16. de Consecrat. dist. 5.* & scribit Petrus Blesensis *serm. 13.* quem refert Magrius *in Hierolexic. Verb. Jejunium. col. 3.* subdens, quod ex hac additione orta est in Ecclesiis varietas quadragesimalis in jejunio incipiendo, nam 9 Ambrosiana Ecclesia illud incipit post primam Dominicam Quadragesimæ, jejunans dies triginta sex, more prisco, tanquam Decimam totius anni. Idem faciunt Græci, ac cæteri Orientales, sed incipiunt jejunare à primo die post Dominicam Quinquagesimæ, eo quia ipsi non jejunant Sabbatis, (Sabbato Sancto excepto) & iis detractis, ac diebus Dominicis, summa dierum jejunii ascendit ad triginta sex. At non est ignorandum, in Ecclesia latina omnibus Ecclesiasticis (quamvis hi jejunarent etiam in Sabbato) fuisse debitum incipiendi Quadragesimam, ac jejunium feria secunda post Dominicam Quinquagesimæ *ex cap. statuimus. cap. Quadragesima. & cap. Denique. dist. 4.* quos Canones, ait ibi Glossa, nunc esse abrogatos, scilicet quoad Clericos sæculares: secus autem quoad Regulares; & ideò in Regula Sancti Benedicti cum Declarationibus, & 10 Constitutionibus Patrum Congregationis Casinensis, Confirmatis ab Innocentio Papa XI. Anno 1684. *in tit. De Quadragesimæ observatione cap. 49. in declarat. num. 1.* hæc habentur verba: *Hanc Quadragesimam declaramus incipere, quo ad abstinentiam hujusmodi, secunda feria post quinquagesimam; itaut feria secunda, & tertia ante Cineres, abstinentia à lacticiniis in omnibus locis ab omnibus Fratribus, Monachis, & Prælatis nostris inviolabiliter observetur.* Et hinc est, quod in multis Monasteriis Monialium hujus Civitatis Paduæ talis sanctissimus mos servetur incipiendi jejunium Quadragesimale feria secunda post quinquagesimam; quod nonnulli Confessarii, ignorantes Jus antiquum, & Regulæ declarationem, non verentur damnare, ac parvipendere.

Porrò tacenda non est observantia jejunii primitivorum Christianorum circa horam comedendi, 11 circa ciborum qualitatem, & circa potum. Quo ad horam in Quadragesima non comedebant nisi Vespere, hoc est post occasum Solis, qua hora celebrabant Missam Vespertinam, ut dixi *de Sacrificio Missæ Decis. 39. num. 9.* ad quam Missam omnes conveniebant, & communicabant, ac completis vespertinis officiis, & datis eleemosynis solvebant jejunium. *cap. Solent. 50. De consecr. dist. 1.* In quatuor autem temporibus comedebant hora nona; tribus scilicet horis ante Solis occasum, ut ex S. Epiphanio, & Tertulliano demonstrat Emin. Cardin. Baronius *ad Annum 57. num. 199.* Emin. Cardin. Bona *Rer. Liturgic. libr. 1. cap. 21. num. 5.* ubi refert hæc Prudentii Carmina:

Nona submissumrotat hora Solem,
Partibus vix dum tribus evolutis,
Quarta devexo supereſt in axe
Portio lucis.
Nos brevis voti dape vindicata
Solvimus Festum, fruimurque mensis,
Affatim plenis, quibus imbuatur
Prona voluptas.

Hunc usum cœnandi vel propè, vel in occasu Solis in die jejunii primitiva Ecclesia videtur mutuata à Judæis,

à Judæis, quos S. Hieronymus *lib. 2. contra Jovinian.* tradit, non nisi sub stellæ ortu cœnare consuevisse; eumdemque morem servare etiam nunc Christianos in Æthiopia, testatur Patriarcha Mendezius *lib. 11. cap. 9. num. 10.* nec non Mahumetanos P. Ludovic. Marraccius *in Prodromo ad refut. Alcorani part. 3. cap. 12. pag. 34.* sic scribens de ridiculis, imò nefandis Turcarum jejuniis: *Horum forma in hoc sita est, ut per mensem lunarem nihil comedant, aut bibant tempore diurno, reliquo verò tempore, per totam noctem comedant, bibant, ingurgitentur; delassentur in uxoribus subagitandis, & per vias urbis in morem ebriorum, vel fanaticorum cursitantes, bacchanalia veriùs celebrent, quam jejunia.* At his immunditiis ablegatis, laudabilem consuetudinem unicæ comestionis vespertinæ in jejuniis adhuc vigere apud omnes Christianos Orientales notat etiam Magrius *in Hierolex. Verb. Jejunium col. 1.* Verum enim verò in Europa ex indulgentia Ecclesiæ vel ob adauctam corporum debilitatem, vel diminutum animarum fervorem, permissum est jejunantibus cibum capere in meridie; prout etiam ex eadem Indulgentia jejunium, quod erat de Præcepto bis in singulis hebdomadis, redactum est ad solam abstinentiam à carnibus feria sexta, & Sabbato per totum annum, *cap. Quia dies 31. De consecrat. dist. 5. & cap. libr. de observ. jejun.* Layman *lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 8. & cap. 2. num. 3.* advertens consuetudinem permittere quoque cœnulam, seu collatiunculam nocturnam in die jejunii ad conciliandum somnum, quapropter addit Azorius *lib. 7. cap. 8. quæst. 8. corruptelam esse, si in ea cibi sumuntur, qui potissimum ad nutriendum valent, qualia sunt legumina, & pisces.*

Quo verò ad qualitatem ciborum Ecclesia Catholica ad differentiam Judæorum, & Turcarum comedentium carnes, ova & lacticinia; ab his omnibus semper abstinuit; imo tanto rigore primitivi Christiani jejunabant, ut in diebus jejunii neque pisces comederent, neque pulmenta, sed solis fructibus siccis qui Xerophagia vocabantur, essent con-
12 tenti; ut bene observant Magrius *in Hierolex. Verb. Xerophagia;* & Illustrissimus Episcopus Sarnelius. *Epistolar. tom. 2. Epist. 7.* allegantes Concilii Laodiceni *can. 50.* præcipientis, quod *oportet totam Quadragesimam jejunare, Xerophagiis utentes;* & auctoritatem Tertulliani dicentis *libr. 1. adversf. Psychicos: Xerophagiam observamus, siccantes cibum ab omni carne (idest piscium) & vinolentia, & vividioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis vel edamus, vel potemus:* Nam & à potu vini abstinebant, sitim pura aqua extinguentes; & quia non comedebant, nisi hora vespertina, ideò etiam à quocunque potu erant alieni in die jejunii, quocirca cum S. Fructuoso Martyri, dira siti laboranti in martyrio, exhibuissent Christiani poculum aquæ, eam recusavit, quia dies jejunii erat, & nondum venerat hora sumendi cibi, vel potus; unde de hac recusatione cecinit Prudentius, relatus ab eorum Episcopo Sarnellio *d. Epist. 7.* & ab Eminent. Card. Bona *Rerum Liturgic. d. libr. 1. capit. 21. num. 5.*

Jejunamus, ait, recuso potum,
Nondum Nona diem resolvit hora,

Nunc autem ex indulgentia Ecclesiæ concocti cibi, pultes cum oleo, & pisces in diebus jejuniorum liciti sunt; ac etiam potus vini, non solùm in comestione, sed etiam postea; quia ut inquit S. Thomas *2. 2. q. 147. art. 6. Sumitur ad digestionem ciborum assumptorum magis, quam ad nutritionem; licet aliquo modo nutriat.* At carnis, ovorum, ac lacticiniorum esus in Quadragesima est penitus interdictus; & Alexander Papa VII. *die 18. Martii 1666.* inter cæteras scandalosas opiniones, etiam illam damnavit, quæ
13 astruebat *Ecclesiæ consuetudinem abstinendi in Quadragesima ab esu ovorum, ac lacticiniorum non obligare.* Quamvis Sedes Apostolica dispensetcum diversis populis penuriam piscium, aut olei patientibus, ut infra hebdomadas Quadragesimæ aliquibus diebus possint ova, & lacticinia comedere; ut in montibus hujus Diœcesis Patavinæ, vulgò *Li Sette Communi* est in praxi. Nec omittendum, quod notat Layman *d. libr. 4. tract. 8. cap. 2. num. 2.* scilicet in aliquibus Galliæ partibus consuetudinem permittere carnium esum in die Sabbati à Natali Domini usque ad purificationem; & in Hispania pecorum intestina, ac extremitates concessum esse comedere in diebus Sabbatis per annum. De aliis autem Vigiliis Sanctorum cum præcepto jejunii extat Præceptum Ecclesiæ *in tit. de observat. jejun.* quæ quidem jejunia vocantur Vigiliæ, quia fideles
14 sumpta brevi cœna in vespere ante festivitatē vigilabant tota nocte in Ecclesia adstantes orationibus, ac divinis officiis; quæ etiam Stationes dicebantur, ab existentia ipsa, quam Christiani more militum in castris præstabant in Ecclesia jejunantes. Layman, *d. cap. 2. num. 7.*

His ad ornatum materiæ de jejunio breviter dictis, revertentes ad ipsum jejunium tanquam opus satisfactorium pro pœnis temporalibus luendis ob commissa, & dimissa peccata, fuit omni tempore practicatum à pœnitentibus, ut testantur Historiæ Ecclesiasticæ, ac vitæ Sanctorum. Refert Eminent. Card. Baronius *Ann. 57. num. 196.* exempla plurima
15 rigorosi jejunii, quod Christi fideles tempore S. Hieronymi, S. Gregorii Nazianzeni, ac S. Augustini servabant, ut satisfacerent Deo pro suis culpis. S. Corpræus Episcopus Hiberniæ, qui obiit anno 886. dum suam exerceret sollicitudinem Pastoralem vivens, vidit animam Malachiæ Regis ejusdem Insulæ in igne Purgatorii cruciatus magnos
16 patientem; cumque sibi ab ea postularentur suffragia statuit cum Canonicis suis ter in hebdomada pro ipsa jejunare; & completo anno eadem Anima apparuit ei dicens, satisfactum esse pœnis à se debitis, & ascendere ad cœlorum Regnum; ita Hieronym. à Basilica Petri *in Ephemerid. Sacris 6. Martii.* Anima Antonii Martinezii Curati Parochialis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Stella,
17 Diœcesis Calaguritanæ, defuncti *die 6. Aprilis 1639.* quæ apparuit cuidam suo Parochiano, (ut retuli *De Sacrificio Missæ Decis. XXXIV. num. 13. & 14.*) inter cætera suffragia, quæ petiit ab ipso (ibi per me enarrata) postulavit, *ut jejunaret septem sextis feriis in pane, & aqua;* etenim jejunium plurimi valet ad satisfaciendum Deo pro peccatis. Hinc ajebat S. Jo. Chrysostomus *Hom. 1. de Jejunio: Jejuna, quia peccasti:* scilicet, ut satisfacias pro pœna temporali debita, pro peccatis; nam, & S. Bernardus *Serm. 4. de Quadragesf.* testatur dicens: *Jejunium delet peccata præterita, quæ commisimus.* Et S. Thomas *2. 2. qu. 147. art. 1.* inter tria bona, quæ nascuntur à jejunio, ponit satisfactionem pro peccatis; quia inquit, *Jejunium assumitur tertiò ad satisfaciendum pro peccatis.* Hinc in Canonibus Pœnitentialibus descriptis in fine Decreti Gratiani, & relatis à Reginaldo *in Praxi for. Pœnit. lib. 7. n. 54.* ferè ad omnia

Peccata inter alias pœnitentias erat injunctum jejunium, & quidem rigorosum. Exempli gratia, qui
18 blasphemiam protulerit in Deum, vel Sanctos, *jejunet in pane, & aqua septem sextis feriis, cap. ult. de Maledic.* Item qui perjurium sciens admiserit *jejunet quadraginta dies in pane, & aqua cap. Quicunque. 6. quæst.* 1. Qui alium ad pejerandum induxerit, *quadraginta dies pœniteat in pane, & aqua. cap. Si quis pejeraverit 22. quæst.* 5. Mensuras adulterans *triginta diebus jejunet in pane, & aqua, cap. 2. de Empt. & Vendit.* Et ut alias plures consimiles pœnitentias pro peccatis Laicorum omittamus, considerabilis est illa, quam Canones antiqui imponebant Presbytero fornicanti: de qua *in cap. Presbyter ult. dist.* 82. ubi ita legitur: *Si in vitio non perduraverit, sed sua sponte confessus adjecit, ut resurgat, decem annis in hunc modum pœniteat: tribus quidem mensibus privato loco, à cæteris remotus pane, & aqua à Vespera in Vesperam utatur: tantum autem diebus Dominicis, & præcipuis festis modico vino, & piscículis, atque leguminibus recreetur, sine carne, & sagimine, ovis, & caseo. Sacco indutus humi adhæreat: die, ac nocte jugiter misericordiam Dei omnipotentis imploret.* Et paulo post: *Postea aliquantisper resumptis viribus unum annum, & dimidium in pane, & aqua expleat, exceptis Dominicis, & præcipuis festis.* Et infra: *Deindè verò usque ad expletionem septimi anni, omni quidem tempore exceptis Paschalibus diebus tres legitimas ferias in unquaque hebdomada in pane, & aqua jejunet.* Et ultimo: *Finitis autem septem annis, deinde usque ad finem septimi anni sextam feriam (nulla interveniente redemptione) observet in pane, & aqua.* Ecce quam rigorosa pœnitentia pro lapsu carnis in Presbytero, & quanta vis, & valor satisfactionis in jejunio.

DECISIO V.

ARGUMENTUM.

Cilicium, quod est magnæ virtutis ad satisfaciendum pro peccatis, undè dictum? Quid & Quotuplex sit? De Ciliciorum usu in lege naturæ, Moysis, & Christi. De Cilicio Jacobi Patriarchæ, Achabi, Davidis, Jorami, Judithæ, Isaiæ, Machabæorum, S. Joannis Baptistæ; nec non Summorum Pontificum Romanorum, Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, Sacerdotum, Virginum, & Laicorum; atque de his omnibus exempla plurima, & non injucunda.

SUMMARIUM.

1 *Cilicium unde dictum? Quotuplex? num.* 2.
3 *Cilicia pro usu Pœnitentiæ antiquissima; exempla legis Naturæ, & Mosaycæ. num.* 4. *Et gratiæ. num.* 5.
6 *Thesaurus Ecclesiæ pro Indulgentiis undè constatus?*
7 *Cilicia Summorum Pontificum.*
8 *Cardinalium.*
9 *Episcoporum.*
10 *Abbatum.*
11 *Sæcularium Presbyterorum.*
12 *Regularium.*
13 *Virginum.*
14 *Viduarum.*
15 *Laicorum hominum.*

PRæter jejunium, ad satisfaciendum pro peccatorum pœnis, semper reputatum fuit magnæ Virtutis Cilicium: idcirco de eo, tanquam præcipuo Pœnitentiali opere, est agendum. *Cilicium* ita nominatur à *Cilicia* Provincia, in qua, ut scribit Varro *lib. 2. de Re rustica*, *cilicia* texebantur; quædam scilicet indumenta è pilis caprinis, ita densa, 1
ut in defensionem militum servirent; nec non apta forent ad erigenda in castris tabernacula, & tentoria ad exercitus castrametandos, quod Arabes, & Saraceni in deserto facere consuescunt; & de his tabernaculis è pilis caprarum contextis ajebat Sponsa in *Cantic. 1. Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar.* Nam *Cedar* fuerat filius Ismaelis, à quo descendunt Ismaelitæ, & Agareni, soliti habitare sub prædictis tabernaculis, ut testatur etiam Regius Psaltes dicens *Psal.* 63. *Dispoſuerunt tabernacula Idumæorum & Ismaelitæ*; quod sulius docet Magrius *in Hierolexic. Verb. Trichinas*; quod est verbum græcum significans *Cilicium*; unde S. Theodorus vocabatur *Trichinas* à Græcis ob continuum, & asperum cilicium, quod in suo corpore gerebat.

Duplex est forma Ciliciorum. Una est quoddam indumentum asperum, è pilis caprarum, seu camelorum, aut aliorum animalium contextum; quod induere soliti sunt non solùm sancti homines super 2
nudam carnem pœnitentiæ causa; sed etiam illud deferri à pœnitentibus, ad humeros, & latera constrictum, cum nimia, ob puncturas ejus, afflictione, mos semper fuit in lege tùm naturæ, tùm Moysis, tùm Evangelii ad placandum Deum, & ad satisfaciendum ejus Divinæ Justitiæ pro culpis patratis. Nec ignorasse hanc pœnitendi methodum videntur Poëtæ ipsi profani; ait enim Ovidius *Epist.* 9.

Aspera texerunt vellera molle latus.

Nec non Tibullus *lib. 1. Eleg. 9.*

Horrida villosa corpora veste tegam.

Et plura de his ciliciis, eorumque usu legi possunt apud Pignorium *Epist. 7. ad Franc. Viduam J. C.* quem refert Vossius *in Etymolog. ling. lat. Verb. Cilicia.*

Altera autem Cilicii species, à duobus præteritis sæculis citra deducta in usu, catenula scilicet, adinstar cinctorii, ex filo ferreo, seu ex aurichalco, vel argento compacta; qua lumbi pœnitentium, & hominum Deo servientium præcinguntur, cum minori læsione sanitatis, etsi non cum minori vexatione corporis; non enim inflammat jecur, & sanguinem, ut faciunt Cilicia villosa, causantia calorem magnum in hepaticis; at affligit, ac dentulis aculeatis jugiter pungit renes, ac lumbos, ubi luxuriei vasa residunt, mirabiliterque deservit ad reprimendos motus carnis, & ad tuendam castitatem; quod profitetur Ecclesia in Hymno Matutinali Sabbati, canens:

Lumbos, jecurque morbidum
Flammis adure congruis;
Accincti ut artus excubent,
Luxu remoto pessimo.

Cæterum de Ciliciis ex pilis caprarum, & camelorum compositis, & contextis loquentes, ea anti- 3
quissima esse constat, & iisdem usos fuisse homines, ut se affligerent ad Deum placandum; & ad satisfaciendum pro pœnis peccatorum; siquidem habentur exempla, ut dictum est, etiam tempore legis naturæ, videlicet in Patriarcha Jacob, qui vivebat ante Christum annos mille octingentis; de ipso enim testatur Scriptura Sacra, quod credens filium suum Joseph, quem fratres Ismaelitis vendiderant, à feris

devora-

devoratum, *Scissis vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. Genes.* 37. 34. Quo loci ita notat Cornel. à Lapide: *Primus, qui in luctu saccum, sive cilicium induisse legitur, fuit Jacob hoc loco, unde postea idipsum ejus posteri, puta Israelitæ, in luctu imitati sunt, hinc etiam in Vestibus Christianorum pœnitentium, jam olim erat cilicium, teste Tertulliano liber de Pœnit. Jacobo erga Patriarcha, quasi antesignano, glorientur ciliciphori, eumque opponant mollibus Novantibus, qui aspera omnia aspernantur, ciliciumque numquam induerunt, & forte numquam viderunt.*

In lege autem Mosayca insigne est exemplum cilicii, quod pœnitentiæ causa induit Achab Rex Israel, ut legitur 3. *Reg.* 21. 4. & refertur *in cap. Achab. de Pœnit. dist.* 3. Illum enim cum Elias increpasset de morte Nabothi; & minatus esset ex Dei jussu punitionem; ipse Achab, *cum audisset sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam; jejunavitque, & dormivit in sacco, & ambalavit demisso capite.* Et quamvis contendant Sancti patres, quos allegat Salianus *ad Ann. Mund.* 3137. *num.* 23. an vera fuerit Pœnitentia Achabi, vel ficta? certum est, quod Deus ad eam respexit, & distulit punitionem, unde colligitur, quod licet sola attritio tunc & nunc non valeat ad dimittendam culpam, nihilominus non est prorsus inutilis circa pœnam, ut Scholastici, ac Scripturistæ ratiocinantur, Regi autem David frequens erat usus cilicii, ut ipse testatur *Psal.* 34. 13. *Cum mihi molesti essent, induebar cilicio.* Et *Psal.* 68. 12. *Et posui vestimentum meum cilicium.* Et cum grassaretur pestis in populo 1. *Paralip.* 21. 16. *Ceciderunt tam ipse (David) quàm majores natu vestiti ciliciis proni in terram.* Rex Joram cum audisset à muliere in illa magna penuria ob defectum pluviæ, quod coxerat, & comederat filiolum suum. 4. *Reg.* 6. 30. *Scidit vestimenta sua; viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus;* scilicet ad placandum Deum, & avertendam magnam illam pœnam famis in toto Regno. Juditha sanctissima juvenis, vitam pœnitentem in viduitate agens, *cum puellis suis clausa morabatur; & habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ præter Sabbatha. Judit.* 8. 6. Et Holoferne obsidente Samariam, *Induerunt se Sacerdotes ciliciis. ibid.* 4. 9. Ad Isaiam Prophetam legitur, quod Dominus dixerit: *Solve Saccum de lumbis tuis, Isa.* 20. 2. Quo loci ita notat Tirinus: *Pœnitentiæ usus utebantur olim Prophetæ cilicina Veste, ferè ut nunc Capuccini.* Et generaliter quotiescunque provocaretur Divina justitia ad puniendum populum peste, aut bello ob peccata, Sacerdotes, aç Prophetæ prædicabant Pœnitentiam, & hortabantur populum ut ciliciis se vestiret. Ita Jeremias 4. 8. *Accingite vos ciliciis plangite & ululate.* Itidem 4. *Esdra* 16. 2. *Præcingite vos saccis. & ciliciis.* Et Machabæi in angustiis ob bella, *Deprecabantur Dominum caput terra aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti.* 2. *Machab.* 10. 25.

In lege gratiæ semper fuit in usu Cilicium in signum Pœnitentiæ. Magnus Christi Præcursor Joannes Baptista, dum prædicaret pœnitentiam, *habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Matth.* 3. 4. id est, induebat asperrimum cilicium, undè de eò ita ait Eusebius Emissenus: *Joannes venit in virtute, & spiritu Eliæ: Iste cilicio vestitus: ille pilis camelorum.* Et subindè omnes Christiani acturi pœnitentiam inter cætera opera pœnalia assumebant cilicium; ut de eis ita scribit Cabasutius *in Notitia Concilior. ad Canones Nicænos* 11. 12. 14. *pag.* 62. *Pœnitentium habitus erant puellæ vestes, cinere conspersæ, sacci, cilicia, squallor capitis inculti, totiusque corporis neglectus.* plures auctoritates Sanctorum Patrum, & conciliorum; de quibus etiam videndus Eminent. Card. Baronius *Ann.* 31. *num.* 12. *& Ann.* 1056. *num.* 12. Et novissimè Illustrissimus Baptaglinus Episcopus Nucerinus in sua universali Historia Conciliorum; præcipuè *ad Concil. Toletan.* 3. *Anno* 589. *num.* 5. ubi *Can.* 11. statutum fuit, quod *Viris pœnitentibus raderentur comæ, & vestes mutarentur in cinere, & cilicio.* Concordat S. Hieronymus *in cap.* 1. *Joelis*, relatus *in cap. Qui Sanctus* 66. *de pœnit. dist.* 1. dicens: *qui autem peccator est, & quem remordet propria conscientia, cilicio accingatur.*

Porro omnibus Sanctis utriusque sexus in Ecclesia Catholica mos semper fuit, artus proprios cilicio macerare, & pœnitentiam, quamvis innocentem vitam agerent, continuam facere; ex quorum tàm magnis pœnitentiis, & satisfactionibus conflari thesaurum Ecclesiæ (etsi præcipuè constet ex Christi Domini meritis, & satisfactionibus infinitis) optimè probat Gobatus in *Quinario tractat.* 4. *num.* 21. utpotè quia Deiparæ Matris, aliorumque præstantium Sanctorum sanctæ actiones *potuerint longè plus pœnæ expiare, quam eorum aut peccata, illa fuerint promerita;* ut dilleritur *in extravag Unigenitus. De pœnit. & Remissionib.* ex quo Thesauro extrahuntur Indulgentiæ, id est, satisfactiones ipsius Christi Domini, Sanctissimæ Virginis ejus Genitricis, ac Sanctorum & applicantur nobis miseris peccatoribus in satisfactionem pœnarum, quas pro nostris culpis solvere, & luere essemus adstricti.

Ne pigeat lectorem, ut cursim referam usum cilicii, tanquam opus pœnitentiale, & satisfactorium, quem exercuerunt in Ecclesia Catholica Summi Pontifices Romani; Cardinales, Episcopi, Anachoretæ, Sacerdotes Sæculares, ac Regulares, Virgines, & Laici utriusque sexus tùm in statu viduitatis tùm Matrimonii; prout legitur in eorum vitis per probos Auctores conscriptis.

Ex Summis Pontificibus Romanis inter antiquos insigne est exemplum Sancti Marcellini, qui *in immani illa Diocletiani Imperatoris persecutione terrore perterritus, deorum simulacris thus adhibuit: cujus peccati mox illum tantopere pœnituit, ut Sinuessam,* (Urbem Campaniæ nunc excisam, in cujus loco nunc est *la Rocca di Mondragone*) *ad Concilium plurimorum Episcoporum venerit CILICIO indutus, ubi lacrymis profusis scelus suum palam confessus est.* Ita *Brev. Rom. die* 26. *Apr.* Inter modernos autem splendet pœnitentia cilicina Sancti Pii Quinti Summi Pontificis, in quo cum in ejus adolescentia esset *Summa vitæ austeritas*, eam servatam voluit etiam in ultima senectute; nam ut scribit Hieronymus Catena *in ejus vita pag.* 20. elevatus ad Summi Pontificatus apicem, *non compero nuovi vestimenti, servendosi de i vecchi di Paolo Quarto, mentre durarono; ne più aggiunse, se non una Tunicella di lana alle due, che haveva prima; le quali egli usava in vece di camiscia di lino; riprendendo quel ministro, che per essere Papa, la fece la prima volta di più gentile rascia, della quale non volle vestirsi, ma della solita grossa. Non fece dunque niun mutamento, salvo nell habito esteriore.* Et prosequitur narrando ejusdem rigorosa jejunia.

Ex Cardinalibus fulget Austeritas vitæ Sancti Ca-
8 roli Borromei, de quo testatur Ecclesia, quod *Nocturnis vigiliis, asperrimo CILICIO, assiduis flagellis, corpus domabat. lect. 6. Breviar.* Quod etiam expressum fuit in ejus vita à Jo: Petro Jussano *lib. 8. cap. 21.* his verbis: *Portava duro CILICIO sopra la carne, il quale hora si conserva con veneratione in un Reliquiario nell' Hospitale maggiore di Milano; e si vede rappezzato in molti luoghi per il continuo uso; havendone pur anche de gli altri, uno de quali fù diviso in molti pezzi alla sua morte.* Exemplum hujus Sancti imitati sunt Cardinales Baronius, ac Bellarminus, de primo enim ita legitur in ejus Vita *lib. 3. cap. 2. In publicis Ecclesiæ calamitatibus asperrimum CILICIUM induebat, & ad Deiparam confugiens, affectu, & fiducia planè filiali dicere solebat, Ego (Sanctissima Mater) CILICIUM hoc numquam exuam, nisi prius afflictis Ecclesiæ rebus opem feras.* Et in eadem vita *lib. 3. cap. 11. Pro linea interula, ut antea narravimus, saccum induebat, CILICIO etiam sæpissimè corpus macerabat; quod præsertim in Ecclesiæ necessitatibus, quasi loricam quamdam firmissimam, bonus Christi miles contra Diabolum pugnaturus induere consuevit; atque in solemnioribus diebus, quibus aut Pontifici publice assistere cogebatur; aut aliquid ejusmodi nunus suæ Dignitatis proprium obitat.* De secundo autem, Cardinali scilicet Bellarmino, in ejus pariter vita *cap.* 18. plurimæ narrantur ejus voluntariæ pœnalitates; etsi, ait Auctor, *Per tutta la vita stette sù l'aviso, per occultare con santa industria tutte le mortificationi, come portare CILICII, far discipline, & altre simili penitenze, per ischivare ogni sorte d' ostentatione.* His addendus Cardinalis Ximines, qui ab indiscreto Prædicatore reprehensus de mollibus vestibus exterioribus, statim completa concione ostendit eidem aspertimum CILICIUM, quod loco subuculæ deferebat sub illis vestibus. M. Audin *in Fabul Heroic. part. 1. pag.* 14.

Episcoporum autem infinitus est numerus, à
9 quibus familiariter induebatur Cilicium, ut apud Surium licet videre, à quo hæc pauca exempla decerpam. De Sancto Martino Episcopo Turonensi *ex Dialogo secundo Sulpitii cap. 6.* ita *die 11. Novembr.* habetur. *CILICIO obvolvitur, cinere conspergitur, cibo potuque abstinet.* Et ex *Dialog. 3. cap. 6. In medio Ecclesiæ CILICIO circumtectus, cinere respersus, solo stratus, orabat.* De Sancto Eligio Episcopo Noviomensi, *die prima Decembris*, B. Audoenus Præsul Rothomagensis *cap.* 12. apud Surium narrat quod prædictus Sanctus Eligius adhuc Laicus nobilis, & dives, etsi extrinsecus holoserica portaret vestimenta, *intrinsecus verè ad carnem CILICIUM gestabat ex consuetudine.* Ipsummet cilicium habitum portabant S. Maglorius Episcopus Dolensis; S. Lambertus Episcopus Tungrensis; S. Maximus Episcopus Rhegiensis; S. Laurentius Episcopus Dublinensis; & S. Edmundus Episcopus Cantuariensis; de hujus cilicii asperitate idem Surius *die 16. Novembris cap* 9. multa quidem digna scitu scribit: sed & illud mirabile *cap.* 16. subdit, quod *quidam ejus cubicularius CILICIUM, & femoralia CILICINA, quæ usu diuturno contriverat, ab eo combu. renda accepit. Et ille quidem misit ea in ignem; sed ignis lambens ea, consumere non potuit: tanquam vereretur sacrilegii notam sibi inustum iri, si læderet ea, quæ beati Viri carnem attigissent.* At plurimis aliis de ciliciis Sanctorum Præsulum exemplis relictis, illud est insigne, & notatu dignissimum, quod de Sancto Thoma Martyre, pariter Cantuariensi Antistite, ex Cantipratano *lib. 2. Apum cap. 29. in notis* transcribit Bagatta *de Admirand. Orb. Christian. tom. 2. lib. 8. cap. 1. §. 2. num.* 3. Videlicet, prædictum Sanctum Martyrem, & Pontificem voluisse aliquando cilicium, quo utebatur, nimia antiquitate atritum, acu reparare propriis manibus, ne alicui instrumentum illud sui corporis afflictivum innotesceret. At, subdit Auctor ejus vitæ; cum S. Thomas *operis hujus ignarus, & expers, anxius quid faceret, qualiter inciperet, ignoraret; ecce Regina mundi, operis non ignara, salutat Præsulem, confortat, ne timeat, de manibus ejus accipit cilicinam vestem, residet juxta illum, & convenientissimè reparat laceratam. Nec mora, opere completo, disparet; Præsul autem effusus in lacrymas, laudes pro retio cum multa admiratione rependit.* En quanti æstiment cœlites, ac cœlitum Regina, Dei Mater, cilicinas vestes, quibus utebantur Sancti Viri pro pœnitentia?

Pro Sanctis Abbatibus usum Cilicii testificatur S. Hilarion, de quo hanc laudem recitat Ecclesia in Breviario Lectionum ejus *die 21. Octobr. Nec verò Saccum, quo semel amictus est, umquam aut lavit, aut mutavit, cum supervacaneum esse diceret, munditias in CILICIO quærere.* 10

Sæcularium Presbyterorum Ciliciis utentium frequentia dat exempla Surius in Vitis Sanctorum inter quæ illud S. Amabilis, *die 19. Octobris tom. 5. cap. 8.* his verbis: *Vestem CILICINAM ferebat ad nudum corpus, cujusque asperitate carnis petulantiam sapienter reprimebat; sed celabat id alios; mediocribus indumentis illud obtegens, seque induens extrinsecus.* 11 Et ne solius antiquitatis usus cilicii Sacerdotum fuisse credatur, convenit hic nonnulla exempla referre Sacerdotum proximè elapsi sæculi; ac præsertim Venerabilis Vincentii de Paulis fundatoris Congregationis, vulgo *della Missione*, qui in ætate annorum 85. temporalem vitam deposuit, ac æternam est adeptus Parisiis Anno 1660. de eo enim Dominicus Acami Presbyter Congregationis Oratorii in ejus vita, Romæ typis impressa *Anno 1677. lib. 2. cap. 19.* narrat, quod ultra incessantes ejus pœnitentiales actus, jejuniorum, ac flagellationum sui corporis, *Aggiungeva all' uso delle discipline quello del CILICIO, e di alcune cinte di ferro con punte molto acute, con le quali si cingeva le reni e le braccia.* In memoriis Historicis Congregationis Oratorii piè, ac doctè conscriptis per *R. P. Joannem Martianæ* Sacerdotem Congregationis ejusdem, plurima hujus austeritatis cilicinæ habentur testimonia de sæcularibus Presbyteris Prædicti Oratorii: Videlicet *tom. 1. lib. 5. cap. 6.* de R. Julio Saviolo Nobili Patavino, ac Sacerdote, de quo asserit, *che divenuto per così dire, carnefice di sè stesso, affliggeva in varie guise aspramente il suo corpo, per farne un odoroso holocausto di penitenza, e di mortificatione al suo Dio.* Et relatis ejus quotidianis disciplinis subdit: *Di più con acute catenelle di ferro sopra la nuda carne frenava questa, che ubbidiente allo spirito non era avvezza punto à ricalcitrare.* Eodem tomo primo *lib. 5. cap. 9.* narrat de R. Flaminio Riccio Sacerdote, hæc fuisse reperta scripta ab eodem exequenda: *Die secundæ feriæ disciplina in Oratorio, Visitatio Hospitalium, & infirmorum. Die quartæ feriæ abstinentia Item CILICII cinctorium. Item disciplina in Oratorio. Die Veneris jejunium. Item dormitio super tabulas cum culcitra duplici. Item disciplina in Oratorio. Sabbato abstinentia de fero.* In prænominato *tom. 1. libr. 6. c. 7.* hæc ponit idem Auctor in vita

R. Prosperi

R. Prosperi Airoli : *Oltre le solite discipline dell' Oratorio frequentemente con catenelle di ferro percoteva aspramente sè stesso, e con Cilicii similmente con le punte di ferro, e con altri instromenti di penitenza macerava quella carne, che non isperimentava rubelle.* D.R. Alexandro Borla, uno ex primis Presbyteris Congregationis Oratorii Neapolis, hæc habet idem Marcianus Historicus *t. 2 lib. 2. cap. 3. Cingeasi attorno i lombi una grossa catena di ferro di peso di più rotola, la quale si stima da probabili congetture, che mai, ò rare volte se la sciogliesse; perche fu veduta la sua camicia intorno intorno nella cintura tinta di ruggine, che dalla catena era à quella impressa. Anzidopò la sua morte,* (quæ successit die 13. Martii 1592.) *non solo furono trovate le sue discipline, & altri instromenti di pœnitenza tinti del proprio Sangue; mà nelle stesse cinte di ferro attaccata parte delle sue carni.* De Sacerdote Donato Antonio Martucio prænominatæ Congregationis Neapolitanæ *d. tom. 2. lib. 2 cap. 12.* ait : *Sotto le vesti leggiere, che usava, portava pesanti catene di ferro, colle quali cingeva i suoi lombi, & un aspro CILICIO, col. quale pungea la sua carne innocente, sopra la quale scaricava sovente dolorosi flagelli.* Et de R. Joanne Thoma Eustachio, qui postea fuit Episcopus Larinensis, *d. tom. 2. libr. 2. cap. 4. Privossi affatto del vino, e sopra le spalle impose un aspro CILICIO in forma di croce, che l' afflisse talmente, che un Padre suo confidente testimonio di veduta scrisse, Vidi humeros emarcuisse.* Et paulo post : *Coll' occasione di leggere nella festa della gran Vergine, e Martire Santa Cecilia, che CILICIO membra domabat, quasi quella tenera donzella condannasse se come soverchiamente delicata, perche dopò d' haverli il CILICIO infracidito per così dire le spalle, l' havea deposto; lo ripiglio di nuovo, ne mai più se lo tolse, così di giorno, come di notte, se non sol quanto gli facea ciò di mestiere per maggiormente affliggersi con revoltarlo, ò pure per lavarlo. Con pungenti cingoli di ferro si strinse fortemente i lombi, che non mai, e rare volte si toglieva da dosso, si come lo testificavano con voci di Sangue le sue camicie, quali benche lavate ritenevano i segni del sangue, e della ruggine altamente impressi.* Sanctissimè obiit Calendis Januarii Anno 1641. Non dissimilis erat pœnitentia R. Francisci Antonii de Afflictis, de quo *d. tom. 2. lib. 4. cap. 6.* pariter narrat, quod erat *così inclinato alle penitenze, che andava continuamente carico di CILICII, e catenelle di ferro.* Et de R. Antonio Glielmio, eximio scriptore duorum illorum Tractatuum *delle grandezze, e dei Riflessi della Santissima TRINITA'*, qui mortalem vitam exuit Anno 1645. hæc similiter suggerit *d. lib. 4. cap. 11. Aggiungeva alle discipline il più prolisso tormento di asprissimi CILICII, co' quali macerava il suo corpo.* Et de alio Presbytero Petro Catena *d. tom 2. libr. 5. cap. 24. Con hispidi, e pungenti CILICII affliggeva il Padre Pietro continuamente il suo corpo, quali non mai da se allontano, se non per comando assoluto di Medici negl' incendii di quell' ultima febbre, che ridusse il suo afflitto corpo in cenere.*

Alia plura quidem de Ciliciorum usu possent referri exempla in vitis sæcularium Presbyterorũ; sed hæc sufficiant, ut Parochos, Confessarios, aliosque Mystas lectores vel confortent in portando ad artus proprios cilicio; vel illud, ut assumant, si fortè nondum hujus pœnitentialis instrumenti usum eos habuisse contingat, excitent, & hortentur.

De Regularibus autem Sacerdotibus superfluum videtur exempla retexere; cum idem sit quærere, utrùm sint stellæ in æthere? ac an sint in cœnobiis cilicia Videamus, quomodo iis usi sint juniores sancti, ac servi Dei, quos à vetustioribus edoctos fuisse nefas esset dubitare. 12

Primum locum sibi vindicat gloriosus Patriarcha Sanctus Ignatius Loyola, de quo sic legimus in Breviario Romano *Lect. 4.* de principio ejus spiritualis vitæ. *Indutus Sacco, traditis antea mendico pretiosis vestibus, Manresam secessit; ubi emendicato pane, & aqua victitans, exceptisque diebus Dominicis jejunans; aspera catena, CILICIO que carnem domans, humi cubans, & ferreis se flagellis cruentans per annum commoratus est.* Quod repetitur in ejus Vita, Italico sermone typis impressa Venetiis *Anno 1687. cap. 4.* his verbis: *Oltre il ruvidissimo sacco, che si disse, vestiva sù la nuda carne un horrido CILICIO, nè questo, nè quello deponendo giamai; cingeva di più con grossa catena di ferro la vita.* De quo quidem cilicio *cap. 8. pag. 76.* ita subditur : *Trà suoi dolori di morte fino in punto d' esalar l' anima, non consentì mai, che gli levassero di sopra la carne il crudo CILICIO, che giorno, e notte portava; finche glie ne fece precetto il P. F. Diego d' Alcantara dell' Ordine di S. Francesco suo Confessore. Si conservò detto CILICIO da Giovanni Pasquali, e da lui con iscrittura di proprio pugno, come il meglio di sua heredità, lasciato à figliuoli, servì à dar ad infermi assai, à quali era portato, e la sanità: e la vita: fin tanto che nel 1606. il Duca di Monteleone D. Hettore Pignatelli, Vice Rè di Catalogna, ottenutolo à gran prieghi, lo fece tesoro della sua Casa.* De Sancto Francisco Xaverio, magno Indiarum Apostolo satis sit, quod summariè refert Ecclesia, dum relatis ejus animæ cœlestibus delitiis ait; quod illas, *magnis sui corporis cruciatibus merebatur.* In Breviario *lect. 4.* & quod innuit Ribadeneira in ejus vita *pag. 657.* his verbis. *Tutto il rimanente della vita sua fù una perpetua mortificatione nel mangiare, nel bere, nel vestire povero, ne' digiuni, discipline, CILICII, e penitenze.* Idem legimus de Sancto Cajetano Thienæo, qui *corpus integras noctes interdum verberationibus affligebat; nec unquam adduci potuit, ut vitæ asperitatem emolliret; testatus in cinere, & CILICIO velle se mori.* Breviar. *lect. 6.* Non dissimilis in pœnitentia fuit ille, qui miraculum Principum appellabatur, scilicet Sanctus Franciscus Borgia, de quo in Breviar, *lect. 5.* hæc ponit Ecclesia: *In eo arctioris vitæ studio Franciscus jejuniis, catenis ferreis, asperrimo CILICIO, cruentis, longisque verberationibus, somno brevissimo corpus ad extremam usque maciem redegit.* In ejusdemque vita, vulgari idiomate conscripta, Daniel Bartoli scribit, cum adhuc esset sæcularis, & in Aula Imperatoris Caroli V. *Il suo primo vestirsi della mattina era cominciando da un gran CILICIO sù le nude carni: fatto divenire cosa d' ogni dì, quel che era di qualche volta, e in occasione di visitar Dame cola nella Corte dell' Imperadore.* His addamus exempla duorum tanti Sancti non degenerum germanorum, quia ejusdem Patris, ac Patriarchæ Sancti Ignatii filii fuerunt, Jacobi scilicet Lainezii; & Francisci Suarezii. De primo in ejus vita *cap. 18. pag. 240. in fine* sic habetur : *Mortificava spesso, e castigava la sua carne, rendendola soggetta all' ubbidienza della ragione con aspre discipline, CILICII, e digiuni.* De secundo in ejus pariter vita *c. 19. pag. 172.* sic legitur: *Volle crocifigere di sua mano se medesimo, per conformarsi al suo Diletto, e per gloriarsi coll' Apostolo; Mortificationem JESU in corpore nostro circumferentes, cingeva spesso sù le carni ignude un aspro CILICIO.*

Sed

Sed audiant, & stupeant Ecclesiastici, suam carnem à vermibus devorandam nimium diligentes, quod scriptum est ab auctore vitæ Ven. Servi Dei Petri Forerii, vulgò *Patris de Mataincour* Generalis Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris, Ordinis S. Augustini *libr. 2. cap. 14. pag. 402.* his verbis: *Plerumque dorso CILICIUM tam asperum gerebat, ut illud aspectantibus horror incuteretur; nec deponebat unquam, nisi fuisset integrè putrefactum; vel morbo prostratus cogeretur admittere, ut humeris avelleretur: quod tunc adeò vermium colluvie scatebat, ut in terram projectum ab illis moveretur.* Utique cum patientissimo Job dicere poterat: *Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus.* Id est, ut commentatur Tirinus in *Job. 17. 14. Cum iisdem vermibus arctissima societate jungar.* Et prosequitur idem Auctor narrare crassissimum flagellum, quo prædictus Pater Forerius creberrimè utebatur, & quod repertum aliquando fuit cruore tinctum, & prorsus attritum.

Quod si ad Sacras Virgines calamus se convertat,
13 inter has primum locum obtinet Sancta Cæcilia, de qua in responsorio quarto canit Ecclesia *die 22. Novembr. CILICIO Cæcilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat.* Et ne tædio sit Lectori plurium SS. Virginum cilicio tenera corpuscula sua affligentium referre, satis sit ex penultimo sæculo illud Sanctæ Teresiæ adducere, de qua *in lect. 6.* legimus; *Tam anxio castigandi corporis desiderio æstuabat, ut quamvis secus suaderent morbi, quibus afflictabatur, Corpus CILICIIS, catenis, urticarum manipulis, aliisque asperrimis flagellis sæpè cruciaret; & aliquando inter spinas volutaret; sic Deum alloqui solita: Domine, aut Pati aut Mori.* Et in sæculo proximè evoluto illud Sanctæ Virginis Magdalenæ de Pazziis, de qua *in lect. 4. die 25. Maii* sic testatur Ecclesia: *Corpus suum CILICIO, flagellis, frigore, inedia, vigiliis, nuditate atque omni pœnarum genere cruciabat.* His addere liceat exemplum Venerabilis Monialis Bassanensis Joannæ Mariæ Bonomæ, quæ anno 1670. meritis, & sanctis operibus plena ad æternitatem transivit, de qua Auctor ejus vitæ *lib. 5. cap. 13. pag. 301.* sic notat: *Cingea parimente con CILICIO ordito di ferree punture i suoi lombi, tenendo in questo modo guarito da ogni spirituale piaga il suo spirito, mentre con quelle cuspidi tormentose tenea spalancate di continuo mille ferite nel corpo.* Neque tacendum Principissæ Catharinæ Farnesiæ exemplum, quæ inter Carmelitas Discalceatas Parmæ *Teresia Margarita* nominata, Anno 1683. virtutibus, ac meritis magis quàm Serenissimis Natalibus præfulgens ad æternum Sponsum evolavit; de ea enim sic narrat Confessarius in ejus vita, *cap. 17. pag 232. Stringevasi tanto le catene alli fianchi, che bisognò riparavi coll' obbedienza.* Et paulò post: *Tanto dico della continuatione de' CILICII, e Croci puntate di ferro, che quasi sempre portava. Horride parimente furono le sue discipline, che non finivano senza sangue.* Et inferius: *Non contenta delle discipline, & cilicii ordinarii, ne trovò di straordinarii penosi, cioè discipline, e cilicii con setole, e punte di ferro, che coprivano tutta la vita ed io stesso da poi m' inhorridii al vederli tinti di sangue; e le ordinai a valersi solamente de gl' usati, & ordinarii.*

Sanctarum Viduarum gloriosas in ciliciis pœni-
14 tentias lector plurimas reperiet apud Surium; qui cæteris relictis; de Sancta Heduvige Ducissa Poloniæ *die 15. Octobr. tom. 5. cap. 4.* in ejus vita ita scribit: *Asperum CILICIUM, e setis equorum confectum, ad nudum corpus ferebat, cui manicas albasè panno assuerat, ut piè illuderet oculos intuentium, ne ab eis latens intrinsecus vestis aspera cerneretur.* Et in vita Sanctæ Elisabeth Regis Ungarorum filiæ, *tom. 6. die 19. Novembr. cap. 7.* subdit: *pretioso deinceps amictu, quoad ejus personæ, quam gerebat, honestas pateretur, abstinuit; itaut sæpè numero sub holosericis vestibus CILICIUM gestarit.*

Tandem referendum foret plurimos quoque viros 15
laicos usos fuisse ciliciis, pœnitentiæ causa, ad imitationem Sanctorum. At quia nimis longa esset relatio, quæ ex historiis sacris deduci posset, satis est innuere CILICIUM Comitissæ de Cipierres, de qua Audin. *d. part. 1. Fab. Heroic. pag. 15.* & illud Uxoris B. Jacoponi, *ut in Vita ejusdem Beati*, nec non notare Exemplum non solum corporalis pœnitentiæ, sed etiam pœnosissimæ mortificationis animi, unius ex pœnitentibus Sancti Philippi Nerii, nomine Alberti, de quo Auctor Vitæ ejusdem Sancti *lib. 2. cap. 19. num. 8.* hæc ponit: *Un altro suo penitente nominato Alberto Legnajuolo domando licenza al Santo di portare il CILICIO, e Filippo gli disse, che si contentava; ma con questo, che lo portasse sopra la Casacca Obbedì il penitente con ogni prontezza, e lo portò così fino alla morte: per lo che fu dalla gente cognominato Berto dal CILICIO.* Utique cum majori merito ob obedientiam, & sui ipsius derisionem; quàm si in abscondito solam carnem pungendo illud detulisset. Hæc satis sint, tum ad ostendendum usum perennem in Ecclesia Catholica Ciliciorum ob amorem pœnitentiæ; tùm ad excitandos fideles nostrorum temporum ad illius delationem; etsi nimis vera sit sententia illa Divi Ambrosii, *de pœnit. lib. 2. cap. 10. Facilius inveni, qui innocentiam servaverint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* Quæ de Ciliciis dicta sunt, fraternizant cum voluntariis flagellationibus, & disciplinis, quarum itidem usus perennis fuit apud primitivos Christianos, ut ex iisdem Vitis Sanctorum constat; & in sequenti Decisione ostendemus.

DECISIO VI.

ARGUMENTUM.

Agitur de voluntariis proprii corporis flagellationibus, pro culparum satisfactione. De usu flagellationum apud Judæos, & apud Romanos. De Flagellatione Domini Nostri JESU CHRISTI, Sanctorum Clericorum, ac peccatorum. Quas circa omnes ponuntur eruditiones plurimæ, atque Canonum, Legum, ac Historiarum intellectus.

SUMMARIUM.

1 *Flagellorum usus, & numerus apud Judæos antiquos.*
2 *Judæi sponte nunc se flagellare aliquando faciunt.*
3 *Romani flagellabant Reos duplici modo.*
4 *Tarsenses fruebantur nobilitate Romanorum.*
5 *Paduani eamdem Romanorum nobilitatem adepti erant.*
6 *Milites Romani cædebant reos flagellis.*
7 *Flagellatio Redemptoris fuit crudelissima ob quinque causas.*
8 *Christus an ligatus facie versus columnam, vel tergo in flagellatione?*

9 *Flagellatus*

9 *Flagellatus fuit Christus flagellis, virgis, & scorpionibus.*
10 *Sancti ab initio Ecclesiæ seipsos flagellabant.*
11 *Casinenses quot, & quibus diebus se flagellent disciplina?*
12 *Disciplina odio habetur à diabolo.*
13 *Clerici peccantes olim jussu Episcopi flagellabantur.*
14 *Peccatores quomodo, & quare flagellentur à Deo?*
15 *Mauritii Imperatoris divina flagellatio.*
16 *Flagellantium hæreticorum secta Anno 1313.*

QUoniam voluntariæ proprii corporis flagellationes inter præcipuos actus pœnitentiales connumerantur, de iis est hic breviter disserendum, & occasione ipsarum videbimus

Primò, De flagellationibus Judæorum.
Secundò, De flagellationibus Romanorum.
Tertiò, De flagellatione JESU CHRISTI Redemptoris nostri.
Quartò, De flagellationibus Sanctorum.
Quintò, De flagellationibus Clericorum.
Sextò, De flagellationibus peccatorum.

Quo ad Primum. Apud Judæos erant in
1 usu flagellationes ex lege Deuteronomii, in qua ita *cap.* 25. *Vers.* 3. statutum erat: *Judices impium condemnabunt impietatis: sin autem eum, qui peccavit, dignum viderint plagis, posternent, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit & plagarum modus. Ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fædè laceratus ante oculos pereat frater tuus.* Et circa hanc Judæorum legem, duo notantur à Doctoribus; Unum circa quantitatem ictuum, seu flagellationum, quarum numerus erat triginta novem; ne, teste Josepho *lib.* 4. *Antiqu. cap.* 8. si quadragenarium numerum complerent, inadvertentia, vel impetu excederent, & legem non servarent. Hinc est, quod Apostolus Paulus referens suos exantlatos labores pro nomine Christi *in Epist.* 2. *ad Cor. cap.* 11. *Vers.* 24. ait, *A Judæis quinquies quadragenas una minùs accepi.* Quinquies enim ab eis fuerat flagellatus; & in quacunque vice trigintanovem flagellationibus percussus. Alterum notandum est circa modum flagellandi reum; quem quidem denudatum in terram prosternebant; ac ejus humeros, & dorsum flagellabant scutica è nervis, aut pelle confecta, teste eodem Josepho. Et ex his apparet crudelitas Hebræorum in flagellatione Salvatoris, ut infra dicemus, quem tot millibus ictuum percussionibus flagellari fecerunt.

Huic legi inhærentes Judæi, etiam hisce tem-
poribus, (etsi jus judicandi, ac puniendi non ha-
2 beant) solent nonnullos eorum intra Synagogas suas, in vigilia festi כפור *Chipur*, ideſt magnæ expiationis. hoc modo flagellare. Sedent aliqui Rabbini tanquam Judices, quorum unus tenet scuticam, seu flagellum è pellibus compositum latitudinis manus hominis; & longitudinis cinguli, quo viri ad lumbos utuntur. Muro synagogæ apposita est pertica, seu oblongum baculum, coram quo Judæus ex sua devotione, & pro peccatis suis delendis flagellandus accedit, & denudat corpus usque ad lumbos. Tunc unus è Rabbinis funiculo ligat ejus manus ad prædictam perticam, recitando verba illa *Proverb. cap.* 3. *Vers.* 11. *Disciplinam Domini ne abjicias, nec deficias, cum ab eo corriperis; quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi.* Respondet autem flagellandus verba Jeremiæ *capit.* 10. *Vers.* 24. *Corripe me Domine, verumtamen in judicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.* Tunc accedit alius Rabbinus cum scutica, & posito cubito manus dexteræ tenentis scuticam in palma manus sinistræ leniter percutit illius humeros, dicens: *Ipse autem misericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos:* ut legitur in *Psal.* 77. *Vers.* 38. Quem versum ter recitat, & quia in eo sunt dictiones *tresdecim*, ad unamquamque earum dat unum ictum cum scutica; adeòut per trinam recitationem ictus triginta novem remanent inflicti ad præscriptum antiquæ Judaicæ consuetudinis, & ob observantiam legis Deuteronomii. Solvitur postea flagellatus à pertica, qui reputatur absolutus ab omnibus peccatis ob hanc pœnitentialem devotionem, quam מלקות *Malkut* appellant; & in solo pervigilio festi expiationis, seu *Kipurim* (de qua *de Sacrific. Miss. Decis. XXVII. num.* 58. locutus sum) hanc *Malkut* pœnitentialem cæremoniam faciunt; ut fusiùs differit Julius Maurocenus, olim inter Rabbinos doctissimus, & ad fidem conversus in suo opere: *Via della Fede mostrata à gli Hebrei. Romæ* 1683. *part.* 2. *cap.* 40. *pag.* 668.

Quo ad secundum. Apud Romanos fuit in
usu flagellatio reorum dupliciter: vel ad præve- 3
niendum ultimum supplicium; vel ad simplicem correctionem. Rei ad mortem damnati, antequam sententiæ executionem subirent, flagris cædebantur. Hinc Vitruvius Privernatium Dux, (erant autem Privernates Cives Urbis Privernii in Campania Romana, vulgò *Piperno*) cum à Romanis defecisset, & à Plautio Consule vivus captus, Romam missus, in carcere fuisset detentus usque ad Consulis triumphum; *inde post verbera cum sociis noxæ necatus est*; ut notat Salianus *ad Annum Mund.* 3725. *num.* 8. ante Christum *Anno* 328. Et concordat Polybius *lib.* 1. *pag.* 7. narrans, quod Romani Rheginos rebelles, tandem ab iisdem bello injecto devictos, & plusquam trecentos in sua potestate vivos redactos, *omnes in forum productos, flagris cæsos, pro more populi Romani, securi percusserunt*: ut meminit idem Salianus *Anno* 3783. *num.* 7. Quamvis etiam Macedonum hunc usum fuisse flagellandi ultimo supplicio afficiendos recenset è Quinto Curtio, ac Arriano idem Salianus *Anno Mund.* 3726. & ante Christum *Anno* 327. *ubi n.* 7. jussu Alexandri Magni Besum homicidam, proditorem Darii Regis, flagris fuisse cæsum, deinde capite truncatum scribit. Et ex hoc usu nonnulli ex SS. Patribus opinati sunt, Christum Dominum bis fuisse flagellatum; scilicet, ante & post sententiam Pilati; quamvis verior sit opinio, quod antequam condemnaretur, ad mortem fuerit semel flagellis cæsus, ut advertunt Barrad. *in Concord. Evang. tom.* 4. *lib.* 7. *cap.* 6. & Menochius *in Histor. Sacra part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 15. *num.* 5.

Ad correctionem etiam simplicem Reorum, & ob levia crimina, solebant Romani eos flagellare; cum hac differentia, ut homines liberi, (infimæ tamen, & humilis conditionis) fustibus cæderentur; servi verò flagellis. *lib.* 10. *ff. de Pœnis: l.* 4. *ff. de Incend. ruin. & naufrag. & l.* 6. *ff. de Accusat.* Et hinc est, quod Divus Paulus, à tur-

turba Judæorum oppressus Hierusalem, cum jussisset Tribunus, ut satisfaceret turbæ adinstar Pilati, Apostolum flagellis cædi; dixit *astanti sibi Centurioni Paulus, Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare?* Quod cum Centurio retulisset Tribuno, *protinus discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Act.* 22. 26. Siquidem Apostolus erat Civis Tarsensis; Civitas autem Tarsi fruebatur privilegio nobilitatis Romanæ, ut ex Plinio *lib.* 5. *cap.* 27. & ex Dione Cassio *lib.* 47. notat Menochius *in Act. Apost. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 4. addens, ejusdem nobilitatis prærogativam sub Pompeo Strabone, ac Julio Cæsare, extensam ad omnes urbes Italiæ, & illa etiam Patavium fruebatur. Ursat. *in Hist. Pat. pag.* 32. Deindè pervenit, sub Antonino Imperatore, ad omnes nationes subditas Romano Imperio; ac si ex eis una Civitas formaretur, prout cecinit Numantius poeta antiquus de urbe Roma, quæ totum orbem complectebatur:

Dumque offers victis proprii consortia juris,
Urbem fecisti, quod prius Orbis erat.

Itaque Divus Paulus non fuit à Tribuno illo flagellatus, quia tanquam homo liber, & Civis Romanus subjiciendus non erat huic pœna, quæ ad solos servos spectabat duplici de causa; una, ob ignominiam, quia corpus flagellis cædendum nudabatur; altera, quia dolor erat intensior: siquidem à flagellis cutis rumpebatur, & extrahebatur sanguis; nam, ut considerat Tholosan. *in Syntagm. Jur. lib.* 29. *cap.* 11. *in fine*, flagellum erat *scutica habens in summitate glandes plumbeas, & lora hamata*; & dicebatur Scorpio, cuti *in cauda sævi addebantur appendices quibus cutis miserè laniabatur.* At, quid essent flagella nominata Scorpiones, optimè declarat Eminentiss. Cardin. Baronius in notis *Martyrolog. Rom.* 12. *Junii*, ubi cum dicatur SS. Martyres Basilidem, Cyrinum, Naborem, & Nazarium milites fuisse ob Christiani nominis confessionem Scorpionibus laceratos; subdit: *Quid autem per Scorpionem intelligas, habes ex Isidor. lib.* 5. *Orig. cum ait: Virga si est nodosa, vel aculeata, Scorpio recentissimo nomine vocatur, quia acuto vulnere in corpus insigitur. His similes erant virgæ palmeæ, aculeos habentes, qui inhærerent cæsorum lateribus.* Et paulò post: *Cæterum est & Scorpio telum militare, quod à Cretensibus esse adinventum auctor est Plinius Natur. Histor. lib.* 7. *cap.* 56. Nec tacendus Tirinus, qui *in Comment.* 2. *Paralip.* 10. 14. ita de Scorpionibus, quibus Roboam minatus fuit cædere populum, scribit: *Nota, Scorpiones hic vocari plantas spinosas, vel etiam lora, quæ aduncis aculeis, seu stimulis armantur sicut Scorpius, & ita corpus pulsant, ut etiam lacerent, ac discerpant; & in hoc à flagellis distinguuntur, qualia sunt nuda lora, vel taureæ, vel virgæ ex lentis, seu arborum, seu fructuum ramis, quibus corpus solum pulsatur, seu tunditur, non verò etiam discerpitur. Columella libr.* 3. *cap.* 10. *de Vitibus.*

Ex his deprehendere licet crudelitatem, & sævitiam Romanorum, aliarumque nationum gen-5 tilium in puniendis hominibus, eorum corpora absque ulla pietate instrumentis tàm afflictivis lacerando: eò magis, quia ministri in flagellando 6 culpabiles erant milites, teste Tertulliano *de Corona Milit. cap.* 11. ubi suadens Christianis, ne militarent, hæc ait: *Et vincula, & carcerem, & tormenta, & supplicia administrabit, nec suarum ultor injuriarum?* Et docet Tolosan. *d. lib.* 31. *cap.* 11. *num.* 10. agens de flagellationibus, quæ semper dabantur per manus militum, de quibus illud:

Nulla fides, pietasve viris, qui castra sequuntur.

Et hinc est, quod licèt à Legibus Romanis prohibitum foret, aliquem verberari, flagellarivè usque ad mortem, nihilominus non semel eveniebat, ut miser Reus sub flagellis moreretur, ob nimiam scilicet crudelitatem flagellantium. *d. l. Aut damnum* 8. §. *Hostes autem. ff. de Pœnis.* Hæc autem pœna flagellorum à Principibus Christianis est abolita, tanquam nimis dira, & ab omni sensu humanitatis aliena.

Quo ad Tertium: Flagellatio Redemptoris nostri JESU CHRISTI fuit acerbissima ob quinque genera causarum in ea concurrentium, scilicèt materialem, formalem, efficientem, in-7 strumentalem, ac finalem. Causa materialis fuit ejus delicatissimum Corpus, & perfectissima anima; nam, ut considerat Scotus relatus ab Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Incarnat. disp.* 17. *art.* 11. *num.* 225 Dolor oritur in appositione objecti disconvenientis super sensum tactus: & ex *Arist.* 2. *de Anima text.* 94. secundùm proportionem bonæ dispositionis dolor est major. Sed Christi Corpus erat optimæ dispositionis, quia optimè complexionatum; & anima ejus erat perfectissima; plura autem objecta disconvenientia fuerunt ei applicata; ergo maximus in eo fuit dolor, præcipuè in flagellatione totius Corporis. Idem docet Angelicus Doctor, 3. *part. q.* 46. *art.* 6. ubi inter cæteras rationes maximi doloris Christi in ejus passione, ait: *Potest magnitudo doloris ejus considerari ex perceptibilitate patientis, & secundùm animam & secundùm corpus. Nam & secundùm corpus erat optimè complexionatus, cum corpus ejus fuerit formatum miraculosè operatione Spiritus Sancti; sicut & alia, quæ per miracula facta sunt, fuerunt aliis potiora (ut Chrysostomus dicit de vino, in quod Christus aquam convertit in nuptiis) & ideo in eo maximè viguit sensus tactus, ex cujus perceptione sequitur dolor. Anima etiam secundùm vires interiores, efficacissimè apprehendit omnes causas tristitiæ, &c.* Causa formalis fuit denudatio illius Sacratissimi Corporis, ex qua vehemens fuit animæ ejus afflictio ob verecundiam, & ignominiam; ac etiam quia manus ipsius fuerunt ad columnam alligatæ. Hinc Deipara in revelationibus S. Birgittæ *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 7. sic ad eam narravit de Divini Filii sui flagellatione: *Ductus ad columnam personaliter se vestibus exuit: personaliter ad columnam manus applicuit, quas inimici sine misericordia ligaverunt. Alligatus autem nihil omnino operimenti habebat, sed sicut natus est, sic stabat; & patiebatur erubescentiam nuditatis suæ.* Quod si quis quærat, utrùm columnam versus staret facies, vel tergum flagellandi? Respondeo, quod licèt ex pictis imaginibus 8 Salvatoris appareat, tergum stetisse versus columnam, faciem autem, pectus, & ventrem versus spectatores; contrarium tamen est verius, videlicet, faciem, & pectus, ac ventrem adhæsisse columnæ; tergum verò, ac dorsum è converso

expo-

expositum fuisse tùm oculis spectatorum, tùm flagellis carnificum; ut docet Gretserus *de Cruce lib. 1. cap. 10.* relatus à Menochio *Histor. Sacr. lib. 7. cap. 15. num. 6.* ubi allegat auctoritatem Aurelii Prudentii Poetæ Christiani, qui floruit Anno 390. sub Theodosio Seniore, & filiis ejus: & describens flagellationem ait:

Atque columnæ
Annexus, tergum dedit, ut servile flagellis.

Idque ratio suadet; si quidem si tergum versùs columnam alligatum fuisset, quomodo potuisset flagellarei? Quomodo verificatum fuisset vaticinium Psalmistæ: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. Psal.* 128. 3. ubi Tirinus sic habet: *Ideſt hostes mei quasi fabri dorsum meum continuis malleorum ictibus quàm diutissimè contuderunt. Hebraicè, Chaldaicè, Aquila, Theodotion, & S. Hieronymus araverunt aratores, & in longum pertraxerunt arationem, vel sulcum suum. Allegoricè convenit Christo flagellato, & Martyribus.* Quòd si diceretur, flagellis cæsum fuisse ventrem, & pectus; præter crura, coxas, & brachia. Respondeo, si principaliter fuisset pectus flagris, flagellisve percussum, statim ut moreretur homo, opus esset, non enim os stomachi resistere potest vehementi percussioni sui ipsius; teste, Paulo Zacchia *in Q. Q. Medicolegal. tom. 1. lib. 5. tit. 2. q. 10. n. 4.* ita scribens: *Nulli dubium esse debet, quòd ubi percussiones, & ictus validi fuerint in stomacho, in pectore, & in regione hepatis, possunt esse proximæ causa mortis. Hoc autem in prænominatis partibus facilè fit ob rupturam, & lacerationem internorum aliquorum vasorum, & aliquando ob exquisitum partis sensum, ut in stomacho præcipuè secundùm os.* Non inficior, Redemptorem nostrum plagas recepisse, dum flagellaretur, etiam in costis, & in pectore; ait enim Deipara ad S. Birgittam. *d. libr. 1. cap. 10. num. 8. Vidi corpus ejus verberatum, & flagellatum usque ad costas, itaut costæ ejus viderentur.* Quandoquidem elatis, ac ligatis brachiis sursum ad columnam, costæ expositæ remanebant flagellationibus; neque pectus, aut stomachum erat omninò securum, quamvis columnam versùs, quia in extremitate flagellorum, ut notavimus supra ex Tholosan. *Syntag. Jur. lib. 31. cap. 11. n. 17.* addebantur appendices cum glandibus plumbeis, & ferreis hamis, quæ flectebantur ad omnem ictum, & attingere poterant corporis partem respicientem ipsam columnam. Causa efficiens fuerunt ipsi milites Romani; quos fuisse immanes quis dubitat? Immò, ut scribit Suarez *in 3. p. tom. 2. disp. 35. sect. 3. Vers. Dico tertiò*, Conjectare licet, eos magna vi adhibita *CHRISTUM verberasse, quòd ex aliis conviciis, quibus eum affecere, non obscurè colligitur; & præsertim, quia præter jussum Præsidis videntur illum Spinis coronasse; quod significavit Joannes, cùm subdidit: & milites plectentes coronam de spinis, &c. Jo. 19. Et verisimile etiam est, Judæos, qui aderant, milites incitasse, & data etiam pecunia corrupisse, ut eum acriùs verberarent.* Instrumentalis causa fuerunt Flagella diversarum specierum, & ea acerbissima, de quibus locuti sumus supra, & agit Just. Lipsius *De Cruce lib. 2. cap. 3.* Et licèt SS. Evangelistæ non explicent, quibus flagellis in specie Christus verberatus fuerit; SS. Patrum traditio est, quòd fuerit flagel- 9
latus virgis, scorpionibus, & ferreis catenis, ut piè meditatur S. Vincentius Ferrerius *in Sermone de Parasceve*; ac Lanspergius *lib. 3. Elucidat. in Christi passione. Ligato* (inquit) *Domino, accesserunt quatuor viri robusti, Christum flagellaturi; & flagellis, virgis & scorpionibus, in quibus erant unci ferrei, ipsum flagellarunt.* Et revelatio Deiparæ ad S. Birgittam *lib. 4. cap. 70.* subdit: *Flagellis aculeatis, infixis aculeis, & retractis, non evellendo, sed sulcando totum Corpus ejus laceratur.* Addit etiam Suarez *d. tom. 2. in 3. par. disp. 35. sect. 2. propè finem: Alii dicunt,* Christum *primò fuisse funibus crassioribus flagellatum, secundò additos esse ferreos scorpiones, tertiò catenis, quartò virgis spineis cæsum.* Causa tandem finalis ostendit acerbitatem flagellationis Salvatoris; ipse enim eam voluit sustinere, ut pro peccatis omnium hominum de rigorosa justitia satisfaceret; ait autem Angelicus Doctor *d. 3. p. qu. 46. art. 6. in fin. Christus voluit genus humanum à peccatis liberare, non solâ potestate, sed etiam justitia. Et ideò non solum attendit, quantam virtutem dolor ejus haberet ex divinitate unita; sed etiam quantum dolor ejus sufficeret secundùm humanam naturam ad tantam satisfactionem.*

Quo ad Quartum: Circa flagellationes Sanctorum illud unum est advertendum, in obsequium, & reverentiam flagellationis Filii Dei, semper consuevisse Sanctos viros, etiam in primordiis Ecclesiæ, seipsos voluntariè flagellis cædere. 10
Cujus rei testimonium pedit Apostolus. 1. Cor. 9. 27. dum ait: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Nam verbum illud *castigo* in textu græco est ὑπωπιάζω, *hypopiazo*, quod propriè significat, castigare percutiendo, & flagellis cædendo, ut lividum evadat; & advertit Menochius *in Storeis par. 6. Centur. 11. cap. 58.* & Tirinus ita commentans: *Castigo corpus meum per jejunia, vigilias, cilicia, flagella, nam græcum* ὑπωπιάζω *etiam Beza, Melanchton, Castalio, & Henricus Stephanus vertunt,* Contundo, *contusio autem non fit sine percussione, & verbere.* Hinc est, quòd ab omnibus Patriarchis, & Fundatoribus Religionum, inter cætera opera pœnalia per Religiosos piè exercenda, instituta est voluntaria corporis flagellatio certis diebus insimul practicanda, ut legitur in Regula S. Benedicti *cap. 49. in Declar. num. 2.* his verbis: *Et ut juxta Regulam* 11
augeamus aliquid ad solitum pensum servitutis nostræ, ultra Psalmos Pœnitentiales, Graduales, & Officium Defunctorum, Flagellatio, vulgò disciplina, quæ à nostris sit omni tempore feria sexta, fiat tota Quadragesima, quarta & sexta feria: in hebdomada verò sancta, addatur etiam feria quinta. Hanc autem magnoperè diabolus odit, ac timet; ideò in Vita S. Mariæ Magdalenæ de Pazziis (ut ex Vincentio Puccinio, ac Virgilio Cæsario Soc. Jesu refert P. Carolus Gregorius Rosignolius *de Mirabilib. Dei in Sanctis suis Centur. 2. part. 2. Mirabil. 36.*) ha- 12
bemus, eamdem Sanctam Virginem dæmones sibi insultantes disciplina, qua utebatur, sæpè percussisse, ac fugasse; eosque trementes ab obsessis discedere, ostenso tantummodò flagello prædictæ Virginis. Pariter in Vita Ven. Mariæ Velæ *part. 1. cap. 16.* legitur; eadem se in cella flagellante, diabolum alicujus monialis vocem, & gressum simulare consuevisse, ut à pio illo opere se abstineret. Sed nec tacendum, quod narrat P. Eusebius Nierimbergus *in Opusculo Virtù Coronata cap. 2. §. 8.* scilicet Carolum Quintum Imperatorem, dimisso Imperio, per biennium, quo habitavit in Monasterio Justæ, singulis sextis feriis

riis simul cum Monachis ad voluntariam sui corporis flagellationem accessisse; ac tam sævè seipsum disciplinasse, ut funiculi frequenter disrumperentur.

Quo ad Quintum. Circa flagellationes Clericorum scire oportet; antiquitùs fuisse in usu, 13 quòd clerici delinquentes jussu Episcopi flagellarentur. *cap. Quia juxta* 5. *q.* 6. *cap. Nullus clericus* 11. *q.* 1. quatuor tamen cautelis, seu conditionibus servatis: prima, ne Episcopi propriis manibus clericos verberarent, *cap. Non liceat.* 86. *dist.* Altera, ne per manus laicorum sub pœna excommunicationis, *cap. Universitatis*, 24. *De Sentent. Excom.* Tertia, ne in flagellatione extraheretur sanguis, ideoque ne ultra trigintanovem ictus darentur; aliàs incurreretur irregularitas, *cap. His, à quibus.* 23. *q.* 8. *cap. In Archiepiscopatu.* 4. *de Raptorib.* Quarta, ne flagellatio fieret in publico, sed secretè ad evitandam infamiam, nisi Clericus gravissima culpa reus fuisset antea degradatus, Giballin. *de Clausura Regular. disquis.* 2. *cap.* 4. *n.* 41. & Gonzalez *in comment. ad cap.* 1. *de Calumniatorib. num.* 15. *in fin.* Hodie tamen hujusmodi pœna recessit ab aula; adeòut hisce temporibus nefas esset Episcopis præcipere, ut clerici flagellarentur, juxta antiquorum Canonum dispositionem, in quibus statutum est, quòd Episcopi debeant à verberibus abstinere. *cap.* 1. *dist.* 45. & quòd nullus clericus sit verberibus afficiendus *ead. dist.* 45. *cap.* 2. *& cap. Cum beatus.* Et quòd ubique Prælati abstineant ab impositione hujus pœnæ, testantur Diaz. *in Praxi Crimin. cap.* 136. *in addit.* & Jul. Clarus *libr.* 5. *§. fin. quæst.* 70. *num.* 2. qua propter, etsi Illustrissimus Sarnelius Episcopus Vigiliarum *in suis Epist. Ecclesiast. tom.* 1. *Epist.* 22. opinetur, etiam in præsenti licitum esse flagellare clericos; pace eruditissimi hujus Viri, contrarium est omninò tenendum, quia hodie flagellantur tantummodo fures, marioli, incisores bursarum, truffatores, falsi testes, & similes personæ viles, & infames, ut tradit Farinacius *de Delictis, & pœnis quæst.* 19. *n.* 29. & hæc pœna flagellorum est gravissima, ac irrogat infamiam. Menochius *de Arbitr. q.* 80. *num.* 40. & 41. Chartarius *in Criminal. Decis. XXIII. num.* 31.

Quo ad Ultimum. Circa flagellationem peccatorum, agi potest vel mysticè, vel historicè. Primo modo, advertendo, quòd peccatores flagel- 14 lantur à Deo in hac vita, ne puniantur in alia. *cap. Quid ergo* 23. *q.* 5. Exemplum insigne est illud Mauritii Imperatoris, qui spoliatus Imperio à Phoca, jussu ejusdem, vidit antè suos oculos quatuor fi- 15 lios masculos necari, deindè & ipse occisus est, quia, ut scribit Spondanus *Anno Christi* 603. *num.* 4. reus erat ipse Mauritius *de tot millibus innocentium Christianorum, quos passus fuerat à Rege Avarum immaniter trucidari, cùm minimo eos potuisset redimere pretio*: quare *facti pœnitens scripsit ad omnes Patriarchas, & Monachos Orientis, ut à Deo peterent, ut ipse de peccatis admissis in hac vita, & non in futura pœnas lueret.*

Historicè verò notanda est Secta hæreticorum se Flagellantium; quæ orta est Anno 1313. cir- 16 citer, & fuit multitudo magna Virorum, ac Mulierum, qui prætextu pœnitentiæ per publicas vias nudatis humeris se flagellabant, & ex Italia processerunt in Germaniam, & Galliam, plurimos ac sui sequelam trahentes: at indè magni errores emersere, quia dicebant, suam flagellationem efficaciorem esse pro remittendis peccatis Sacramentali Confessione; baptismum aquæ cessasse, attento eorum baptismate Sanguinis, quod erat majoris valoris martyrio Sanctorum; nullumque Christianum posse salvari, nisi seipsum sponte flagellis cruentaret: terminatum esse Evangelium, ac licitum esse perjurium, ut citatis Auctoribus eorum temporum ostendit Salelles *de S. Inquisit. tom.* 2. *libr.* 3. *cap.* 15. *Reg.* 278. *à num.* 185. *& seqq.* Quæ Secta à Gregorio Papa Decimo, implorato Regum, ac Principum Christianorum brachio, destructa fuit; ac ab eodem decretum, ne in posterum quævis secta, societas, seu religio institueretur, quæ priùs ab Apostolica Sede non esset examinata, ac approbata, *cap.* 1. *De Religiosis Domib. in* 6. Odoric. Rainald. *in Annal. Anno* 1274. *n.* 33. & novissimè Illustrissimus Battaglinus Episcopus Nuceræ *in sua Historia Conciliorum Univers. Anno* 1274. *de Concilio Lugdunen.* 2. *n.* 16.

Reassumendo igitur meritum flagellationis Christi, & ad ejus imitationem flagellationes Sanctorum, ac utriusque sexus Christianorum, per eosdem in proprio corpore voluntariè exercitas; exardescat lector, & alios inflammet desiderio illas præicandi pro satisfactione propriarum culparum, memorans quod dixit Apostolus 2. *Cor.* 13. *Si compatimur, & conglorificabimur.*

DECISIO VII.

ARGUMENTUM.

Utrùm pœnæ, & afflictiones ab agente extrinseco, sivè creato, sivè increato provenientes sint aptæ ad satisfaciendum? Argumenta pro opinione negativa, & affirmativa quæ amplectitur; & firmatur Auctoritate & Ratione. Exempla culparum satisfactarum per tolerantiam afflictionum ab extrinseco provenientium.

SUMMARIUM.

1 *Pœnæ, & afflictiones nobis illatæ sivè à Deo, sivè ab hominibus an sint satisfactoriæ pro nostris culpis?*
2 *Quod non; rationes tres.*
3 *Quod sic. Auctoritas, & Ratio.*
4 *Ratihabitio quid sit, & cujus valoris?*
5 *Deus bis non judicat in idipsum.*
6 *Deperditi in Diluvio homines an omnes damnati.*
7 *Exempla fructuosæ sufferentiæ in afflictionibus.*
8 *Repugnantia sensus in patiendo non admittit meritum promtæ voluntatis.*
9 *Myrrha est symbolum Pœnitentiæ, dupliciter.*

EGimus hucusque de pœnalitatibus voluntariè assumptis ad satisfaciendum pœnis debitis pro peccatis, quo ad culpam dimissis, videlicet de Jejunio, Cilicio, & proprii corporis flagellationibus; restat ut videamus, Utrùm pœnæ, & afflictiones ab a- 1 gente extrinseco, sivè creato, sivè increato provenientes, sint aptæ ad satisfaciendum; sivè sint universales, puta fames, bella, pestis; sivè particulares, nempè infirmitates, egestates, dolores, carceres, persecutiones, & similes?

Et prima fronte videtur dicendum, has pœnalitates non esse aptas ad satisfaciendum. Primò quia, ut diximus supra *Decis. IV. n.* 1. Satisfactio est *redditio* 2 *voluntaria*. At homines non patiuntur voluntariè, sed coactè supradictas pœnalitates; & naturaliter homo dispositus est fugere, & evitare pœnalitates, & persecutiones; immò hoc videtur docuisse Christus, dum ait Apostolis, *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Matth.* 10. 23. & habetur *in cap. Sicut alterius* 7. *q.* 1. & ipse Christus fugit ab Herode in Ægyptum. *Matth.* 2. *§. Hoc tunc.* 7. *q.* 1. *&* 23. *q.* 3.

in

in prine. & multos Prophetas, ac Apostolos constat fugisse suos persecutores: *cap. Scisitaris. 7. q. 1.* Igitur, cùm pœnalitates, ac persecutiones venientes ab extrinseco non sint voluntariæ, non erunt satisfactoriæ.

Secundò. Condemnatus solvere aliquam summam pro una causa, solvendo dictam summam non potest satisfacere pro illa, & pro alia causa. Exempli gratia, si Antonius mulctetur à Principe solvere centum pro delicto; non potest per illam solutionem satisfacere publicis gravedinibus, quas debet solvere eidem Principi; tot enim debent esse solutiones, quot sunt causæ solvendi. *l. 1. ff. de Solut.* Navar. *in cap. 1. num. 44. de Pœn. d. 6.* Sed pœnalitates universales, ut sunt bella, fames, pestis, infirmitates, & aliæ, impositæ sunt à Deo solvendæ per homines ob culpam originalem, undè dicebat Job, 14. 1. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis*: & Abacuc *cap. 1. Conglutinata sunt nobis mala, quia peccavimus tibi.* Igitur, obligati cùm simus ad ea mala toleranda ob culpam originalem, non possumus cum ipsis satisfacere pro nostris culpis actualibus.

Tertiò: Si per tolerantiam pœnalitatum ab extrinseco provenientium satisfaceremus pro peccatis nostris, esset superfluum assumere pœnitentias voluntarias, ac etiam illas, quæ à Confessariis injunguntur. Siquidem mala pœnæ adeò sunt frequentia, ac gravia in hac vita in cunctis ordinibus, & statibus hominum; ut nihil aliud reperiatur, 3 nisi *Vanitas, & afflictio Spiritus. Eccles. 1. 14.* Sed hoc asserere, esset absurdum; jugiter enim hortantur homines, ut pœnitentiam agant. Ergo.

His tamen non obstantibus contrarium est omninò tenendum; quia est concors Theologorum sententia, quòd omnis pœna, seu afflictio à Deo immediatè per causas universales, vel mediatè per creaturas nobis immissa, voluntariè, & patienter tolerata, apta est ad satisfaciendum pro pœna temporali, quam solvere debemus pro nostris culpis. Ita S. Thomas *in Supplem. 3. p. q. 15. art. 2.* Scotus *in 4. Sent. dist. 15. quæst. 1. F. & dist. 21. q. 1.* Suarez in *3. p. tom. 4. disp. 37. sect. 7.* Lessius *in Prælectionib. Posthumis de Pœnitentia quæst. 15. art. 2.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Sacram. Pœnitent. disp. 24. sect. 5.* & novissimè Emin. Card. de Lauræa *eod. tract. disp. 13. art. 6. §. 5.* ubi hanc veritatem probat Auctoritate, & Ratione. Sumitur Auctoritas à Sacro Tridentino Concilio *sess. 14. cap. 9.* ubi ita habetur: *Docet præterea (S. Synodus) tantam esse Divinæ munificentiæ largitatem; ut non solùm pœnis, sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis: sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum JESUM satisfacere valeamus.* Juxta quam Conciliarem diffinitionem Rituale Romanum sub Rubrica *de Modo juvandi morientes*, inter alia monita per Parochos suggerenda laborantibus gravi infirmitate, collocat istud: *Ut quem* (infirmus) *patitur dolorem, & morbi molestiam, propter Deum in pœnitentiam peccatorum suorum patienter toleret.*

Ratio est duplex. Una à parte hominis: qui dum acceptat illam pœnam, seu afflictionem, sibi à Deo vel immediatè, vel mediatè per aliquam creaturam immissam, proindè se habet, ac si eandem voluntariè assumeret, & ex sua propria electione. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. §. 5. num. 156.* Quia qui ratum habet, quod fit ab alio, habetur ac si ipse fecisset: nam Ratihabitio est actio ju- 4
ridica, qua fictione juris quilibet facere sibi potest proprium civiliter, & moraliter, quod ab alio physicè factum est. *l. Quo enim. 12. ff. Rem. ratihab.* Et ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur. *cap. penult. De Sent. excom. in 6. cap. fin. de Jurejurando eod. lib. l. Vero. 12. ff. de Solut. & l. Si fundus. 16. §. 1. ff. De Pignorib.* Idcircò dum homo acceptat, & ratam habet pœnam sibi ab extrinseco provenientem, facit eam moraliter suam; & illam tolerando satisfacit pro peccatis suis; adinstar debitoris recipientis pecuniam ab alio, & cum ipsa satisfacientis creditori suo. Suarez *d. disp. 37. sect. 7.* & Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp. 24. num. 73.* ubi perperam subtilizat super hac similitudine, ob verum dominium pecuniæ receptæ, & non verum dominium afflictionis illatæ, cum ex acceptatione, & ratihabitione, ut dictum est, moraliter patiens fiat dominus, & possessor ejusdem afflictionis, & per consequens debet uti, & frui fructibus ejusdem, idest valore satisfactorio. Alia ratio est à parte Dei; qui bis non judicat 5
idipsum. *cap. Quid. ergo 24. quæst. 5.* ubi S. Hieronymus ex eadem ratione demonstrat, non omnes demersos in diluvio universali damnatos fuisse; sed, præter impuberes, plures ex adultis, qui ac- 6
ceptarunt punitionem illam in pœnitentiam suarum culparum, de eis dolentes, salutem æternam esse consecutos, quod approbant Sancti Patres relati à Cornelio à Lapide *in Genes. cap. 6. Vers. 5. in fin.* Et à Saliano *ad Annum Mundi 2516. num. 7. & ad Annum 1656. num. 10.* ubi ita scribit: *Plurimi ingruente diluvio ad se, & ad Deum reversi, veniam de suis sceleribus petierunt & impetrarunt. Cùm enim iis hanc tantam calamitatem acceptam referrent,* (ecce acceptatio pœnæ à Deo illatæ) *in eorum satisfactionem mortem divinitùs immissam, cum omnium rerum suarum jactura, patienter subierunt.* Est igitur rationi congruum, & Divinæ pietati conveniens, ut qui dolent de suis peccatis, & acceptant flagella quovis modo sibi provenientia, tanquam à Deo immissa: (*Non enim est malum* scilicet pœnæ *in civitate, quod non fecerit Dominus, Amos 3. 6.*) per illam tolerantiam satisfaciant pœnis à se debitis, & in alia vita salutem consequantur æternam; quod etiam docet Lessius *d. q. 15. art. 2. num. 11.*

Ne pigeat lectorem legere sequentia exempla, quibus confirmantur ea, quæ hucusque dicta sunt; & jisdem Curati animarum uti poterunt ad hortandos populos, ut patienter tolerent afflictiones, & pœnas sibi ab extrinseco provenientes, tanquam satisfactorias per peccatis. In primis audiendus 7
bonus Latro veniam petens in Cruce, cujus tormentum patienter tolerans meruit audire à Redemptore: *Hodie mecum eris in Paradiso. Luc. 23. 43.* ubi explicat Tirinus: *Non in Cælo Empyreo, sed in consortio tot myriadum Sanctorum Patrum, & in clara visione Dei, quæ intuitu mortis Christi, statim atque expiravit, concessa est omnibus in Limbo.* Ergo bonus Latro non tetigit pœnas Purgatorii, quibus plenè satisfecerat, *per mortis in Cruce,* (ut addit Tirinus) *constantem tolerantiam.*

Alterum sit exemplum, quod legitur in vita Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazziis *cap. 64. in fin.* Auctore ejus Confessario Vincentio Puccinio; narrat enim ibidem, ipsam Sanctam rogasse pro salute duorum Reorum ultimo supplicio damnatorum; cumque rapta esset in extasim: *intese da Dio, come si erano tutti due salvati; e che uno di loro* (notetur) *haveva abbracciata quella morte con tanta prontezza*

in penitenza d' fuoi peccati, & era morto contanta contritione, che subito era volato al Cielo. En quantam vim satisfaciendi habeat promptitudo animi in tolerandis flagellis, & afflictionibus ab extrinseco provenientibus, & præcipuè ignominosam mortem.

His addenda relatio, quam ex S. Antonino scribit Mathæol. *in Sylva Histor. part. 1. libr. 2. tit. 4. exempl. 1.* Infirmum scilicet, cui nimis gravis videbatur ejus ægritudo, & ex Angeli oblatione deductum in Purgatorio, voluisse potiùs reverti in hanc vitam, & infirmitatem per annum tolerare, quàm per unicum diem ignis Purgatorii dolorem sufferre. Itaque tolerantia infirmitatum satisfacit pœnis in Purgatorio aliàs persolvendis. Non dissimilis est narratio, quæ legitur apud Alphons. Rodriquez *in Exercitio Perfect. Christianæ part. 2. tract. 1. cap. 22.* scilicet, Eremi incolam distantemà flumine per milliaria duodecim, & cogitantem evitare laborem illius itineris, ac habitare propè flumen, dum iret, audivisse Angelum numerantem gressus ejus, & dicentem, quod eorum quilibet valebat plurimi pro merito, ac satisfactione pœnarum. Constat igitur, quod quælibet afflictio, pœnalitasve patienter tolerata est causa meriti, ac satisfactionis pœnarum.

His ita firmatis non obstant argumenta ab initio in contrarium adducta. Non primum, quod satisfactio debet esse voluntaria, hæ autem pœnalitates videntur coactæ, & haberi ab omnibus cum repugnantia naturæ. Quia respondetur, 3 hanc repugnantiam consistere in sensu, & in parte inferiori, quæ naturaliter repugnat in afflictionibus, prout experiebatur Apostolus dicens *ad Rom. 7. 23. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* At per actus voluntatis eligentis tolerare pœnalitates, eadem fieri satisfactorias. Quò verò ad fugam, quam suasit Christus Apostolis in illis verbis, *Cùm vos persequentur in una Civitate, fugite in aliam. Matth. 10.* Et quò ad fugam ab Herode, quam fecit ipsemet Salvator, respondet S. Athanasius in Apologia *de fuga sua ante med.* non ex eo doceri recusandas esse pœnalitates, ac afflictiones; sed expectandum esse tempus vel carceris, vel mortis à Divina providentia statutum; quod cum ignoret humana mens, debet fugere, donec certificetur à Deo de tempore; in quo oporteat pati, ac mori. Ideòque, qui infans fugerat ab Herode, & pluries se absconderat à Judæis, *cùm à se definitum tempus ipse ad duxisset, in quo corporaliter pro omnibus pati volebat, ultrò seipsum tradidit insidiantibus.*

Ad secundum respondetur, procedere in Judicibus, & Principibus terrenis, quibus satisfieri non potest pro duobus creditis unica tantùm solutione. At aliter dicendum venit in cœlestibus, & de ipso Deo, cujus tanta est munificentia, ut una afflictione pro ejus amore voluntariè acceptata, ac tolerata possimus pluribus debitis satisfacere: ut fusiùs probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœnitent. d. disp. 13. art. 6. num. 165.* ubi ita habet: *Licèt Deus flagellet ex motivo justa ultionis: adhuc flagellatus potest ea flagella tolerare ob peccatorum vindictam, & sic aliquam partem pœnæ satisfacere.*

Ad Tertium respondetur, illationem, & consequentiam non concludere; quia etsi homo tolerans adversitates satisfaciat pœnis pro suis culpis debitis; nihilominùs, cùm nesciat quantitatem pœnarum, ad quam est obligatus, tenetur alias voluntarias pœnalitates assumere, & ita vivere, ut ejus vita, (juxta verba S. Concilii Trid. *d. sess. 14. in doctrina de Sacram. Extr. Unct.*) *sit perpetua Pœnitentia*; quod bene considerat idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 13. art. 6. n. 176.* & Paulus Segneri *in Christiano Instr. part. 3. Serm. 19. num. 17.* ubi eleganter explicitat de Myr- 9
rha, quæ symbolum est pœnitentiæ; duplicem enim ait illam esse; Unam, quæ ex incisione corticum arboris fluit: aliam, quæ voluntariè emanat ex ipsis corticibus, & est pretiosior; ita satisfactio pro peccatis alia extrahitur ex afflictionibus ab extrinseco nobis quomodolibet provenientibus, & per nos patienter toleratis; alia ex pœnalitatibus à nobis voluntariè electis, & assumptis; & hæc quidem majoris virtutis est pro diluendo debito nostrarum culparum.

DECISIO VIII.

ARGUMENTUM.

Examinantur tria dubia circa energiam Satisfactionis in sufferendis afflictionibus ab extrinseco; nempè, An sit necessaria intentio Satisfaciendi? An, qui illas suffert, debeat esse in gratia? Et an homo possit satisfacere pro suis peccatis nondum remissis? Circa primum declaratur, quid, & quotuplex sit intentio; Circa secundum referuntur tres opiniones; Circa tertium proponitur sententia affirmativa Emin. Cardin. de Lauræa contra communem aliorum.

SUMMARIUM.

1 *Intentio satisfaciendi an sit necessaria ad satisfaciendum?*
2 *Intentio duplex Formalis & Virtualis.*
3 *Intentio Virtualis in patiente sufficit ad satisfaciendum.*
4 *Actus satisfactorii, ut valeant, an requirant statum gratiæ?*
5 *Argumenta pro affirmativa.*
6 *Pro negativa.*
7 *Concordantia dictarum opinionum.*
8 *Satisfacere an possimus pro peccatis nondum dimissis?*
9 *Rationes, quod possimus.*
10 *Auctoritas ex Brevi Apostolico Alexandri Papæ VII. pro hac opinione affirmativa.*

PRo majori intelligentia prædictorum tria dubia sunt hic examinanda. Primum est, an sit ne- 1
cessaria in homine intentio satisfaciendi, ad hoc ut opera pœnalia, vel voluntariè assumpta, vel ab extrinseco provenientia patienter tolerata, sint satisfactoria? Ad quod respondetur, utique requiri intentionem satisfaciendi, quamvis non sit necessaria intentio formalis, sed sufficiat virtualis, & aquivalens. Supponimus, Lectorem non la- 2
tere, quid sit intentio formalis, & quid sit intentio virtualis? Prima enim, quæ etiam Actualis appellatur, est reflexio intellectus ad opus volitum, & determinatum à voluntate. Altera verò est operatio uxta eandem intentionem non retractatam, absque reflexione ad ipsam. Tambur. *de Sacrific. Miss. lib. 2. cap. 1. §. 2. ubi* num. 4. DD. allegat; & notat discrepantiam eorumdem in assignando subjecto, in quo residet energia intentio-

nis

nis virtualis, dicens: *Alii quidem docent, esse applicationem potentiarum externarum hominis, quæ ex vi intentionis præteritæ, remanent applicatæ ad ea media. Alii putant esse connexionem quandam, quæ remanet inter primam intentionem, & subinde inter actiones subsequentes. Alii dicunt esse quandam entitatem necessariò à prædicta prima intentione relictam in imaginatione, & appetitu sensitivo, seu etiam, saltem aliquando, in intellectu, & voluntate: quæ entitas (quamvis modo vix perceptibili) movet potentias ad illos consequentes actus.* Quæ omnia breviùs, & faciliùs declarant nostra Erotemata *cap.* 114. *De Sacramentis in genere num.* 19. his verbis: Intentio formalis, seu actualis est, *quæ consistit in voluntate præsenti.* Virtualis est, *qua jam volita ad actionem mox faciendam, recedit à memoria, non à voluntate.* Diana *part.* 2. *tract.* 17. *resol.* 32. Coton. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 39. *& seqq.*

Igitur necessaria est intentio, ut opera pœnalia sint satisfactoria; quia, ut ait Aristoteles 2. *Ethic.* 4. *Studiosè operans debet esse sciens, & volens propter ipsum*, idest scire finem, ob quem operatur; idcircò, ut opus sit satisfactorium, debet homo illud assumere, vel tolerare ob finem satisfaciendi; cùm enim *finis sit, cujus gratia cætera fiunt.* 1. *Ethic.* 7. oportet ad satisfaciendum, ut opera pœnalia assumantur, vel tolerentur ob hunc finem. Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 13. *de Pœnitentia art.* 8. *num.* 206. Non tamen requiritur absolutè intentio, seu finis formalis, quia sufficit virtualis consistens in actu voluntatis præterito: siquidem sicut hæc intentio virtualis satis est ad actus aliarum virtutum, ut permaneant in suo genere, ut plenè probat Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 13. *num.* 208. ita satis est ad actum satisfactorium. Idcirco si quis velit aliquod opus facere, seu tolerare cum intentione satisfaciendi pro peccatis, seu pro pœna illis debita; deindè ampliùs non recordetur, & non advertat ad hunc finem, nihilominùs exercendo, vel tolerando illud opus afflictivum, satisfacit pro suis peccatis. 3

Alterum dubium est, *An Actus satisfaciendi, ut verè satisfaciant, fieri debeant ab existente in gratia? adeò ut si fiant in peccato mortali, nihil valeant?* Circa hoc dubium tres sunt opiniones. Prima tenet, actus satisfactorios factos in peccato mortali, nihil valere. Secunda, è contra affirmat, eos valere, & satisfacere. Prima est Thomistarum; Secunda Scotistarum. Tertia distinguit, & ait, eos non valere, durante statu peccati mortalis; at, eo evacuato per reditionem ad gratiam, illos habere suum effectum remissionis pœnæ. Summatim referam rationes harum opinionum. 4

Prima opinio innititur his fundamentis. 1. Docet Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 8. Quòd *omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent.* Igitur, ut satisfaciamus, debemus vivere in Christo, quia Christus non influit nisi in membra ejus viva per gratiam. Sed qui in peccato est, non vivit in Christo; ergo non satisfacit, quamvis actus pœnales, & satisfactorios faciat, vel toleret. 2. Ait Apostolus 1. *Cor.* 1. *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest,* Et *ad Rom.* 2. *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, Sanctam, Deo placentem.* Ideo dicitur *Eccles.* 34. *Dona impiorum non probat Altissimus.* Et *Proverb.* 14. *Victimæ impiorum abominabiles.* Ergo opera extra charitatem facta non sunt Deo accepta; nec consequenter satisfactoria. 3. Remissio pœnæ temporalis est opus amici; siquidem præparat hominem ad consecutionem gloriæ, removendo impedimenta relicta à peccatis. Ergo non potest conferri peccatori inimico. 4. Opera bona facta in statu peccati possunt prodesse ad præmia temporalia; secùs autem ad gloriam æternam. Sed satisfactio pœnarum concernit æternam gloriam, removendo impedimenta ad illam. Ergo. 5. Operibus nostris neque meremur, neque satisfacimus, nisi in virtute passionis Christi. Sed passio Christi non prodest existentibus in peccato mortali. Ergo opera facta in peccato non prosunt ad satisfactionem. 6. Pœna æterna fuit commutata in temporalem ex gratia Dei. Ergo in gratia Dei est exsolvenda. 7. In alia vita qui non est in gratia Dei, etsi patiatur, non satisfacit. Ergo neque in præsenti vita. 8. Si existens in peccato mortali faciendo opera pœnalia satisfaceret pro pœnis, posset etiam sumere Indulgentias. Sed consequens est falsum. Ergo & antecedens. Hæc est opinio S. Thomæ *in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. & Suarezii *tom.* 4. *d. disp.* 37. *sect.* 2. *num.* 3. ubi plurimos sequaces cumulat.

Altera opinio est Scoti *in* 4. *dist.* 15. *d. dist.* 15. *quæst.* 1. *O.* & ejus Scholæ Theologorum, inter quos Mastrius, alios allegans *tom.* 4. *in* 4. *Sent. disp.* 5. *à num.* 579. *& seqq.* nec non in sua *Theologia Morali disp.* 21. *num.* 276. ac Eminentiss. Card. de Lauræa *d. tom.* 4. *de Pœnitentia disp.* 13. *art.* 9. ultra quos ex Canonistis Navarrus in *cap.* 1. *num.* 45. *de Pœnitent. dist.* 6. ac in Manuali *cap.* 3. *n.* 6. & ex Moralistis Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 84. Item *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 241. *& part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 38. Quæ nunc existunt in opere Coordinato *tom.* 1. *tract.* 6. *resol* 35. 36. *&* 37. Fundamenta hujus opinionis sunt: 1. Quia restitutus in gratiam Principis cum obligatione solvendi certam summam suo ærario publico, licèt committat novum delictum, si solvat dictam summam, satisfacit priori suæ obligationi; adeòut si iterum recuperet gratiam Principis, non teneatur dictam summam solutam iterùm solvere. 2. Quia solutio pœnæ non est acquisitio juris ad gloriam, sed est redditio ejus, quod debetur; & hæc redditio fieri potest tam ab amico, quàm ab inimico. 3. Satisfaciens Voto, si existat in mortali, nihilominus satisfacit, nec tenetur post dimissum mortale, iterùm eidem Voto satisfacere. 4. Similiter qui adimplet opera de præcepto in mortali, satisfacit præcepto, nec tenetur eadem opera repetere, ut in recitante, divinum Officium, vel audiente Sacrum; ea ratione, quia illa opera sunt solutiones debiti. Ergo idem in solutione pœnarum pro peccatis dimissis, 5. Satisfactio pro culpa fieri potest in peccato, scilicet per attritionem, & confessionem; utraque enim est compensatio, & satisfactio pro culpa, etsi non de condigno, sed de congruo. Ergo eò magis satisfactio pro pœna. 6. Si esset necessarius status gratiæ pro valore satisfactionis, assignaretur aliquis locus Scripturæ, vel Concilii, in quo esset requisitus ipse status gratiæ de necessitate satisfactionis. Sed nullus locus assignari potest. Ergo. Nec dicantur, esse supra assignata in primo fundamento opinionis contrariæ, quia Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 8. intelligendum est, non de gratia habituali, sed de auxiliis, quæ dantur à Christo ad quæcumque bona opera peragenda; siquidem si esset ne- 5 6

necessaria gratia sanctificans ad satisfaciendum, eam Concilium expressisset; quod non fecit; sed tantùm dixit, *non solùm pœnas à nobis voluntariè susceptas, sed & flagella patienter tolerata, esse satisfactiones pro peccatis.* 7. Satisfactio injuncta à Confessario pro peccatis potest adimpleri ante absolutionem ut concedunt omnes Moralistæ. Ergo extra statum gratiæ, qui non intrat nisi data absolutione confesso, & attrito. Sic Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 13. *art.* 9. *per totum*; ubi *num.* 240. respondet locis Sacræ Scripturæ supra allegatis in secundo fundamento; dicens ea esse intelligenda de gratia necessaria ad merendum; quia nulla opera sunt meritoria de condigno facta in peccato mortali; secùs autem ad satisfaciendum; quia cùm agatur de tollenda pœna temporali, licet facta in peccato, habent vim satisfaciendi: Idem mordicus defendit Mastrius *d. tom.* 4. *disp.* 5. *de Sacram. Pœnit. art.* 3. Ultimò, quia existens in peccato, faciens opera pœnalia, & ea offerens pro animabus Purgatorii satisfacit pro illis. S. Thom. *part.* 3. *quæst.* 89. *art.* 3. *in corp.* Navarrus *in cap. Divina* §. *Sicut ergo. num.* 5. *de Pœnitent. dist.* 4. Nostræ Decisiones de Eucharistia *Decis.* 58. *num.* 13. Igitur etiam satisfaciet pro seipso.

7 Tertia opinio est media inter duas præcedentes, & docet, valere quidem actus satisfactorios factos in mortali, sed eorum effectum in suspenso remanere, donec tollatur obex peccati, & ratio est manifesta, quia cùm satisfaciens pro pœna temporali, ex peccatis dimissis debita, sit obnoxius pœnæ æternæ ob novum peccatum mortale commissum, non potest frui beneficio illius satisfactionis, nisi liberetur à pœna æterna, per novam consecutionem gratiæ; nam si moriatur in mortali, damnabitur pœnæ æternæ; & frustra satisfecerit pro pœnis temporalibus: at si revertatur ad gratiam, locum habebunt præcedentes satisfactiones in mortali peccato factæ. Ita Volpi *Resol.* 153. ubi alii, inter quos Reginaldus *lib.* 7. *n.* 84. sed hi loquuntur de satisfactione injuncta à Confessario; ut expressè loquitur Reginald. *ibid. n.* 8. & Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 3. *punct.* 4. *n.* 15. à quibus conceditur reviviscentia satisfactionis, ablato peccato, non ex virtute ejusdem operis satisfactorii sponte facti; sed ex opere operato, & virtute Sacramenti Pœnitentiæ, in quo dicta satisfactio fuit imposita. Opinio Scotistarum est magis pia, & confortans homines licèt peccatores ad non deserenda jejunia, eleemosynas, & alia opera satisfactoria pro pœnis culparum antea dimissarum, sperantes suas satisfactiones valere ad tollendas pœnas temporales, etsi ipsi reinciderint in nova peccata.

8 Tertium dubium est: *An homo possit satisfacere pro peccatis nondum dimissis?* Proponitur, & examinatur hoc dubium ab Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp.* 13. *art.* 10. in quo advertit, nullum reperisse Auctorem, qui formaliter hanc dubitationem determiner, sed consuluisse plures Theologos viros doctissimos, quibus omnibus visum est non posse hominem ab aliqua parte, vel à tota pœna temporali solvenda liberari, antequam culpa dimittatur, sivè à Deo in contritione, sivè à Sacerdote in Sacramento Pœnitentiæ, adeò ut solùm culpa dimissa posse hominem satisfacere pro pœna; & non è contra; & huic opinioni, ob suam singularem modestiam, testatur prædicta Eminentia, se libenter acquiescere; quamvis habeat urgentes rationes, quæ suadent posse hominem per afflictiones, & pœnitentias voluntariè assumptas, vel patienter toleratas satisfacere vel in totum, vel in parte pro pœnis culparum mortalium nondum dimissarum. Nam

9 Primò peccator ex auxilio divinæ gratiæ potest exercere opera, quibus se disponat de congruo ad gratiam sanctificantem, & ad remissionem culpæ. Ergo potest etiam de congruo obtinere remissionem alicujus pœnæ. Exemplum est in Nabuchodonosore Rege, cui Daniel ait: *peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum. Dan.* 4. 25. quæ verba si referantur ad remissionem, diminutionemve pœnarum imminentium eidem Regi, probant intentum: si autem ad remissionem culpæ de congruo, idem probant; quia non est major ratio de remissione pœnæ temporalis, quàm de culpa. *Secundò*: Glossa sua super illud *Job.* 31. 4. *ipse considerat vias meas*, dicit: *Nulla bona, vel mala sunt sine retributione.* Ergo opera pœnalia, quæ facit peccator, possunt saltem de congruo impetrare aliquam diminutionem pœnæ. *Tertiò*: Si pœnitens ante confessionem multa opera pœnalia exercuerit, jejunia, disciplinas, cilicia, &c. cum sola attritione, confessarius intuitu talium pœnarum minorem imponeret satisfactionem, quàm si tales pœnas non assumpsisset. Ergo signum est, pœnas præcedentes fuisse compensativas pœnæ injungendæ. *Quartò*: Si supponamus duos peccatores ex æquali culpa fornicationis, quorum unus exerceat multa bona opera pœnalia; alter nullum ex his bonum opus faciat, si ambo moriantur statim post Confessionem, justum non est, ut tantam pœnam sustineat in Purgatorio primus, ac secundus; docente Apostolo *ad Hebr.* 6. 10. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur laboris vestri.* Ergo dicendum, etiam non dimissa culpa, posse obtineri dimissionem alicujus partis pœnarum. *Quintò*: Si quis laboret febri, & habeat ulcus in cruce, potest sanari ab ulcere, quamvis duret febris, adeò ut cùm recesserit febris, statim possit uti crure illo. Ergo idem dicendum de dimissione pœnæ temporalis durante culpa, qua postea dimissa frui possit beneficio remissæ pœnæ. *Sextò*: Existens in mortali potest per auxilia divinæ gratiæ exercere aliqua opera supernaturalia, & de congruo meritoria; ut concedunt Theologi: Suarez *in* 3. *par. tom.* 4. *disp.* 37. *sect.* 2. *num.* 9. Ergo potest etiam facere opera Pœnitentiæ, quibus impetret, ut minor pœna sibi taxetur, cùm culpa erit dimittenda. Hæc, alia argumenta extendit Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disput.* 13. *art.* 10. pro fundamento suæ opinionis; quamvis multa sint in contrarium, & præcipuè, quòd omnia opera bona existentis in peccato sunt mortua coram Deo; & quòd, *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus. Sap.* 14. &, *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. Psal.* 14. & 1. *Cor.* 13. 3. *Si distribuero in cibos pauperum facultates meas, & si tradidero corpus meum, itaut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* At respondet Eminentiss. Auctor, prædicta intelligi esse mortua, & nihil valere ad meritum de condigno; secùs autem de congruo tùm ad illuminationes, & auxilia gratiæ recipienda, tùm ad impetrandam aliquam diminutionem

pœ-

pœnarum, & ad valorem satisfactionis pro iisdem pœnis. Addam ego huic opinioni Eminentiss. Cardin. de Lauræa auctoritatem repertam in Brevi Apostolico Alexandri Papæ VII. diei 29. Maii Anni 1658. registrato per Carolum Cartarium in libello *la Rosa d' oro pag.* 157. In eo enim Summus Pontifex concedit Annos 15. Indulgentiæ his, qui interfuerint solemni Missæ Sacrificio, in quo consignanda erat Rosa Aurea à se benedicta CapituloSenarum; si sua peccata fuerint confessi; *vel* (notetur) *si habuerint propositum illa confitendi temporibus ab Ecclesia statutis.* Considero, quòd solum propositum confitendi non potest restituere peccatores in gratiam Dei. Et nihilominus hi per solum propositum confitendi peccata sua consequuntur Indulgentiam, idest remissionem annorum 15. pœnarum. Ergo datur satisfactio etiam pro peccatis nondum dimissis.

DECISIO IX.

ARGUMENTUM.

Differitur de virtute Orationis in satisfaciendo pœnis debitis pro peccatis, eaque pluribus exemplis comprobatur. Inter cæteras orationes magnæ efficaciæ sunt Psalmi Pœnitentiales, Graduales, Officium Defunctorum, Officium parvum B. MARIÆ Virginis, ejus Rosarium, & Corona; de quibus omnibus, & singulis eruditiones plurimæ, ac Indulgentiæ referuntur; nec non de recitantibus trinam Salutationem Angelicam ad pulsum Campanæ in Aurora, Meridie, ac Vespere.

SUMMARIUM.

1 *Orationis efficacia ad satisfaciendum pro peccatis. Exempla.*
2 *Psalmi Pœnitentiales, & Graduales satisfactorii, ac Officium Defunctorum.*
3 *Psalmorum Pœnitentialium circa recitationem in Officio eruditiones plurimæ.*
4 *Gradualium Psalmorum observationes.*
5 *Defunctorum Officii quis Auctor? Quando recitandum in Choro?*
6 *Defunctorum Officium, qui non recitat die 2. Novemb. peccat mortaliter.*
7 *Officii parvi B. M. Virginis quis Auctor?*
8 *Indulgentiæ in recitatione Psalmorum Pœniten. Officii Defunctorum, ac B. M. V. possunt Defunctis applicari.*
9 *Rosarium Deiparæ satisfactorium.*
10 *Litanias SS. Nominis JESU, ac Deiparæ recitantibus; nec non eorum nomina pronunciantium, Indulgentiæ.*
11 *Recitantibus* Angelus Domini &c. *ter ad pulsum Campanæ quanta Indulgentia sit concessa?*
12 *Coronam Deiparæ, ac Redemptoris recitantibus Indulgentiæ.*

REvertens ad hominem justificatum per contritionem, vel actualem Sacramenti Pœnitentiæ susceptionem, qui pœnis pro suis culpis dimissis satagit satisfacere, hæc satisfactio impendi potest non solùm per jejunia, cilicia, & disciplinas, de quibus supra egimus, sed etiam, ut *Decis. IV. n.* 7. notavimus, per orationem, & eleemosynam; quorum appellatione veniunt tum omnia opera Misericordiæ corporalis, ac spiritualis; tum quarumcunque aliarum virtutum Theologalium, ac Moralium; ut expressè habetur in Concilio Tridentino *sess.* 14. *de Sacram. Pœnit. Can.* 13. ibi: *Ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus.*

Et quod attinet ad orationem, plura reperiuntur exempla in Vitis Sanctorum de remissione pœnarum 1
obtenta virtute orationis, quorum aliqua sunt hic breviter referenda. Primum sit illud, quod legitur in Vita Cardinalis de Aretio *lib.* 2. *cap.* 18. *pag.* 218. de quodam Nobili Veneto; qui dederat non paucos nummos aureos, vulgò *Cecchini* R. P. D. Joanni Paulo Montorfono Præposito Clericorum Regularium Theatinorum, in Ecclesia Tolentinorum dicta Venetiis, ut Anniversarium pro Defunctis celebrare faceret. At quia benefactori illi restricta nimis visa fuit pompa apparatus, Præpositus antedictus scripsit in brevi chartula orationem pro Defunctis *Deus veniæ largitor, &c.* eamque posuit in una parte stateræ, in alia verò parte injecit omnes illos Cecchinos, qui minus reperti sunt pondus habere, quàm chartula prædicta. 2. In Vita S. Malachiæ Episcopi Hibernienfis narrat Joann. Petrus Maffæius Soc. Jesu *pag.* 12. Sororem defunctam prædicti Sancti apparuisse eidem, nigro amictu vestitam; ex quo intellexit, eam in pœnis Purgatorii reperiri. Cœpit pro ipsa ferventer orare, & paulò post liberatam à pœnis vidit eam ascendere ad Cœlum. Idem narrat Episcopus Osmen. in libello. *Lume à Vivi. n.* 89. *pag.* 102. 3. Confert, quod de anima Paschasii Diaconi Cardinalis scribit S. Greg. Papa *Dialog. lib.* 4. *cap.* 40. quam post mortem in visibili forma S. Germanus Episcopus Capuanus reperit purgantem in Angulanis Thermis; nam ab eo interrogata, quid illic ageret? respondit: *Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentii* (Antipapæ) *contra Symmachum* (verum Pontificem) *sensi. Sed quæso te, pro me Dominum deprecare atque in hoc cognosces, quòd exauditus sis, si huc rediens me non inveneris. Qua de re vir Domini Germanus se in precibus strinxit, & post paucos dies rediit, sed jam dictum Paschasium in loco eodem minimè invenit.* 4. Jacobus Pater S. Catharinæ Senensis rationibus ejusdem filiæ suæ meruit absolvi ab omnibus pœnis Purgatorii in puncto sui obitus, & felix ad Cœlum volare. Surius *die* 29. *April. in Vita d. Sanctæ.* 5. Gundesindum Episcopum Compostellarum in Officio Pastorali satis desidem, post mortem in pœnis Purgatorii languentem orationes matris ejus ad altare S. Jacobi Apostoli feliciter liberarunt. Joann. Vasæus *in Chronic. Ann.* 920. Quòd si orationes satisfaciunt pœnis aliorum, eò magis solvent illas orantis pro seipso. 6. Guilielmus ille à Corvo, seu à Cornu (quem retuli *in Decis. de Eucharistia Decis.* 25. *num.* 6.) cujus anima Purgatorium patiebatur in proprio cubili, ex Odorico Rainald. *in Annalib. Ann* 1324. *n.* 54. & ex Sybilla *in Speculo Peregrinar. Quæst. Dec. ad prima cap.* 4. *q.* 2. interrogatus, *Quæ suffragia mortuis melius opem ferant? dixit, Missa, & Psalmi Pœnitentiales.* Et paulò post requisitus, *Quantum in Purgatorio hospitii sui stare deberet? Respondit, altissima voce clamans: rogate pro me Orationibus, Missis, & Psalmis Pœnitentialibus usque ad festum Paschæ, & tunc liberabor.* Rectè igitur nominavit inter alias orationes Psalmos Pœnitentiales, quibus addendi sunt Psalmi 2

Graduales, ac officium Defunctorum ; his enim precibus potissimùm solvitur pœna pro peccatis debita ; & eis ab antiquo tempore utitur Ecclesia etiam in horis Canonicis.

Siquidem Psalmi Pœnitentiales, qui erant in usu S. Augustini, antiquitùs dicebantur semper post Primam in Officio trium Lectionum cum Litaniis, precibus, & orationibus sequentibus extra tempus Paschale. Bissus *in Hierurgia Litt. Pf. numer.* 253.
3 Sub Innocentio autem Tertio statutum fuit, ut dicerentur tantùm in Quadragesima omnibus diebus. Guyet *de Fest. propr. lib.* 4. *cap.* 20. *q.* 1. Nunc autem ex Bulla Sancti Pii Quinti, initio Breviarii posita, & ex Rubrica Missalis, dicuntur solummodo in Quadragesima feria VI. quando fit officium de Feria ; quia feria sexta Adam peccando mortem intulit Mundo, & Christus moriendo mortem vicit. Gavantus *tom.* 2. *sect.* 9. *cap.* 4. *num.* 7. & recitantur post Matutinum, & Laudes diei, statim dicto *Benedicamus Domino*, nisi esset consuetudo inveterata eos recitandi expleto Completorio Feriæ V. antecedentis ; quam posse servari declaravit *S. Congreg.* 2. *Augusti* 1603. teste Gavanto *ubi supra num.* 6. Sunt autem recitandi flexis genibus alternatim à Choro unà cum Litaniis dicta sexta feria Quadragesimæ sub præcepto ; at extra Chorum ex devotione.

Psalmi Graduales (sic dicti, quia recitabantur ab ascendentibus per quindecim gradus in Templum Salomonis : Durand. *in Ration. Div. Off. lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 39. Magrius *in Hierolex. Verb. Psalmus*, qui plura digna scitu refert,) licèt olim frequentiùs dicerentur in Choro, nunc eadem Bulla Piana eorum
4 recitatio restricta est ad ferias Quartas Quadragesimæ, non impeditas officio novem Lectionum ; ante Maurutinum diei, ac B. Mariæ Virginis, nisi esset usus illos recitandi feria Tertia post Completorium. Bissus *d. Litt. Pf. n.* 252. §. 4. Extra Chorum autem ex devotione pro libito dicuntur, & primis quinque Psalmis omittitur Gloria Patri, quia applicantur pro animabus Purgatorii cum unico *Requiem æternam*; ad significandum nos desiderare Defunctis unicam, & æternam Requiem. Gavant. *d. tom.* 2. *sect.* 9. *cap.* 3. *n.* 6.

Officium Defunctorum, cujus Auctorem alii faciunt Origenem, alii Amalarium Fortunatum, &
5 alii Divum Ambrosium, ut notat idem Magrius *V. Officium Defunctorum* ; Et Bissus *in Hierurgia eod. Verbo*, ubi asserit ex S. Antonino, Responsoria ejus fuisse composita à Mauritio Episcopo Parisiensi, qui obiit Anno 1196. Usus quidem hujus officii est antiquissimus ; at quò ad ejus recitationem in Choro, nunc ex Rubrica Breviarii recitandum est semel in mense : prima die non impedita officio novem lectionum ; quòd si hæc dies non impedita sit tantùm ultima mensis, in ea est recitandum ; etsi prima dies sequentis Mensis sit, & ipsa libera, & in ea replicari debeat. Gavant. *tom.* 2. *sect.* 9. *cap.* 2. *num.* 11. Bissus *ubi supra* §. 4. At in Adventu, & in Quadragesima non est recitandum prima die Mensis non impedita, quia hisce temporibus recitatur singulis secundis feriis non impeditis ; immò si omnes secundæ feriæ essent impeditæ officio novem lectionum ; veniret autem prima dies Mensis non impedita, non est recitandum : Gavantus *ibid. num.* 12. & Bissus §. 5. nisi ex pietatis affectu. Quòd si Vigilia Nativitatis Domini veniat in feria secunda, etsi Castaldus doceat, esse recitandum Officium Defunctorum, negant Gavantus *d. loc. num.* 14. & Bissus cum aliis §. 6. quia officium illius Vigiliæ habet rationem duplicis. Locus hujus officii est quò ad Vesperas, statim dicto *Benedicamus Domino* in Vesperis antecedentis diei ; & quò ad Nocturnum, & laudes, statim post laudes officii diei, nisi esset consuetudo illud recitandi statim post Completorium pro die sequenti, quam licitam esse tuentur Gavant. Guyet, Bauldry, & alii apud Bissum, *ubi ante* §. 7. subdens, quòd aliquando dicitur cum Invitatorio, & tribus nocturnis, nempè in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum ; & in die depositionis Defuncti, at in die tertio, septimo, ac trigesimo, solum nocturnum unum absque Invitatorio venit dicendum ex vi Rubricæ ; prout etiam abs oratione Dominica sivè antè, sivè post ipsum ex Rituali Romano. Quod si ex aliqua justa causa laudes essent separandæ, seu omittendæ à nocturnis, post ultimum essent dicendæ preces cum oratione congrua prout in die omnium Defunctorum. Cumque officium Defunctorum recitatur pro uno tantùm, in precibus ante orationem non est loquendum in plurali, sed in singulari numero, nempè : *A porta inferi, erue Domine animam ejus, Requiescat in Pace. Amen.* Post orationem verò semper *Requiescant in pace* dicendum venit, quia illum versùm Ecclesia extendit ad omnes fideles Defunctos. Ita ex Gavanto, Bissus *d. Verb. Offic. Defunct.* §. 13. Supradicti Psalmi Pœnitentiales, Graduales, ac Officium Defunctorum non sunt recitandi extra Chorum de Præcepto, ut ex Bulla S. Pii Quinti, qui illos recitantibus ex devotione concedit dies quinquaginta Indulgentiæ, & pro recitatione Officii Defunctorum dies centum, excepta die secunda Novembris, in qua hoc est recitandum de Præcepto, unà cum officio de octava Omnium Sanctorum, & qui illud omitteret, peccaret mortaliter. Castropal, 6
part. 2. *tract.* 7. *disp.* 2. *punct.* 2. *num.* 13. Gobat *tract.* 5. *Theol. Exper. num.* 614.

His publicis orationibus, Psalmis, ac officiis ab Ecclesia, præter Horas Canonicas, approbatis, 7
addendum est Officium parvum Beatissimæ Mariæ Virginis, quod compositum fuit non à S. Petro Damiano Cardinali, ut opinatur Eminentiss. Cardin. Baronius *Anno* 1056. *num.* 4. sed ab incognito Auctore ab hinc mille propè annis, nam à tanto tempore in Sacro Monasterio Cassinensi simul cum Divino officio recitabatur in Choro, ex præcepto Gregorii III. & Zachariæ Summorum Pontificum, ut demonstrat Bissus *in Verb. Officium parvum Beat. M. V. num.* 36. Et nunc de præcepto est recitandum in Choro, quotiescunque non fit de festo novem lectionum ; nisi aliter esset in usu inveterato. Guyet *de prop. fest. lib.* 4. *cap.* 19. *quæst.* 4. Bissus *ubi supra d. num.* 36. §. 2. 3. & 4. At extra Chorum nulli datur præceptum illud recitandi, exceptis Pensionariis ; recitantibus autem ipsum ex devotione Sanctus Pius V. relaxat centum dies de injuncta ipsis Pœnitentia toties quoties, ut in Bulla Breviarii ; & differit Bissus *ibid. à* §. 6. *& seqq.* explicans ; quomodo jungatur in Choro horis Canonicis, & quomodo fiat mutatio in tribus diversis temporibus Adventus, Purificationis, & per Annum.

Igitur qui cupiunt satisfacere reatibus suarum culparum in hac vita per Orationes, ultra alias plurimas vocales, ac mentales solliciti esse debent in recitandis Psalmis Pœnitentialibus ; Gradualibus & Officiis

& Officiis tum Defunctorum, tum Sacratissimæ Deiparæ; attentis præcipuè Indulgentiis, quæ
8 lucrantur toties quoties in eorum recitatione procedunt, ut dictum est. Tantò magis quia probabile est, easdem Indulgentias posse per recitantem cedi, offerri, ac renunciari animabus Purgatorii, juxta opinionem Gobati *in Quinario tract. 4. à num. 466. & seqq.* etsi detrectet Diana *part. 10. tract. 16. resol. 12.* Quæ in opere Coordinato est *tom. 4. tract. 5. resol. 37.* Legitur in vita Beatæ Elisabeth Ungaræ apud Hieronymum à Basilica Petri *Ephemerid. Sacris die 6. Maii num. 9.* ostensam fuisse visionem plurium Monialium, recitantium Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis, à quarum labiis tot Margaritæ decidebant in Vasa, quot verba ejusdem officii proferebant. Magnus est valor margaritarum ad dissolvenda debita, & plurimi valet prædicti officii recitatio ad satisfaciendum pro pœnis. In approbationibus Animarum Purgatorii Matri Franciscæ à Sanctiss. Sacramento Carmelitæ Discalceatæ, de quibus in libello *Lume à vivi dall' esempio de morti*; legitur, ab iisdem frequentissimè expostulari suffragia Orationis, & testatur Scriptura Sacra 2. *Machab. 12. Sancta, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Ergo etiam à vivis pro ipsis viventibus.

His jungere cogor, quanti expediat, ad satisfaciendum pro pœnis culparum recitare frequenter
9 Psalterium, seu Rosarium Deiparæ, à S. Dominico institutum, consistens in centum quinquaginta Salutationibus Angelicis, & quindecim Pater noster; vel saltem tertiam partem ejusdem Rosarii, siquidem Sixtus IV. *Constit. 18. Anno 1479. 9. Maii* concessit omnibus recitantibus eandem tertiam patrem Rosarii annos quinque, & totidem quadragenas Indulgentiæ, toties quoties. Et Clemens VII. *Constit. 40. Anno 1534. 8. Maii*, iisdem, ut suprà, recitantibus addit alios duos annos Indulgentiæ, præter supradictos. Quòd si ipsi recitantes Rosarium sint adscripti Confraternitati ejusdem, longè plures Indulgentias toties quoties consequuntur *ex Constit. 46. Leonis X. ex Constit. 86. S. Pii V. & ex Constit. 21. Sixti V.* de quibus Constitutionibus disserit Lezana *in Summa tom. 2. cap. 15. à num. 51. & seqq.* & ante illum Navarrus *tom. 3. Opuscul. Miscell. 19. de Psalterio*; ac post illum Gobat in Quinario *tract. 4. cap. 15. nec non cap. 31.* ubi *n. 603.* refert aliam Bullam Sixti V. in qua conceditur Indulgentia vigintiquinque dierum nominantibus reverenter nomen *JESUS*, vel nomen *MARIÆ*; toties quoties, ac Plenaria postea Indulgentiæ in mortis articulo. Nec non Indulgentia tercentum dierum recitantibus Litanias Sanctiss. Nominis JESU; ac bis centum, Litanias Sanctissimæ Virginis, toties quoties; undè subdit idem Gobat *d. tract. 4. cap. 31. n. 603. in*
10 *fin.* de prima Indulgentia Sixtina hæc verba: *Hujus Indulgentiæ vellem memorem esse meum Lectorem, singulariter dum ex more Virginem Matrem salutat ad pulsum consuetum; aut ejus Coronam recitat, vel pensum Canonicum persolvit, Missamque celebrat. Cùm enim tam crebro in hisce quaternis actionibus religiosissimis occurant illa duo Sacratissima nomina; occurrit quoque tunc sæpissimè occasio delendi tantas pœnas Purgatorii, quantæ expiarentur, si perageretur ardua Pœnitentia dierum vigintiquinque.* Neque
11 lateat lectorem, pro recitantibus ter *Ave Maria* cum tribus illis Antiphonis *Angelus Domini &c. Ecce Ancilla Domini &c. Et Verbum caro &c.* ad tria signa Campanæ post Solis occasum, concessam esse Indulgentiam plenariam ab Adriano Sexto, & à Paulo Tertio. Lezana *in Summa tom. 3. Verb. Indulgentia quoad Regulares num. 20.* Fagnanus *in cap. Custos Ecclesiæ num. 4. de Officio Custodis tom. 2.* subdens, alias Indulgentias esse elargitas recitantibus eandem Angelicam Salutationem in crepusculo diei; ac cæteris magis piè, ac plenè Gobat *d. tract. 4. cap. 30. per totum*, ubi de hac re Theologorum attestationes cumulat. Neque omittendæ Indulgentiæ 12
in recitatione Coronæ Deiparæ, & Coronæ Domini Nostri JESU CHRISTI, consistentis primæ in 70. Ave Maria, cum septem Pater; secundæ in 33. Pater noster, & quinque Ave Maria; prout in libello, quem dispensant Patres Eremitæ Camaldulenses, vulgò *di Rua*, à quibus hæc devotio Coronæ originem habuit, & fomentum recipit. De Corona Deiparæ plura, eaque ultima exempla, ac eruditiones congerunt Mattheolus *in Sylva Histor. part. 1. libr. 4. tit. 7.* P. Alexius Segala Capuccinus *tom. 1. de Arte Mirabil. honorandi Virginem, ac Matrem Dei MARIAM cap. 16. & seqq.* & Comes Marcus Antonius Martinengus olim Canonicus Patavinus, deindè Episcopus Turcellan. in suo opere, *Tramontana alla servitù della Santissima Vergine cap. 53. & ult.* typis edito Anno 1629. Reverendissimo Capitulo, ac Canonicis Cathedralis Paduæ dedicato.

DECISIO X.

ARGUMENTUM.

Ostenditur, quanta sit vis Eleemosynæ in delendis pœnis debitis pro peccatis. Docetur, quid, & quotuplex sit Eleemosyna. Quando sit de præcepto in personis Laicis, & Ecclesiasticis. Disputatur celebris illa Quæstio, Utrùm beneficiarii non expendentes fructus superfluos suorum beneficiorum in usus pios peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem; nec non eorum hæredes.

SUMMARIUM.

1 *Quid, & Quotuplex sit Eleemosyna?*
2 *Eleemosyna quando sit de Præcepto in personis Laicis?*
3 *Divites non tenentur Eleemosynam facere de superfluis in communi necessitate pauperum nisi ex consilio: at in gravi, & in extrema de præcepto.*
4 *Eleemosyna divitibus proficua.*
5 *Ecclesiastici an teneantur ad Eleemosynam sub præcepto.*
6 *Beneficiorum fructus superflui dandi sunt pauperibus de præcepto. Rationes; Jura; Concilia.*
7 *Prædia quo pacto relicta Ecclesiis per fideles.*
8 *Bona Ecclesiastica sunt Patrimonium Jesu Christi.*
9 *Beneficiarii solam sui sustentationè habere possunt.*
10 *SS. Patrum auctoritas de superfluis beneficiorum non retinendis. Item Theologorum, ac Canonistarum, & Jurisperitorum num. 11.*
12 *Clerici olim vivebant omnes in Communi.*
13 *Beneficia, ac Præbendæ quando institutæ.*

14 *Beneficiarii non sunt domini, sed dispensatores fructuum.*
15 *Beneficiarii de quibus non teneantur facere eleemosynam?*
16 *Beneficiarii non dantes eleemosynam de superfluis, an teneantur ad restitutionem? Item an eorum hæredes?*
17 *Beneficiarii qua forma sint domini fructuum Præbendarum?*
18 *Prælatorum omissiones circa officium suum.*
19 *Testari de jure an beneficiarii possint?*
20 *Alex. Sperellus Episcopus Eugubinus laudatus.*
21 *Exempla beneficiariorum damnatorum.*
22 *Hæredes beneficiariorum an licitè teneant hæreditatem?*
23 *Eleemosyna superat omnes alios actus satisfactorios.*
24 *Exempla circa vim Eleemosynæ pro delendis pœnis.*
25 *B. Ida Eleemosynis liberat Patruum suum à Purgatorio.*

PRæter orationes satisfacit homo Christianus pœnis, quibus est adstrictus pro culpis dimissis, mediante Eleemosyna; sic enim testatus est Angelus Raphael ad Tobiam *cap.* 12. *Vers.* 9. dicens: *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata*; quapropter de virtute Eleemosynæ est breviter differendum, circa quam sex demonstranda, & explicanda occurrunt.

Primò: Quid, & Quotuplex sit Eleemosyna?
Secundò: Quando sit de Præcepto in Personis Laicis?
Tertiò: Quando sit de Præcepto in Personis Ecclesiasticis?
Quartò: Utrùm beneficiarii non expendentes in usus pios fructus superfluos suorum beneficiorum, ultra peccatum mortale, teneantur ad restitutionem?
Quintò: An etiam eorum hæredes?
Sextò: Quanta sit vis Eleemosynæ in delendis pœnis debitis pro peccatis?

Quo ad Primum. Eleemosyna est verbum græcum derivans à verbo ἐλεέω, quod latinè sonat *Misereor*, seu Misericordiam exerceo; omnis enim, 1
qui dat Eleemosynam, miseretur, ac misericordiam facit in eum, cui illam porrigit; ideò in Missa dicentes *Kyrie eleison*, petimus à Deo misericordiam. Definitur autem Eleemosyna, ut sit *Opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum.* Tria enim concurrere debent ad virtutem Eleemosynæ; *Unum*, quòd detur indigenti; quia qui dat diviti, vel non indigenti, non dicitur Eleemosynam facere, sed donare. *Alterum*, quòd det ex compassione; qui enim dat ob ministerium, vel laborem in aliqua functione, dicitur dare mercedem, non Eleemosynam; & sic stipes, quæ datur celebranti, vel prædicanti, aut aliam functionem spiritualem exercenti, non dicitur Eleemosyna verè, & propriè, sed tantùm lato modo; verè enim est stipendium, seu merces pro labore. Reginald. *in Praxi lib.* 4. *num.* 240. *Tertium, propter Deum*; quia hæc virtus reducitur ad Charitatem, ut probat Emin. Cardin. de Lauræa *in* 3. *Sent. tom.* 4. *disp.* 13. *Misericordia, Eleemosyna, &c. num.* 9. *& seqq.* ideò qui dat ob vanam gloriam, non dicitur dare Eleemosynam; quæ propter hoc vocatur etiam *Charitas*, quia procedere debet ex charitate. Emin. Card. de Lauræa *d. tom.* 4. *disp.* 9. *num.* 55. *& disp.* 13. *à nu.* 47. *& seqq.* aliàs non est meritoria, juxta illud Apostoli 1. *Cor.* 13 *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Duplex est Eleemosyna, alia corporalis, alia spiritualis. Prima respicit septem opera misericordiæ, quæ ad auxilium corporum spectant, contenta hoc versu: *Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.* Secunda exercetur in auxiliis bonum animæ proximorum concernentibus, hoc pariter carmine restricta: *Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora,* & declarantur à Reginaldo *d. lib.* 4. *num.* 241. & sunt illa, quæ habentur in libello doctrinæ Christianæ; & complectuntur omnes miserias humanas tum ad corpus, tum ad animam pertinentes, ut ex Eminentiss. Cardin. Bellarmino *De bonis operibus lib.* 3. *cap.* 2. ostendit *ibid.* Reginaldus *num.* 242. subdens *num.* 243. dari posse etiam alia opera misericordiæ, & eleemosynæ præter supradicta, veluti dirigere cœcum, sustentare claudum, protegere viduam, & pupillum, ac dare dotem virginibus pauperibus, de quibus memorat S. Job *cap.* 29.

Quo ad secundum: Dubitare non possumus, Eleemosynam esse faciendam de Præcepto; quia, 2
ut argumentatur Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. tom.* 4. *disp.* 13. *art.* 4. *num.* 62. quorum transgressio inducit pœnam, eorum insinuatio inducit præceptum. Sed eleemosynæ omissio inducit pœnam, juxta illud, quod dicturus est Salvator in extremo judicio, scilicet: *Ite maledicti in ignem æternum; esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Matth. 25. 42. & paulò post *Vers.* 45. *Quandiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Ergo eleemosynam facere est de præcepto. Præter quam quod, si debemus diligere proximum sicut nos ipsos ex præcepto divino *Luc.* 10. 27. Et de præcepto naturali, quod nobis fieri velimus, teneamur aliis facere nobisque indigentibus cupiamus ab habentibus auxilium dari, utique negare non possumus, eleemosynam esse de præcepto, ut latiùs differit, ac probat idem Eminentiss. Card. de Lauræa *d. tom.* 4. *in* 3. *Sent. disp.* 13. *art.* 4. *à num.* 62. *& seqq.* ubi plures auctoritates Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum cumulat de eleemosyna facienda. Porrò difficillimum est demonstrare, quando urgeat hoc præceptum; tanta sunt enim, & talia, quæ à Scholasticis, & à Moralistis dicuntur circa tempus dandi eleemosynam à Laicis; ut nimia confusio in animis legentium, ac timor in cordibus audientium de æterna damnatione divitum generetur; si vera sunt, quæ scribuntur à supradictis, scilicet esse obligatos divites dare eleemosynam ex præcepto non solùm in extrema, ac gravi necessitate proximorum, sed etiam ex superfluis in communi necessitate pauperum, ut videre est apud Valentiam *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 9. *punct.* 4. §. 2. Reginaldum *d. lib.* 4. *sect.* 4. *per totam à n.* 256. *& seqq.* Cotonium *in Summa Dianæ à num.* 11. Bonacinam *tom.* 2. *Circa primum Decalogi Præceptum disp.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 6. *per totum.* Et novissimè apud Joannem de Cardenas *in Crisi Theologica disp.* 20. *cap.* 2. *art.* 1. *& seqq.*

In hac re absque hæsitatione mihi videtur amplectenda opinio Eminentiss. Cardin. de Lauræa non minùs pietate, quam studio eximii, qui *d.* 3
disp. 13. *art.* 4. ex Divo Thoma 1. 2. *quæst.* 32.
art. 5.

art. 5. & ex Scoto *in* 3. *Sent. dist.* 30. *n. unic.* firmat in communibus necessitatibus pauperum divites non teneri ad dandam eleemosynam ex superfluis, nisi ex consilio: at in extrema, vel gravi proximorum necessitate, quando scilicet agitur vel de periculo vitæ corporalis, vel de amissione status honesti eorundem proximorum; eleemosynam ex superfluis esse à divitibus faciendam de Præcepto. Probat Eminentia sua hanc opinionem, quo ad primam partem; quia si divites tenerentur dare eleemosynam de superfluis in communi necessitate pauperum; 1. magna esset confusio in mente hominum, quærendo cuinam potiùs, aut cui priùs deberent succurrere, & non possent. 2. Ecclesia toleraret maximum errorem; nam Confessarii non interrogant divites pœnitentes, neque isti se accusant, quòd eleemosynam non erogaverint omni indigenti, neque ulla lex Ecclesiastica reperitur, quæ eos obliget, extra extremam, vel gravem necessitatem. 3. Multa furta impunè possent fieri ab egenis, etsi non graviter indigentibus; qui bona divitum possent surripere. 4. Quia nullus dives posset habere apud se pecuniam, vel res pretiosas, ultra necessitatem sui status; & sic omnes divites essent in statu peccati mortalis, & æternæ damnationis. 5. Nihil possent amicis suis donare; vel supellectilia superflua tenere. 6. Neque possent fabricare Ecclesias, vel iisdem res pretiosas donare, quibus non indigerent. 7. Adeòut vita divitum Christianorum esset infelicissima; tenerentur enim jugiter metiri summam suarum facultatum, & pauperum necessitates, cum magna perplexitate, & confusione mentis; quapropter ad tot absurda evitanda absque formidine tenendum; divites obligatos esse dare eleemosynam ex præcepto in gravi, & in extrema necessitate proximorum; at in communibus necessitatibus ex consilio tantùm. Ita Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 13. *art.* 4. Mastrius *in Theolog. Mor. disp.* 10. *art.* 2. *n.* 58. ubi dat aliam regulam, in qua cessat semper Præceptum dandi eleemosynam, videlicet, quando dives illam faciendo veniret ad parem, vel majorem necessitatem; ordo enim charitatis exigit, quòd in pari necessitate quisque seipsum magis diligat, quàm proximum. Et ex Moralistis idem de divitibus, non esse obligatos de Præcepto nisi in gravi, vel extrema necessitate, docent Cotonius in suis Controversiis *lib.* 1. *Controv.* 7. *n.* 7. Layman. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *n.* 5. ac Tamburin. *in Decalog. lib.* 5. *cap.* 1. §. 1. *à num.* 15. *& seqq.*

Hæc autem intelligenda sunt, non ut retrahantur divites à danda eleemosyna pauperibus etiam in 4 communi necessitate; sed ut auferantur scrupuli, & anxietates animi confessariis, ac pœnitentibus; certum est enim in reliquis magnoperè expedire divitibus, ut liberales sint erga pauperes in omni tempore; tum ut seipsos liberent à pœnis debitis pro propriis culpis, ut dicemus infra ad sextum; *ipsa* enim *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Tob.* 4. 11. tum quia per eleemosynam multiplicat Deus divitias illam facientibus; testatur siquidem Spiritus Sanctus; *Honora Dominum de tua substantia, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt. Prov.* 3. 9. Et certum est, quòd *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Prov.* 19. 17. Et quòd *Qui dat pauperi, non indigebit. Prov.* 28. 27. Quòd latiùs probat Segnerius *in Quadrag. Concion.* 22. *n.* 7. *& seqq.* Et in suo Christiano Instructo *Serm.* 17. *à num.* 15. *& seqq.*

Quo ad Tertium. Circa Ecclesiasticos possidentes beneficia, dicendum est, ipsos de Præcepto, & sub pœna peccati mortalis teneri facere eleemosy- 5
nam de fructibus superfluis suæ honestæ sustentationi, non solùm in extrema, & gravi necessitate Pauperum, sed etiam in communi; adeò ut non possint illos expendere in usus profanos, nec sibi retinere, aut donare parentibus. Hoc dictum est amarum beneficiariis; sed est verum, & attendendum ab illis, qui volunt salvare animam suam; sic enim docent gravissimi, ac doctissimi Doctores infra referendi, Theologi Scholastici, Morales, Canonistæ, ac Jurisperiti, & sicut meipsum suasum faciunt, sic unusquisque sibi suadere debet hanc veritatem ex rationibus sequentibus.

Primo, quia agri, possessiones, ac bona, quibus 6
ditata sunt beneficia, antiquitùs fuerunt oblata Ecclesiæ à fidelibus ad hunc finem, & cum hac intentione, & obligatione, ut detractis necessariis alimentis pro victu, & vestitu clericorum, nec non expensis pro manutentione Ecclesiarum, atque supellectilis Sacræ superfluum dispensaretur in alimoniam pauperum. Infinita sunt hujus veritatis testimonia Sanctorum Patrum, Conciliorum, Canonum, ac Doctorum; allegata, & collecta per Emin. Card. de Lauræa *d. tom.* 4. *in* 3. *Sent. disp.* 13. *art.* 8. Et in Epitome Canonum *Verb. Ecclesiæ reditus, & bona, à quo, &c. distribuenda, pag.* 273. quorum ingentem numerum reposuit Gratianus *in Decreto* 12. *quæst.* 1. *& quæst.* 2. At ex his satis sit observare Epistolam Sancti Urbani Papæ Primi, qui sedere cœpit Anno CCXXVI. nec non decretum Sacri Concilii Tridentini.

Sanctus Urbanus Primus Papa, & Martyr, in Epistola sua, (quæ habetur in primo Tomo Conciliorum *pag.* 347.) relata praxi Apostolorum dispensandi in alimoniam pauperum pretia prædiorum, quæ ad eorum pedes à fidelibus ferebantur, ita ait: *Videntes ergo Sacerdotes Summi, & alii, atque Levitæ, & reliqui fideles, plus utilitatis posse afferre, si hæreditates & agros, quos vendebant, Ecclesiis, quibus præsidebant Episcopi, traderent, eò quòd ex sumptibus eorum tam præsentibus, quam futuris temporibus plurima, & elegantiora possent ministrare fidelibus, communem vitam ducentibus; quàm ex pretio eorum, caperunt prædia, & agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum vivere.* Et post pauca: *E quibus Episcopi, & fideles dispensatores eorum, omnibus communem vitam degentibus cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, ministrare, ut nemo in eis egens inveniatur. Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in aliis usibus, quàm Ecclesiasticis, & prædictorum Christianorum fratrum, vel indigentium converti; quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atque adprædictũ opus explendum, Domino tradita. Si quis autem (quod absit) secùs egerit, videat, ne damnationem Ananiæ, & Saphiræ percipiat, & reus Sacrilegii efficiatur, sicut illi effecti sunt, qui pretia prædictarum rerum fraudaverunt.* Subinde refert Historiam Ananiæ, & Saphiræ *ex Act. Apost. cap.* 5. & subdit: *Hæc fratres valdè cavenda sunt, & timenda, quia res Ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut communes, & Domino oblatæ, cum summo timore, non in alios, quàm in præfatos usus sunt fideliter dispensandæ; ne sacrilegii reatum incurrant, qui eas indè abstrahunt, ubi traditæ sunt; ne pœnam, & mortem*

Ananiæ, & Saphiræ incurrant, & (quod pejus est) anathema maranatha fiant; & si non corpore, ut Ananias, & Saphira, mortui reciderint, anima tamen, quæ potior est corpore, mortua, & alienata à consortio fidelium cadat, & in profundum barathri labatur. Ecce pactum, ecce conditionem, quibus à fidelibus relicta sunt prædia, & possessiones Ecclesiis.

Audiamus testimonium Sacri Concilii Tridentini *sess. 25. de Reform. cap. 1. Omninò verò eis,* (Episcopis) *interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant, cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt; consanguineis donent. Sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa.* Et paucis interjectis: *Quæ verò de Episcopis dicta sunt; eadem non solùm in quibuscunque beneficia Ecclesiastica, tam sæcularia, quàm regularia obtinentibus pro gradus sui conditione observari, sed etiam ad S. R. E. Cardinales pertinere decernit.*

Hæc igitur est prima ratio, ob quam beneficiarii tenentur de Præcepto expendere in usus pios, & in eleemosynas fructus superfluos suæ honestæ
7 sustentationi; quia scilicet bona Ecclesiæ tradita fuerunt cum hac conditione, intentione, & pacto (saltem implicito) à fidelibus; & iidem beneficiarii ea recipiunt ab Ecclesia, dum obtinent beneficium, cum obligatione ipsis fructibus Ecclesiasticis imbibita (ut loquar verbis Eminentiss. Cardin. de Lugo *De Just. & Jur. disp. 4. num. 16.*) ut deserviant pro eorum decenti victu, & vestitu tantùm, & quod reliquum est, expendant in pauperes, vel in usus pios; non autem in alendis equis, vel sumptuosis emendis quadrigis, aut pretiosis aulæis comparandis; quæ quidem intentio, & obligatio habet vim taciti contractus, & æquipollet expresso *l. Labeo. l. Item quia. ff. de Pactis.* Et adeò afficit omnes beneficiarios ad adimplementum, ut aliter facientes dicantur legem naturalem justitiæ commutativæ violare. *l. 1. ff. de Pactis. cap. 1. de Probat.* & per consequens mortaliter peccare.

Secunda Ratio est, quia bona Ecclesiastica, & fructus annui ex eis provenientes verè, & propriè sunt Patrimonium Jesu Christi; quia ipsi à
8 fidelibus fuerunt donata, & ejus nomine à Prælatis Ecclesiarum recepta; & tanquam Patrimonium Jesu Christi custodita. *cap. Si Romanorum. 19. dist. cap. Hæc est fides. 24. qu. 1. cap. Qui Christi. 12. q. 2. cap. Cùm secundùm. de Præbend. & cap. Cùm ex eo. de Elect. lib. 6. ac Concil. Trid. d. sess. 25. cap. 1.* ibi: *Ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt.* Itaque si ipsi fructus beneficiorum sunt Jesu Christi; beneficiarii autem sunt simplices gubernatores, ac dispensatores, debent illos dispensare secundùm voluntatem ipsius Christi; quæ quidem fuit, & est; ut dentur non in profanos usus, sed in subventionem pauperum; juxta illud *Luc. 11. 40. Verumtamen quod superest, date Eleemosynam.*

Tertia ratio est, quia fructus beneficiorum tradùntur clericis ab Ecclesia cum hac conditione, & onere, ut quod supereſt decenti eorum sustentatio-
9 ni, dent in usus pios. Quare legimus *in cap. Si privatum. 12. q. 1. Si privatum possidemus, quod nobis sufficiat; non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quoddammodo gerimus.* ubi Glossa explicat ly *privatum*, id est, *separatum*; ut sunt modò præbendæ beneficiorum. In *cap. 1. 12. q. 2.* dicitur: *Qui Christi pecunias, & Ecclesiæ aufert, fraudat, & rapit, uti homicida in conspectu Judicis deputabitur.* Et quod de omnibus beneficiis certa portio detur pauperibus, inculcatur *in eadem 12. q. 2. cap. Vobis enim. cap. Concesso vobis. cap. Quatuor autem. cap. De reditibus Ecclesiæ. cap. Cognovimus. cap. Mos est. & cap. Sancimus.*

Quarta ratio fundatur in dictis SS. Patrum collectis per Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 13.* 10
art. 8. à num. 177. & seqq. inter quæ, verba S. Hieronymi in *Ezechiel cap. 46. Qui ditior est Sacerdos, quàm venit ad Sacerdotium, quidquid plus habuerit, non filiis debet dare, sed pauperibus:* S. Ambrosii *lib. 2. Epist. 14. Omnia, quæ mea sunt, pauperum sunt.* S. Prosperi *De Vita contemplat. lib. 2. cap. 9. Non sunt propriæ, sed communes Ecclesiæ facultates, & ideò cùm quis Præpositus factus fuerit Ecclesiæ, omnium, quæ habet Ecclesia, fit dispensator.* Ac S. Bernardi super illud *Matth. 19.* Ecce nos reliquimus omnia: *Qui Altario servit, de Altario vivat. Vivat, inquam, de Altario, & juxta Apostolum, alimenta, & quibus tegatur, habeat.* Et infra: *Non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut neptes, ni filias dixerim, nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare par Sacrilegii crimen esse dignoscitur. Sanè patrimonia pauperum facultates Ecclesiarum, &c.* In Epistola autem XLII. ad Archiepiscopum Senonen. *Clamant nudi, clamant famelici, & dicunt: dicite Episcopi, in fœno quid facit aurum? Numquid aurum à fœno repellit frigus, sivè esuriem? Nobis frigore, & fame laborantibus, quid conferuntur tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manicis? Nostrum est, quod effunditis. Nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. Nostris necessitatibus detrahitur, quod accedit vanitatibus vestris.*

Concluditur ergo, (verba sunt ejusdem Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 13. art. 8. num. 184.*) evidens esse, quòd Ecclesiastici cujuscunque status, de bonis Ecclesiæ (detractis necessariis ad eorum convenientem statum) tenentur pauperibus, etiam communi necessitate laborantibus eleemosynas impertiri. Et equidem non ex solo consilio, ut divites laici, sed ex stricto, ac rigoroso Præcepto, ac sub pœna peccati mortalis; ut præter S. Thomam *2. 2. q. 43. art. 8. q. 87. art. 1. 3. & 4. quæst. 185. art. 3. & Quodlibet. 6. art. 10.* tenent Alexander de Ales, Richardus, Paludanus, Gabriel, 11
Major, Henricus de Gandavo, & alii plurimi Scholastici antiqui, quos cumulat Beja *in Resp. Cas. Conscient. part. 2. Casu 24. Vers. Hæc Sententia, quam nos sequimur*; quibus ex modernis addo eundem Eminentiss. Cardin. de Lauræa, ubi supra *disput. 13. art. 8.* & Eminentiss. Card. de Lugo *de Just. & Jur. disp. 4. sect. 1. & 2.* Ex Canonistis autem, præter Archidiaconum, Dominicum, Joan. Andream, Ancharanum, Francum, Abbatem Panormitanum, Felinum, & alios apud eundem Bejam, Navarrum *de Reditibus Ecclesiasticis q. 1. Monit. 24. & q. 2. Monit. 7.* noviſſimè Reverendiſſimum Fagnanum *in cap. Si quis sanè à n. 2. & seqq. de Peculio Clericor.* Pacem Jordanum Episcopum Tragurienſem *tom. 1. libr. 1. tit. 10. num. 12.* Et latius *lib. 2. tit. 1. numero 75.* Ex Moraliſtis autem plurimi sunt collecti apud Dianam *part. 5. tract. 8. resol. 31.* Quæ est in Coordinato *tom. 4. tract. 7. resol. 26.* quibus junge Layman. *libr. 3. tract. 2. cap. 4. n. 3.* Comitolum *in Resp. Moralib. libr. 1. q. 70.* per totam, Tamburinum *in Decalog. libr. 8. cap. 2. §. 4.* Sanchez *in Consiliis Moralib. libr. 2. cap. 2. dub. 38.* Eundem Sanchez *in Decalog. libr. 6. cap. 6. num. 13.*

num. 13. *&* 14. & Cotonium *lib.* 1. *Controv.* 7. *cap.* 2. præter Summistas hoc idem docentes, videlicet S. Antoninum 3. *p. tit.* 15. *cap.* 1. §. 19. Sylvestrum *Verb. Clericus* 4. *num.* 15. *Vers. Vigesimo*, & Summ. Angelicam *Verb. Clericus* 13. *per tot. & ibi Adden.*

Objiciunt illi, quibus hæc opinio non placet; 12 canones, rationes, dictaque Sanctorum Patrum viguisse antiquissimis temporibus, quando omnes clerici sæculares vivebant in communi, sicut nunc faciunt Regulares; tunc enim recipiebant tantummodo ab Episcopis, seu ab Oeconomis deputatis necessariam sustentationem; & quod supererat de reditibus Ecclesiasticis, applicabatur tum fabricæ Ecclesiæ, & manutentioni paramentorum; tum eleemosynis pauperum. Verùm quia pauci erant, qui vitam clericalem aggredi vellent, & difficile erat Episcopis, ac Oeconomis dare unicuique convenientem portionem de die in diem, pro honesta sustentatione ministrorum Ecclesiæ, factæ fuerunt quatuor divisiones fructuum in quocunque Episcopatu, & Diœcesi; una quarum fuit applicata Episcopis; secunda fabricæ Ecclesiæ; tertia pauperibus; quarta verò toti clero pro ejus sustentatione; & ex hac quarta parte fuerunt erectæ Præbendæ, & instituta beneficia, tam Parochialia, quàm simplicia, Canonicatus, Clericatus & alia; quapropter (ajunt) hisce temporibus non est ampliùs præcisa obligatio faciendi eleemosynam de superfluis; nam pauperes receperunt suam portionem; & omnes beneficiarii censentur domini fructuum suarum Præbendarum, & de ipsis liberè disponere possunt. Ita Sotus *de Justitia, & Jure libr.* 10. *qu.* 4. *art.* 3. & alii quos allegat, & sequitur Barbosa *in Collectan. DD. ad cap. Quia tua. à num.* 4. *& seqq.* 12. *q.* 1.

Porrò objectio hæc à Doctoribus supra relatis 13 tam Scholasticis, quàm Canonistis frivola vocatur; siquidem erectio Præbendarum, & institutio beneficiorum facta fuit circa Annum Domini 502. ut ex Eminentiss. Cardin. Baronio sub Anno prædicto *tom.* 6. *Annal. num.* 36. demonstrat Pax Jordanus *d. lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 71. At etiam post Annum 502. facti sunt canones, & locuti sunt Sancti Patres, & Concilia contra Clericos detinentes fructus beneficiorum in præjudicium pauperum, ut videre est *in cap. Ratio* 3. *de Præbend.* ex Sancto Gregorio Magno, qui vixit usque ad Annum 604. & in multis Conciliis post hunc Sanctum Pontificem celebratis; & inter cætera Concilium Aquisgranense habitum An. 826. in quo *cap.* 35. fructus beneficiorum vocantur: *Vota fidelium pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.* Et Tridentinum completum Anno 1563. ubi *sess.* 25. *de Ref. cap.* 1. ait: *Res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt.* Sanctus autem Bernardus Abbas floruit Anno 1530. qui de hac obligatione frequenter in suis scriptis Ecclesiasticos redarguit. Sed esto, quòd olim essent ordinatæ quatuor partes ex fructibus beneficiorum, quarum una cederet in commodum pauperum; hæc una cui data est? cui commendata? Hospitalibus nequaquam: hæc enim ultimis temporibus per testamenta piorum virorum sunt ordinata. Igitur remansit in portionibus tum Episcoporum, tum Abbatum, tum aliorum pinguium beneficiorum, ut eorum possessores pro tempore, detractis necessariis pro eorum decenti sustentatione, superfluum distribuerent in pauperes, ac alia pia opera; quòd si integri fructus quarumcunque Præbendarum Episcopalium, Canonicalium, Parochialium, & aliarum fuissent assignati pleno dominio, & liberæ dispositioni possessorum earundem, ut de illis tanquam de Patrimonialibus potuissent facere quidquid voluerint, utique fuisset nimis indiscreta, & injusta distributio, cùm plurimi Episcopatus habeant in redditibus annuis decem, viginti, triginta, ac quadraginta millia ducatorum, & ultra; plurescque Canonicatus, & Ecclesiæ Parochiales colligant annuatim octingentos, mille, ac duo millia ducatorum; summas sanè pecuniarum valdè excedentes necessariam provisionem ad sustendandum beneficiarium, quamvis nobilem, ac benemeritum.

Igitur si veritatem amamus, confiteri oportet, beneficiarios non esse dominos fructuum suarum Præbendarum; sed Procuratores, ac dispensatores, 14 ut ait Alexander Tertius *in cap.* 2. *de Donationib.* bonaque Ecclesiarum non esse propria Ecclesiasticorum, sed nostris etiam temporibus ea fore patrimonium Christi, ut loquitur Bonifacius Octavus *in cap. Cum ex eo* 34. *De Elect. in* 6. ac propterea in fructibus beneficiorum inesse inseparabiliter eandem obligationem, quam habebant ante divisionem, & erectionem Præbendarum; videlicet, ut ex eis Clerici, ac beneficiati detraherent suam decentem sustentationem; reliquum verò eorundem fructuum daretur pauperibus pro eleemosyna, vel in pios usus expenderetur; ut disputato hoc articulo firmant Doctores supra citati, & alii apud illos; & novissimè Præclarissimum Collegium Salmanticense *in Cursu Theologiæ Moralis tom.* 3. *tract.* 12. *de Justitia, & Jure cap.* 2. *n.* 141. ubi ita loquitur: *Dicendum est, beneficiarium teneri sub peccato mortali distribuere inter pauperes omnia bona, quæ ex fructibus beneficii superfluunt suæ congruæ sustentationi, sive Canonicus sit, sive alius beneficiarius, Episcopus, Cardinalis, & etiam Papa: & ideò si habeat viginti millia aureorum pro redditibus annuis, & decem millia sufficiant pro decenti sui status sustentatione; tenetur sub peccato mortali alia decem millia, quæ superfluunt, inter pauperes distribuere.*

Non est tamen inficiandum, Theologos, & Ca- nonistas supranominatos concedere sequentes limi- 15 tationes prædictæ regulæ; & absolvere beneficiarios ab obligatione faciendi eleemosynam de Præcepto in sequentibus Casibus. 1. In distributionibus quotidianis, quæ dantur ob interessentiam in choro. 2. In stipendiis Missarum, Concionum, & aliarum functionum spiritualium pro labore. 3. In iis, quæ sibi cumulant ex parsimonia, minus expendentes, quàm conveniret statui suo. 4. In fructibus, quos applicant ad compensandas expensas factas in assecutione beneficii, Prælaturæ, seu Episcopatus, puta Bullarum, itineris, provisionis honestæ familiæ, & similium necessariorum dispendiorum. 5. In hospitalitate amicorum, & consanguineorum, à quibus Ecclesia protectionem, & defensam sperare potest, dummodò non fiat excessus expensarum in conviviis. 6. In remunerandis personis benemeritis in servitio, vel defensione beneficii, in summa ad arbitrium boni viri; etiamsi sint consanguinei ejusdem beneficiarii. 7. In fovendis suis consanguineis, si verè indigeant; sed ad mensuram paupertatis eorum, non ad illos ditandos, ut pleniùs demonstrant Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Just. & Jure d. disput.* 4. *sect.* 3. *per totam*; Pax Jordanus *d. tom.* 1. *libr.* 2. *tit.* 1. *à num.* 56. *& seqq.* & Collegium Salmanti-

Salmanticen. *d. tom. 3. tract. 12. punct. 11. §. 1. à n. 138. 139. & 140.*

Quo ad Quartum. Major est difficultas, & difficilius quæsitum solvendum, *Utrum beneficiarii non*
16 *expendentes in usus pios fructus superfluos suorum beneficiorum, ultra peccatum mortale, teneantur ad restitutionem?* Quod est quærere, An prædicti beneficiarii cumulantes redditus Ecclesiasticos, vel malè expendentes in usus profanos, possint absolvi, nisi restituant? Vel si eosdem redditus relinquant ab intestato, vel ex testamento consanguineis suis, hi non sint capaces absolutionis, nisi totam hæreditatem distribuant in pauperes, vel usus pios?

Plures sunt Auctores, qui negant obligationem restituendi tam in his, quàm in illis, etsi fateantur eosdem beneficiarios peccare mortaliter. Rationes eorum sunt:

Primò, quia beneficiarii faciunt fructus suos, & habent eorum dominium; ut constat ex Concil. Trident. *sess. 24. de Ref. cap. 12.* ubi qui non facit professionem Fidei, vel non residet personaliter, non facit fructus suos. Idem habetur *in cap. 1. sess. 23. de ref.* & in Bulla 138. S. Pii V. circa residentiam; & in *cap. Commissa. de Elect. in 6.* circa obligationem sumendi Sacerdotium intra annum, ut faciat fructus suos. Ergo sunt domini fructuum; & ideò si eos malè consumunt in rebus profanis, peccabunt quidem mortaliter; sed non erunt obligandi ad restitutionem.

Secundò: Quia si beneficiarii non essent domini reddituum Ecclesiasticorum, essent nulli omnes contractus, & iovalidæ quævis dispositiones de illis; & per consequens tenerentur Superiores Ecclesiastici illos & illas retractare, ac rescindere; & emolumenta illa pauperibus applicare; quod tamen non faciunt; ideò dicendum, non adesse obligationem restitutionis.

Tertiò: Si hæc obligatio inesset restituendi, non permitteretur beneficiariis posse testari; & invalida esset consuetudo, quæ in pluribus Regnis servatur, ut ipsi vel disponant de superfluis redditibus beneficiorum per testamentum; vel eorum consanguinei succedant in illis ab intestato. Hæc, & alia argumenta ex Sarmiento, Soto, Lessio, & pluribus aliis colligunt Eminentiss. Card. de Lugo. *de Just. & Jur. d. disp. 4. sect. 1.* Pax Jordanus *d. libr. 2. tit. 1. num. 77. & seqq.* Fagnanus *in d. cap. Si quis sanè. de Peculio Clericor.* & alii apud Dianam Coordinatum *tom. 4. tract. 7. res. 20.* In veteri *par. 10. tract. 11. res. 35.*

Porrò, licèt hanc opinionem prædicti DD. vocent probabilem, fatentur tamen, eam esse periculosam; & ideò ego dico, contrariam tanquam securiorem esse tenendam, quam amplectuntur S. Antoninus, Sylvester, Navarrus, infinitos DD. cumulans *de Redditib. Eccl. q. 2. monit. 7.* & Beja supracitatus, Layman. *d. lib. 3. tract. 2. cap. 4. n. 3.* Comitolus *d. libr. 1. q. 70.* Tannerus *tom. 3. disput. 4. q. 6. dub. 8. n. 215. & seq.* Alensis, Richardus, Paludanus, Gabriel, Petrus Soto, Medina, & alii apud Dianam Coord. *d. tom. 4. tract. 7. resol. 26. §. 1.* quæ in veteri est *in part. 5. tract. 8. resol. 31.* & novissime Emin. Card. de Lauræa *d. tom. 4. in 3. Sent. disp. 13. art. 8. per totum*, & Eminent. Card. Capisuccus *in suis Controversiis Theologicis Contr. ult. §. 5.* ubi innumeros DD. numerat, firmantes, distributionem reddituum Ecclesiasticorum in usus profanos esse peccatū contra justitiam.

Ratio inconcussa hujus opinionis est; quia, ut supra dictum est, bona Ecclesiarum, & beneficiorum data sunt à fidelibus cum hac conditione, ut detractis alimentis clericorum, & necessariis expensis pro cultu divino, quod superest, transeat in alimoniam pauperum; & testantur innumera Patrum, & Conciliorum loca, quæ latè congerit Navarrus *de Redditib. Eccl. q. 2.* & Vasquez *Opuscul. de iisdem Redditib. cap. 1. §. 3. dub. 1.* in quibus dicitur, bona illa superflua esse pauperum: atque ideò furtum, & sacrilegium committi, quando in usus profanos erogantur. Igitur si beneficiarii sunt procuratores pauperum, & deputati ab Ecclesia dispensatores fructuum superfluorum; sequitur, quòd beneficiarii, qui eos fideliter non dispensant in pauperes, aut alios usus pios, peccant non solùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam, & tenentur ad restitutionem, tum ipsi, tum eorum hæredes, in quos lucra ex iisdem fructibus superfluis cumulata pervenerint, arg. *leg. 1. ff. de Offic. Procur. Cæsar.* siquidem si quis det centum Cajo, ut possit peregrinari, & ire Romam, cum conditione, ut quod supererit, pauperibus eroget; utique de justitia tenetur erogare egenis quod superest; neque absolvi potest, si sibi retinuerit, nisi restituat, ut optimè disserit Layman. *lib. 4. tract. 2. cap. 3. num. 3.* ubi canones, rationes, ac Doctores tenentes, beneficiarios prædictos esse obligatos restituere superfluos fructus beneficiorum, quæ possident; & rogantur Lectores legere attentè dicta ejusdem Laymani, & Theologos, ac Canonistas per eum allegatos.

Neque subsistunt fundamenta ex adverso considerata. Non primum, quòd beneficiarii sint domini 17
eorundem fructuum; quia sunt domini absoluti pro portione sibi necessaria ad victum & vestitum; at domini conditionati circa superfluos, ut scilicet expendant illos in pauperes, & usus pios. Legatarii, & Fideicommissarii sunt domini bonorum sibi relictorum; Peregrin. *de Fideicomm. art. 33. num. 29.* at ubi inest conditio restituendi illa bona alteri, non possunt liberè ea vendere, aut de ipsis disponere. Surd. *cons. 357. num. 12.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Justitia, & Jure disp. 2. num. 6.* quod si secùs fecerint, datur restitutio. Peregrin. *de Fideicomm. art. 39. num. 11.* Igitur idem dicendum in beneficiariis, quorum dominium in fructibus superfluis est conditionatum, non liberum, aut absolutum.

Nec relevat secundum, quod Ecclesia non retractet contractus, & dispositiones in usus profanos factas à beneficiariis. Nam de facto eas non retractat, quia Prælati vel non possunt, vel non curant retractare; de jure retractantur, quia plura Concilia, & plures Canones illas irritant. Legantur *cap. Episcopi. cap. Manifesto; & seqq.* usque in finem. *12. q. 1. cap. Similiter. cap. Qui juxta. cap. Revertimini. cap. Decimæ. 16. q. 1. cap. Quod autem. 23. q. 7. cap. 1. & tot. tit. de Peculio Clericor.* Non omnes Prælati te- 18
nent præ manibus Squillantem de obligationibus Episcoporum, ideò à pluribus abstinent, quæ de jure facturi essent. *Multi pergunt*, (ut loquamur cum Seneca *lib. de Vita beata*) *non quà eundum est, sed quà itur.* Vel cum Sanct. Augustino *in Enchirid. cap. 20. Peccata quamvis magna, & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur*, undè & illud Aristotelicum: *Ab assuetis non fit passio.* Non sunt igitur attendenda exempla Ecclesiasticorum ex fructibus beneficialibus ditantium consanguineos; sed legenda Sa-

cra

eta Concilia, & eorum Canones, hujuscemodi facta proscribentes.

Non suffragatur tertium ob facultatem, qua fruuntur beneficiati, liberè testandi: Nam de jure prohibitum est iisdem quoquomodo testari *cap. 1. cap.* 19 *Quia nos, cap. Cum in officiis, cap. Relatum l. 2. de Testam.* Et equidem non alia ratione, ut ajunt DD. apud Layman. *d. libr. 4. tract. 2. cap. 3. num. 6. in fine*, nisi ut ipsi beneficiati promptiores essent ad bona, quæ ipsis supersunt, in pias causas erogandas; scientes, nullam sibi facultatem superesse, de iis post mortem suam disponendi. Et prædicti Canones editi sunt à Summis Pontificibus undecimo, & duodecimo sæculo regnantibus, & adhuc sunt in usu in pluribus Regnis, ac Provinciis, in quibus servatur Jus spoliorum, dum beneficiati moriuntur. Igitur consuetudo testandi in variis partibus introducta à beneficiariis sumpsit exordium, quia disponebant ad pias causas, & titulo Eleemosynæ, juxta *cap. ad hæc. 8. de Testam.* Tractu autem temporis consuetudo hæc declinavit in abusum, tacentibus Episcopis, & permittentibus etiam ad profanos usus, & ad ditandos consanguineos hæreditates beneficiariorum transire, cumque hæc consuetudo dilatata sit in multas regiones, & difficillimum foret, eam abolere, toleratur ab Ecclesia; præcipuè ex eo, quòd plurimi clerici testantur de his, quæ collegerunt non de fructibus superfluis, sed de his, quæ cumularunt ex eorum parsimonia; de Eleemosynis Missarum; quotidianis distributionibus, vel aliis personalibus industriis, aut bonis Patrimonialibus; quæ in actu practico impossibile est distinguere, ac separare à fructibus superfluis beneficii; ideò totum negotium relinquitur conscientiæ eorundem beneficiariorum; qui consulere debent animæ suæ; & reflectere ad obligationem propriam, ad quam tenentur de jure, & de Justitia; scilicet, dum vivunt, dandi in Eleemosynam, quod supereſt ex iis, quæ habent ab Ecclesia, ultra eorum honestam sustentationem; vel si testantur in morte, relinquendi in causas pias; aliter peccant mortaliter, & obligati sunt ad restitutionem; juxta veriorem, & securiorem opinionem, quam ultra Theologos piissimos, ac gravissimos supracitatos, & adductos per Layman. *d. libr. 4. tract. 2. cap. 3. num. 3.* tutati sunt celeberrimi Canonistæ, quos longa serie allegat, & sequitur Abbas Panormitanus *in repetit. cap. Cum esses. num. 21. de Testament.* ubi fatetur in foro animæ, & pro conscientia nunquam potuisse approbare sententiam contrariam. Mehercle mirum est, quòd tanti Doctores contrariæ opinionis dicant, fructus superfluos beneficii non expendentem in pios usus mortaliter peccare; deinde eum liberent à restitutione; quia si non peccat contra justitiam, tanquam dominus absolutus ipsorum fructuum superfluorum, neque peccabit mortaliter; ad instar laicorum divitum, quos non peccare mortaliter dicunt, non expendentes superfluum in pauperum necessitates, quia sunt domini absoluti; & non tenentur de Justitia ad Eleemosynam dandam in necessitatibus communibus egenorum. Igitur aut beneficiarii nullum peccatum mortale committunt, non dantes superfluum in usus pauperum, aut si mortale committunt, peccant contra justitiam ob obligationem insitam fructibus Ecclesiasticis de dandis superfluis in pios usus, & per consequens non dantes tenentur ad restitutionem.

Utinam beneficia possidentes, si Theologis, ac Canonistis prædictis studere recusent, saltem non 20 detrectent legere librum de Pretiositate Eleemosynæ Illustrissimi, ac Reverendissimi Alexandri Sperelli Episcopi Eugubii, qui *toto cap. 46.* tractat de hac obligatione Ecclesiasticorum dandi superfluos fructus in Eleemosynam; *& cap. 47. n. 17.* ita loquitur: *Io nel precedente Capitolo hò apportate le opinioni più ricevute da Teologi: mà in somma sono opinioni, non certezze. Non mancano gravissimi Dottori, che sostengono le contrarie opinioni; cioè à dire, che il dominio delle rendite Ecclesiastiche sia di Dio, ò della Chiesa; Che i provisti de' Beneficii, dell' Abbatie, de' Vescovati ne siano amministratori, con facoltà di pigliarne il decente vitto, e vestito, & il sostentamento della necessaria famiglia, con obligo di dispensare il rimanente à poveri, i quali hanno il Jus, & l'attione sopra il residuo: e quindi concludono, l'obbligo essere di GIUSTITIA, e conseguentemente, che in quanto i poveri ne restano defraudati, ci entri l'obbligo della restitutione. E dice il Navarra, che anche questa è commune opinione, con portare una lunga serie de Dottori; & aggiunge, che volontieri haverebbe tenuta la contraria, se vi havesse potuto aggiustare la sua coscienza.* Satis sit prohibitio, quam facit Tridentinum Concilium *d sess. 25. cap. 1. de ref. Ne Episcopi,* (aliique omnes Ecclesiastici) *ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant; sed si pauperes sint, eis ut pauperibus distribuant.* Eandem obligationem habere sciant Pensionarii, & Prælati Monasteriorum, quorum annui redditus excedunt necessarias expensas victus, & vestitus, ac manutentionis fabricæ, supellectilisque Ecclesiarum. Sperell. *d. cap. 46. num. 7.* DD. apud Dianam Coordinatum *tom. 4. tr. 7. resol. 29. & resol. 32* Quæ in veteri habentur *part. 5. tr. 8. resol 29. & resol 33.*

Confirment quod hucusque scripsimus, exempla sequentia. Apparuit anima Philippi Cancellarii 21 Parisiensis, dudum defuncti, Guilielmo Archiepiscopo ejusdem Civitatis, expositque se æternis pœnis damnatam; & inter alias suæ damnationis causas retulit, fuisse pluralitatem beneficiorum, quæ in titulum obtinebat; nec non eorundem fructuum superabundantium denegatam in pauperes distributionem. Ita Thomas Cantipraten. *lib. 1. cap. 49. part. 7.* ac B. Dionysius Carthusian. *de Pluralitate benefic. cap. 7.* In Historia Anglicana legitur, Canonicum opulentioris Præbendæ possessorem, sed negligentem dare Eleemosynam egenis, post obitum apparuisse amico suo, eique dixisse, se ob dilapidatos fructus Præbendæ in usus profanos damnatum esse. Eadem exempla habentur apud Mattheolum in Sylva Historiali *part. 1. lib. 3. cap. 1. Tit. 18. Exempl. 1. & 2.* Utique cordati Ecclesiastici satagant viventes esse liberales in pauperes, & alia pia opera; in morte verò si quid possident, in usus Religiosos disponant.

Quo ad Quintum. Utrùm hæredes capientes vel ex testamento, vel ab intestato bona beneficia 22 ti ex pingui Præbenda cumulata; si ipsi non sint pauperes, teneantur ad ea restituenda pauperibus, vel Ecclesiis? Hæc est quæstio cæteris amarissima; at in sensu veritatis eidem respondet Layman. *d. lib. 4. tract. 2. cap. 3. num. 9.* quòd secundùm opinionem Doctorum, asserentium ipsos beneficiarios, etsi peccent mortaliter, non esse obligatos restituere, multò minus esse adstringendos eorum hæredes ad restitutionem, si capiant bona, fructusve beneficii superflua. At secundùm sententiam contrariam, quam ipse Layman amplecti-

tur, contrarium affirmandum venit. *Si enim* (ait) *redditus Ecclesiastici, qui superflui sunt, ex naturali Justitiæ lege in pium aliquem usum erogari debent, quia cum tali onere, ac tacito pacto à fidelibus profecti sunt, manifestò sequitur, si quis eos alio titulo donationis, aut legati accipiat, in conscientia tutum non esse, sed restituere obligatum; sicuti bene præter alios docet Gabriel in 4. dist. 15. cit. q. 8. art. 3. dub. 6. Angelus Verb. Clericus* 3. §. 4. *&* 13. §. 2. Navar. *de Redditib. Eccles. q. 3. Monit. 17. n. 6. de Spoliis Clericor.* §. 15.

Hanc opinionem approbare censetur Sanchez *Consil. Moral. lib. 2. cap. 2. dub. 54.* ubi obligatos esse hæredes beneficiatorum expendere bona hæreditatis in usus pios, non autem profanos, ait enim *num. 3. Probabilis opinio est, posse in Hispania consanguineos succedere Clericis non Episcopis, etiam in redditibus Ecclesiasticis ab intestato, propter universalem Hispaniæ consuetudinem, modò consanguinei vere egeant, saltem quantum ad statum, vel habeant animum ea bona in pauperes expendendi, vel in pias alias causas. Ratio est, quia, quantum ad hoc, consuetudo non est irrationabilis, & ita potuit juri humano aliud circa hanc ab intestato successionem disponenti derogare. Non tamen liceret ea bona in usus profanos expendere; quia, quoad hoc consuetudo esset irrationabilis, jurique Divino adversa. Probatur, quia in vita ipsius beneficiati id non possunt facere cognati, ex donatione, & consensu expresso ipsius; ergo nec in morte, siquidem non plus juris habent per successionem, quàm per donationem.*

Emin. Cardinalis de Lugo tractans hanc quæstionem *de Just. & Jure disp. 23. sect. 6.* quamvis teneat beneficiarios non teneri expendere superfluos fructus beneficiorum in pauperes de Justitia, sed tantùm ex Religione; nescit absolvere hæredes eorum ab obligatione restituendi eosdem fructus, quos ex Legato, vel ex hæreditate capiunt, ex illa inconcussa conclusione omnium Theologorum, & Moralistarum, quòd hæres tenetur de Justitia solvere vota realia defuncti; de qua etiam Bonacina *tom. 2. circa secundum Decalogi Præceptum disp. 4. quæst. 2. punct. 5. §. 2.* ubi alios citat. Modo Cardin. de Lugo *d. sect. 6. num. 102.* ita ratiocinatur. *Ergo* si hæres repræsentat personam defuncti quoad illa bona, debet subire eandem obligationem, quam defunctus habebat circa illa. Nec potest facilè reddi ratio, cur res debita ex voto dandi eleemosynam v. g. transeat ad hæredem cum eadem obligatione; & fructus, quos defunctus tenebatur dare pauperibus, eò quòd essent redditus Ecclesiastici, non transeant ad hæredem cum eadem obligatione; cùm utraque obligatio sit ex sola Religione; & magis realis, seu magis intrinseca, & annexa videatur ipsis bonis Ecclesiasticis obligatio illa, quæ fundari videtur in natura, & conditione talium bonorum; quàm sit obligatio ex voto, quæ est magis accidentalis, & extrinseca, proveniens solùm ex promissione voventis. Consequens videtur durum, &c. Et utique durum est, quòd hæres teneatur restituere rem, quam defunctus ex voto tenebatur dare in opus pium; & non sit obligatus restituere fructus superfluos beneficii repertos in hæreditate, quos defunctus sivè ex justitia, sivè ex Religione tantùm, erat omninò adstrictus dare pauperibus, vel in alia pia opera expendere.

Replicabunt Hæredes: consuetudo stat in contrarium. Non inficior, sed tantùm addo verba Gonzalez *in Commentar. ad cap. 1. num. 14. de Consuetud. Licèt consuetudinis auctoritas levis non sit, illa tamen procedit, cùm veritas, & ratio illi suffragatur; aliàs non consuetudo, sed corruptela erit, cùm rationem non vincat. l. 2. C Quæ sit longa consuetudo.* Pro non expendendis fructibus beneficiorum in usus profanos, eisque non ditandis consanguineis divitibus habemus rationem, Sacra Concilia, Canones, dicta Sanctorum Patrum. Pro eis liberè expendendis, & ab hæredibus occupandis habemus consuetudinem. Cogitet, qui de salute æterna cogitat, & decidat. Attente legant Curati Animarum, ad quos principaliter diriguntur hæ Decisiones, Paulum Segnerium *in libello il Parroco Instruito cap. 16. §. 3. &* 4. Et ejusdem Auctoris Concionem octavam ex illis per eum habitis in Palatio Apostolico, impressis Romæ Anno 1694. *apud Jo. Jacob. Komareck*; Et eorum hæredes reflectant ad verba Pacis Jordani Episcopi Tragurienſis, doctrina, ac pietate eximii, qui nostris vixit temporibus; ipse enim *tom. 1. lib. 2. tit. 1. num. 83.* ita scribit: *Quamvis tamen cessaret obligatio restituendi, nihilominus gravissimum est lethaliter delinquere, in hac præsertim re, quæ nobis proposita esse debet ad benemerendum. Hinc fortè procedit, hujusmodi acquisitiones non esse durabiles; & ut vulgò dici solet, Robba di campana, se fiorisce non grana. Horreamus, quod scribit Pater Antonius Molina de Instructione Sacerdotum tract. 2. cap. 15. in fin. multos Prælatos sepultos esse in Inferno; eò quòd superflua non expenderunt in usus pios.*

Quo ad ultimum. Si quærimus, *Quanta sit vis Eleemosynæ in delendis pœnis debitis pro peccatis?* respondeamus; esse maximam, quippè superat orationem, jejunium, & alia opera satisfactoria, ut demonstrat S. Thomas *in Supplem. q. 15. art. 3.* & satis est (ultra attestationem Raphaelis Angeli ad *Tobiam* 12. 9. *Ipsa est, quæ purgat peccata*) adducere promissionem Redemptoris, *Luc.* 11. 41. *Verumtamen, date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis:* habet enim vim purificandi animam à peccatis, idest satisfaciendi pœnis, quibus pro peccatis est adstricta. Hinc S. Leo Papa, S. Ambrosius, & S. Cyprianus, quos citat P. Segnerius *in Christiano Instruct. part. 1. Serm. 17. num. 23.* vocant eam alterum Baptisma, quia sicut Sacramentum Baptismi delet non solùm culpam, sed etiam totum reatum, idest omnem pœnam pro culpis debitam. S. Thom. *part. 3. quæst. 69. art. 2.* Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 2.* Ita Eleemosyna satisfacit pro pœnis debitis pro peccatis; & hujus efficaciæ in satisfaciendo plurima habentur in Historiis Sacris exempla. 23

B. Petrus Damianus *lib. 1. Epist. 9.* scribens ad Nicolaum Papam II. narrat eidem, animam Summi Pontificis Benedicti VIII. Episcopo Carpensi apparuisse, ac indicasse, se in pœnis Purgatorii detineri; illumque rogasse, ut iret ad Joannem Papam fratrem suum, & pecuniam in tali ac tali crumena reconditam pauperibus elargiretur, ex qua pœnis, quas patiebatur, satisfactum foret, ut latiùs Illustrissimus Episcopus Sperellus in libro *de Praxi sitate Eleemosynæ cap. ult. num 7.* 24

In Revelationibus Extravagantibus Sanctæ Birgittæ *cap. 56. pag. mihi 774. & 775.* Beatæ Memoriæ Dominus Ulpho Gudmarson quondam Maritus B. Birgittæ præmortuus apparuit eidem, Pœnarum Purgatorii sui assignans causas, & celeris liberationis suæ remedia declarans, inter cætera hæc ei dixit: *Præcipuè etiam sollicita sis erga pauperes, non parcendo distribuere vasa, & equos, & alia, in quibus*

quibus delectando maximè peccavi. Calices quoque aliquos, si poteris, pro Sacrificio Dei non negligas offerre, quia certissimè proficiunt animæ ad salutem. Ecce virtus Eleemosynæ in remittendis pœnis pro peccatis.

In aureo illo libello *Lume à vivi dall' esempio de' Morti.* Habetur, Ven. Moniali Franciscæ à Sanctissimo Sacramento in frequentibus illis apparitionibus, animas Purgatorii solitas fuisse petere inter cætera suffragia subsidium Eleemosynarum in pauperes; & jure quidem: nam *Ignem ardentem extinguit aqua, & Eleemosyna resistit peccatis. Eccl.* 3. 33. Quare unusquisque satagat propria debita, quæ pro peccatis tenetur Divinæ Justitiæ, subveniendo pauperibus, & in piis usibus expendendo pecunias, extinguere; & faciat id, quod suaserat Daniel Nabuchudonosori Regi: *Peccata tua Eleemosynis redime; & iniquitates tuas misericordiis pauperum. Dan. cap.* 4. *Vers.* 24.

Concludat hanc exhortationem relatio de Sancta Ida Virgine Hybernensi, quæ vixit in sexto sæculo, & quam ponit Hieronymus à Basilica Petri *in suis Ephemerid. Sacris die* 15. *Januarii.* 25 *num.* 10. *pag.* 369. his verbis: Essendo morto un »Zio d'Ida, che haveva lasciati otto figliuoli, ha»vendoli mandati à chiamare la Santa, disse loro: »piangiamo il vostro Padre, e mio Zio morto, sì »perche non lo vedremo più in questo paese, co»me anco perche si trova in gravissime, & atro»cissime pene per soddisfare alla Giustizia divina, »e purgare l'anima da peccati commessi; e pro»curiamo d'ajutarlo ad uscire da quelle. Io hò »desiderato parlarvi; attesocche se farete quel »che vi dirò, spero, che presto lo caveremo »dalle fiamme purganti. Promettendo essi di »fare qualunque cosa loro havesse comandato; »disse ella: Ciascun di Voi dia per quest'anno »ogni giorno in limosina pane, vino, carne, e »cascio; e poi ritornate da me che vi saprò dire, »se sarà di bisogno seguitare ancora. Passato il »primo anno, essendo eglino ritornati, disse loro »la Santa: Vostro Padre con le vostre limosine, »con le mie orationi, e con i suoi proprii pati»menti, hà sodisfatto in buona parte i debiti, che »teneva à Dio; però stà ancora nelle pene, ond' »è bene, che seguitiate per questo secondo anno »à fare le opere di Misericordia, e di Religione, »e poi venite, che saprò dire come starà. Tan»to havendo quei giovini fatto, ritornarono la se»conda volta ad Ida, la quale così disse: Vi dò »buone novelle, però non ottime, nè per intiero »buone; Vostro Padre, e mio Zio, stà fuori delle »pene; mà perche in vita sua non diede un ve»stito ad un povero, però si trova nudo, e non »può comparire alla presenza di Dio; sicchè fate »così, in questo terzo anno vestite Voi per lui dei »poveri; supplite al mancamento di carità da lui »commesso, ei poi ritornate à me. Finalmente »disse à suoi Nipoti: la Misericordia di Dio, le »vostre Limosine, e le mie Orationi hanno aper»to le porte del Paradiso, & intromesso nella glo»ria vostro Padre. Sicchè figli dilettissimi im»parate quel che dovete fare in questa vita, per »non havere à patire nell' altra; e non haver bi»sogno dell'ajuto altrui, del quale non possia»mo assicurarsi, che siano per darcelo, ancorche »lo ordiniamo ad altri. Hæc omnia ajebat S. Ida nepotibus, & eadem Parochi suis plebibus poterunt annunciare, ut satagant in hac vita Eleemosynis luere pœnas pro propriis peccatis debitas.

DECISIO XI.

ARGUMENTUM.

Agitur de præcepto Virtutis Pœnitentiæ; & disputatur: Quando vi hujus præcepti teneatur, qui peccavit, pœnitere? An tantùm in articulo, vel periculo mortis? An verò statim post commissum peccatum? Vel quanto tempore post? An quandocunque peccata menti occurrunt, sivè nondum dimissa, sivè etiam jam expiata? Speculativæ opiniones practicis exemplis comprobantur.

SUMMARIUM.

1 *Pœnitentiæ virtutis Præceptum quo tempore obliget?*

2 *Mortis in articulo quilibet de præcepto tenetur pœnitere.*

3 *Pœnitendum, an statim post commissum peccatum?*

4 *Pœnitentiæ quanto tempore differenda?*

5 *Recordatio culparum an obliget statim de eis pœnitere?*

6 *Quid de culpis aliàs confessis, & dimissis?*

7 *S. Petrus Apostolus jugiter dolebat de sua negatione Christi.*

8 *Exemplum suggestionis diabolicæ in articulo mortis.*

ANtequam transeamus de Pœnitentia tanquam Virtute ad Pœnitentiam, quæ est Sacramentum, breviter est examinanda celebris illa Quæstio, circa quam torquentur ingenia Scholasticorum, ac Moralistarum; videlicet: *Quando necessitas Pœnitentiæ urgeat, & præceptum contritionis obliget?* aut clariùs, quod tamen idem est, *Pro quo tempore obliget Præceptum Pœnitentiæ Virtutis?* quam quidem quæstionem examinant Moralistæ, quos allegat Diana *part.* 5. *tract.* 15. *resol.* 33. & fusiùs *part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 51. Quæ repositæ sunt in ejus Coordinato Opere *tom.* 1. *tract.* 3. *resol.* 85. & 86. & alii plures Neoterici ex Carmelitis, enunciati per Collegium Salmanticense *tom.* 11. *De Sacramentis tract.* 6. *cap.* 1. *num.* 46. Ex Scholasticis autem inter modernos Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Pœnitentia disput.* 7. *sect.* 11. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *eod. tractatu disput.* 14. *art.* 7. doctissimus Mastrius *in* 4. *Sent. disp.* 5. *à num.* 201. & *seqq.* Et in sua Theologia Morali *disp.* 21. *à num.* 62. & *seqq.* præter antiquos Theologos, ac Summistas à prædictis auctoribus citatos. 1

Cæterùm pro intelligentia quæstionis advertunt omnes, eam proponi non de Sacramento Pœnitentiæ, circa quod Ecclesia determinavit, eam obligare semel

semel in anno; neque hanc quæstionem examinari respectu extraneorum accidentium; sed de obligatione per se, & ab intrinseco, ratione virtutis Pœnitentiæ; certum est enim per accidens, & respectu alterius obligare aliquando, ut si quis conscius peccati mortalis debeat suscipere aliquod Sacramentum de iis, quæ appellantur vivorum; vel ex officio teneatur Sacramenta administrare; tunc enim si deficiat Confessarius, tenetur pœnitere, & actum contritionis elicere, ob virtutem Religionis, quæ vetat suscipere, vel ministrare Sacramenta in mortali. Itaque Quæstio præsens est, quando, & quo tempore Virtus pœnitentiæ, (quæ consistit in perfecta contritione cordis, ut probatum est supra *Decis. I.*) obliget peccatorem ad dolendum de peccato, dolore quidem perfecto, qui dicitur Contritio, & quidem ex intrinseca obligatione, & ex præcepto Virtutis Pœnitentiæ? Circa quam veniunt discutiendi sequentes articuli.

Primò: An hoc præceptum Pœnitentiæ obliget in articulo mortis? vel morali ejusdem mortis periculo?

Secundò: An etiam in vita statim post commissam culpam?

Tertiò: Si non statim; quanto tempore post culpam commissam?

Quartò: An quandocunque peccata commissa, & nondum dimissa menti occurrunt, & de eis contingit cogitare?

Quintò: An etiam quandocunque veniunt in mentem peccata aliàs commissa, sed dimissa?

2 Quo ad Primum. Procedendum est cum distinctione. Vel non reperitur Confessarius, cui confiteri possit peccata sua ille, qui est in articulo, vel in periculo mortis; Et in hoc casu omnes scribentes concorditer tenent obligatum esse adimplere præceptum Pœnitentiæ, eliciendo scilicet actum doloris, & veræ Contritionis pro omnibus suis peccatis. Ratio est manifesta, quia si tunc non fiat Pœnitentia, non supereſt aliud tempus, quo fiat, non enim datur locus pœnitentiæ salutaris in alia vita. Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 14. *num.* 139. *& seqq.* & Mastrius *d. disp.* 5. *num.* 201. Aut adest Confessarius, qui ejus Confessionem audiat, & absolvat; & in hoc casu discordes sunt Doctores; alii etenim volunt, adhuc expleta confessione, & recepta absolutione teneri elicere actum Contritionis, & dolere iterùm de peccatis; ex lege charitatis Dei, cui in illo articulo homo curare debet se conjungere per actum dilectionis Divinæ, quæ requirit perfectam Contritionem offensarum præteritarum; & ex qua magis providet homo saluti æternæ sui ipsius; ut latiùs Suarez *in* 3. *part. D. Thomæ tom.* 4. *disp.* 15. *sect.* 4. *à num.* 17. *& seqq.* Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 8. *punct.* 4. Sanchez *tom.* 1. *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 34. & alii apud Collegium Salmanticen. *d. tom* 11. *de Sacramentis tract.* 6. *cap.* 1. *num.* 35. Contrarium tamen magis probabiliter docent Moralistæ, quos citat, & sequitur Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Pœnitentia disp.* 7. *n.* 263. & idem Collegium Salmanticens. *d. cap.* 1. *n.* 39. Plurimi apud Dianam Coordinatum *cit. tom.* 1. *tract.* 3. *resol.* 85. *n.* 7. ubi reddit hanc rationem, quia tota obligatio præcepti Contritionis oritur ex necessitate justificationis; ergo cessat, cùm jam peccator sit justificatus per Confessionem Sacramentalem in eodem articulo, vel periculo mortis factam, etsi cum sola attritione, quia virtute Sacramenti ex attrito factus est contritus, & in eadem confessione virtualiter intelligitur actus dilectionis Dei.

Quo ad secundum articulum, An peccator extra periculum, vel articulum mortis teneatur statim post commissam culpam pœnitere? Non pauci DD. affirmant ob sequentes rationes. 1. Quia sicut non licet committere peccatum, ita non est licitum manere in illo. 2. Quia sicut statim corpori ægrotanti quæritur remedium, ita & animæ. 3. Quia sicut proximo erranti tenemur per correctionem fraternam subvenire sine dilatione, ita & nobis ipsis. 4. Quia, qui offendit proximum, debet eidem statim satisfacere. Ergo eo magis Deo. 5. Quia nolle statim converti, denotat velle perseverare in peccato, quod est intrinsecè malum; & 6. Quia id habetur in Sacra Scriptura, & præcipuè *Eccl.* 5. 8. *Non tardes converti ad Dominum, & non differas de die in diem.* Et Apostolus *ad Rom.* 2. 5. *Tu autem secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ.* His tamen non obstantibus contraria opinio communis est tam Scholasticorum, quàm Moralistarum; hi enim omnes tenent, nullam esse obligationem pœnitendi statim post commissam culpam; & duæ sunt præcipuæ rationes; *Una*, quòd nullibi reperitur in Scriptura Sacra, injunctum esse peccantibus, absque mora, & immediatè à peccato surgere. *Altera*, quòd si talis esset obligatio, sequeretur, quòd peccatores quolibet momento peccarent novo peccato impœnitentiæ, & toties deberent illud in Confessione explicare; quod non est in usu Ecclesiæ, nec unquam ab aliquo Concilio id fuit traditum. Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 14. *de Pœnitentia à num.* 146. *& seqq.* Mastrius *d. disp.* 5. *num.* 202. Gobat *tract.* 6. *num.* 131. *Exper. Theol.* & Collegium Salmanticense, plurimos ex Neotericis allegans *d. tom.* 11. *tract.* 6. *cap.* 1. *num.* 46. Concordari possunt hæ opiniones, ut secunda vera sit de rigore præcepti (quod utique non extat) statim, & nulla interposita mora resurgendi à peccato; prima verò locum habeat de congruo, & ex consilio; semper enim hortandi, & monendi sunt peccatores, ne differant quam conversionem ex illis importantibus motivis, de quibus piè, ac docte disserit P. Paulus Segnerius *in Christiano Instruct. part.* 3. *Serm.* 1. per totum. Ad rationes autem contrarias uno verbo respondetur, eas vim habere tempore, ac loco opportunis; non autem statim, & absque ulla dilatione, circa quam versabatur præsens articulus. 3

Quo ad Tertium. Cùm non teneatur peccator ex præcepto statim pœnitentiam agere, si quærimus quanto tempore licitè possit illam differre? Diana *in cit. part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 11. quæ in Coordinato est *d. tom.* 1. *tract.* 3. *resol.* 85. refert circa hanc dilationem quatuor opiniones. *Unam* Marsilii, Viguerii, & Petri Soto ajentium, peccatorem teneri præcepto ipsius contritionis in diebus festis. *Alteram* Adriani, & aliorum asserentium obligari peccatores ad pœnitendum, quando magna aliqua calamitas imminet populo. *Aliam* Dominici Soto reducentis obligationem pœnitendi, quando est probabile periculum oblivionis peccatorum; & *Aliam* Suarezii, Coninchii, & Ochogaviæ concedentium dilationem, ita tamen, ut non expectetur tempus mortis. Ipse verò Diana cum aliis, quos cumulat, Doctoribus, nullum tempus pœnitendi ex præcepto agnoscit ob virtutem Pœnitentiæ, nisi in articulo, vel periculo mortis. Hanc Dianæ, & 4

Comi-

Comitum opinionem confutant plurimi relati à Collegio Salmanticen. *d. tract. 6. cap. 1. num. 52. & seqq.* ubi *num. 55.* ait, alios DD. extendere hanc obligationem ad triennium, alios ad quadriennium, & alios usque ad quinque annos. Porrò Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Pœnitent. disp. 7. num. 240.* & cum eo Mastrius *d. disp. 5. num. 206.* innuere videntur, dilationem pœnitentiæ esse arbitrandam juxta circumstantias, & qualitates peccatorum, prout fieri solet in aliis materiis jejunii, furti, & dilationis votorum; itaut minus tempus concedendum sit Religiosis, vel uxoratis, quàm Laicis, 1 vel personis liberis; & sic de aliis. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *ubi disp. 14. num. 151. & seqq.* firmat, posse à peccatore differri pœnitentiam usque ad tempus, in quo tenetur elicere actum dilectionis Dei super omnia; nam Amor Dei super omnia includit vel formaliter, vel virtualiter detestationem omnium peccatorum; quæ detestatio cum dolore cordis est actus veræ Pœnitentiæ. Has omnes tantorum Magistrorum opiniones, fas est, ut veneremur. Cæterùm, ut conferamus aliquid in hac re, potiùs videtur affirmare, id quod innuit idem Mastrius *d. num. 206. in fine*; & in quod inclinat Sapientissimum Collegium Salmanticense, *ubi proximè num. 55.* videlicet, posse à peccatore differri obligationem pœnitendi usque ad tempus ab Ecclesia præscriptum pro annua Confessione; licèt enim aliud sit præceptum pœnitendi de peccatis commissis, quod est naturale Divinum; & aliud confitendi peccata annuatim in Paschate Resurrectionis Domini, quod est quo ad hoc tempus Ecclesiasticum; nihilominùs cessante articulo, vel morali periculo mortis, aliove extraordinario gravi motivo, rationabiliter determinari potest dilatio ad pœnitendum usque ad festa Paschalia; tunc enim si adsit Confessarius, per actualem, ac Sacramentalem Confessionem delictorum peccator satisfacit utrique præcepto, scilicet Divino, & Ecclesiastico; quòd si non possit habere copiam Confessarii, teneatur de præcepto per contritionem pœnitere, & dolere de peccatis commissis; quod si non agat, peccet novo peccato contra præceptum Pœnitentiæ; prout duplici peccato se noviter coinquinaret, si adsit Confessarius, & tamen omittat elicere actum contritionis; vel facere actualem, Sacramentalemque suorum peccatorum Confessionem.

Quo ad Quartum. Circa aliud articulum: *An* 5 *sit pœnitendum, & actum contritionis eliciendum toties, quoties peccata commissa, nondumque dimissa menti occurrunt, & de eis contingit cogitare?* Duplex est sententia Theologorum. Prima negat; 1. Quia præceptum pœnitendi est affirmativum; ergo non obligat semper, & ad semper, quando est cogitatio de peccatis commissis. 2. Quia aliàs esset obligatio pœnitendi statim post commissum peccatum; quod supra refutavimus. 3. Quia non minùs obligat præceptum diligendi Deum, quàm præceptum pœnitendi. At non tenemur semper elicere actum dilectionis, quando recordamur de Deo. 4. Quia in peccaminosis cogitationibus satis est se divertere, absque obligatione eas actualiter detestandi. Et 5. Quia esset imponere nimium onus fidelibus; & praxis docet, nullum de hac omissione se accusare. Altera sententia affirmat; quia qui cogitat de peccato commisso vel delectatur, & ecce novum peccatum: vel detestatur ipsum, & ecce actus pœnitentiæ; in moralibus enim aut unum, aut alterum rationis dictamen docet, ut amplectatur. 2. Quia homo quoties cogitat de summo bono, tenetur illud amare. Ergo cogitans de peccato, tenetur ipsum odisse. 3. Quia nullum videtur tempus opportunius odiendi peccatum, quàm dum venit in memoriam. 4. Quia naturale principium est, amare bonum, & habere displicentiam de malo; & tunc obligat, quando habetur cognitio, vel de uno, vel de altero: qui autem cogitat de peccato commisso habet cognitionem de illo, & sic tenetur illud detestari. Ita Eminentiss. Card. de Lauræa. *d. disp. 14. de Pœnitentia art. 7. à num. 154. & seqq.* dicens, hanc esse opinionem Scoti, quod affirmat etiam Mastrius *in 4. d. disp. 5. num. 207. & seqq.* & in sua Theologia Morali *disp. 21. num. 67. & 68.* idemque sentiunt plures Scriptæ relati à Suarezio *d. tom. 4. in 3. p. D. Thom. disp. 15. sect. 4.*

Cæterùm Suarez hac opinione relicta, primam sequitur; prout faciunt Emin. Card. de Lugo *d. disp. 7. num. 259.* Diana Coordinatus *d. resol. 85. & 86.* necnon Collegium Salmanticense *cit. tom. 11. tract. 6. cap. 1. num. 47.* & Abelly *in Medullæ Theol. tom. 2. part. 2. tract. 1. cap. 5. sect. 8. in fine.* Concordantur hæ duæ opiniones duplici responsione, *una*, quòd *prima* procedat de cogitatione peccati commissi incompleta, & indeliberata, quæ ex subreptione insurgit, vocaturque speculativa; spectatque potiùs ad phantasiam, quàm ad voluntatem; *Secunda* verò opinio procedat in cogitatione completa, deliberata, & practica, in qua peccator reflectens ad commissum peccatum, videtur delectari de illo, quando non exhauriat à corde suo suspiria, actum doloris, & detestationis. *Vel* alio modo concordari possunt eædem opiniones diversæ; ut secunda loquatur, non de perfecta contritione, formali, & justificante; sed tantummodò de aliqua detestatione peccati, quamvis imperfecta, & non justificante, quæ tamen satis sit impedire novum consensum, & novam delectationem in peccata jam commissa. Ita ex doctrina Emin. Card. de Lauræa colligit Mastrius *d. num. 207.*

Quo ad Quintum. An etiam de peccatis dimissis sit obligatus, qui peccavit, dolere, pœnitere, & conteri toties quoties veniunt illi in mentem? Affirmant Scholastici relati supra pro secunda sententia præcedentis articuli; negant verò omnes illi, qui stant pro prima opinione, ex iisdem rationibus pro utraque parte consideratis. Porrò dicendum venit, secundam sententiam obligantem ad repetendum actum doloris, toties quoties peccata dimissa veniunt in mentem, esse intelligendam vel de consilio tantùm, vel quando imminet periculum novi consensus, seu delectationis erga eadem peccata. Ita Laymann. *lib. 5. tract. 6. cap. 2. num. 8.* Et equidem bonum est consilium peccata etiam dimissa plangere, prout contestabatur Rex Ezechias in illis verbis: *Recogitabo tibi omnes annos meos, in* (idest *cum*) *amaritudine animæ meæ. Isa. 38. 15.* per actum scilicet Pœnitentiæ, & contritionis, ut declarant Scripturistæ. Extatque exemplum mirificum Principis Apostolorum, de quo ex S. Clemente Papa ita scribit Rodriquez *in Exercit. Perfect. part. 2. tract. 7. cap. 4. ad fin.* videlicet: *San Clemente racconta del glorioso Apostolo S. Pietro, che ricordandosi di haver negato Christo, piangeva tanto, che le lagrime gli abbrucciavano la faccia, e gli havevano fatto canali nelle guancie. E dice, che ogni notte* 6 7

al primo cantare del Gallo si levava à far oratione, e che non dormiva più in tutta la notte; e che per tutta la vita sua osservò quest' usanza. Questo è quello, che noi altri habbiamo da imitare. Concordat, quod faciebat etiam Regius Psaltes, dicens, *Psalm.* 50. 12. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra* (idest *Coram*) *me est semper*: ubi rationem reddit S. Hieronymus. *Quia si tu ponis illud ante te* (scilicet dolendo) *Deus illud non ponit ante se*; judicando, seu puniendo.

Ad effugiendum verò periculum iterùm consentiendi peccatis, etsi dimissis, quando iterùm veniunt in mente, optimum consilium est, statim de iisdem dolere, conteri, & pœnitere; non enim difficile est diabolo suggestionibus suis potissimùm in articulo mortis, impellere peccatorem, ut iterùm consentiat, delectetur, & in æternùm damnetur. Tremendum est exemplum relatum à P. Joanne Dominico Ottonello Soc. JEsu *de Christiana charitate cap.* 29. *Exemplo* 5. idest Anno 1624. divitem quemdam Concubinarium gravi infirmitate oppressum, expulsa Concubina, Sacramentis omnibus Pœnitentiæ, Eucharistiæ, ac Extremæ Unctionis devotè receptis decessisse, certa Confessarii sui cum opinione, æternam salutem esse consequutum. At cum Missam de Requiem ipse Confessarius pro anima illius defuncti incœpisset, apparuit ei umbra horribilis, dicens, ne celebres pro me, damnatus sum; in puncto siquidem mortis, in mente habui carnalia peccata, quæ cum mea Concubina commiseram; & de iisdem non solùm dolere neglexi, sed cœpi delectari, & in eadem delectatione immersus occubui, & in damnationem æternam miserè incurri. Bene ait Philosophus, quòd habitus transit in aliam naturam, & sicut ex operationibus secundùm naturam sequitur delectatio, ita ex habitu earumdem. Maurus *in Comment. Arist.* 2. *Ethic cap.* 3. *num.* 1. Quare peccatores ex habitu satagant frequenter dolere, & pœnitere de peccatis, quamvis confessis, ac dimissis, juxta id, quod scriptum est *Eccles.* 5. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.*

DECISIO XII.

ARGUMENTUM.

Demonstratur existentia Sacramenti Pœnitentiæ, & à quibus hæreticis, antiquis, ac modernis fuerit impugnata. Probatur hoc Sacramentum à Christo Domino esse institutum. Quid sit? diversis Theologorum definitionibus examinatis, declaratur.

SUMMARIUM.

1 *Pœnitentiæ Sacramentum à quibus Hæreticis impugnetur?*
2 *Sacramentum Pœnitentiæ à Christo Domino esse institutum est de fide.*
3 *Ratio Sacramenti requirit duo; & Quæ?*
4 *Sacramenti Pœnitentiæ definitiones diversæ.*
5 *Pœnitentiæ Sacramentum complectitur quinque; & Quæ?*

CUm hucusque egerimus de Virtute Pœnitentiæ, de ejus quidditate, & de actibus, quibus exercetur; tum ut sciremus, quomodo remitterentur peccata quo ad culpam ab origine mundi usque ad legem gratiæ; tum ut cognosceremus, quibus mediis dissolverentur reatus peccatorum; pœnæ scilicet debitæ ad satisfaciendum pro illis Divinæ Justitiæ; nunc de Sacramento Pœnitentiæ à Christo Domino instituto, opus est, ut agamus; quòd vel in re, vel in voto est prorsùs necessarium in Lege Evangelica, ad remissionem culparum obtinendam. Ideò in præsenti duo examinabimus.

Primò: An detur Sacramentum Pœnitentiæ, & à quo sit institutum?

Secundò: Quid sit Sacramentum Pœnitentiæ?

Quo ad primum. Nemo est ex Catholicis, qui neget existentiam Sacramenti Pœnitentiæ, à Christo Domino instituti; sed utrumque negarunt Hæretici tum antiqui, tum moderni. Ex antiquis reperiuntur Montanus, & ejus sequaces, qui vixerunt circa Annum Christi 173. hi enim opinati sunt, non dari Sacramentum Pœnitentiæ, adeò ut peccantibus post receptum Baptisma nullum esset remedium, neque vis obtinendi remissionem peccatorum; ut referunt, ex S. Hieronymo *Epistol.* 54. & aliis veteribus Patribus Eminentiss. Cardin. Baronius *d. Anno* 173. *num.* 8. ibique ejus compilator Spondanus. Latè Salelles *de S. Inquisitione tom.* 2. *lib.* 3. *reg.* 224. *à num.* 198. *& seqq.* & præcipuè *num.* 222. nec non Eminentiss. Card. de Lauræa *in* 4. *Sent. tom.* 2. *De Pœnitentia. disp.* 16. *num.* 1. ubi advertit, Novatum, & Novatianos Hæreticos antiquos, non negasse omnino existentiam Sacramenti Pœnitentiæ; sed docuisse, lapsos à fide ob timorem tormentorum, non posse absolvi à peccato infidelitatis, neque ampliùs reconciliari. Ad modernos Hæreticos sequaces Lutheri, & Calvini negare in totum Sacramentum Pœnitentiæ, collativum gratiæ, & remissivum peccatorum, constans ex contritione, confessione, ac satisfactione; admittentes tantummodò nomen Pœnitentiæ; quam iidem Novatores nihil aliud esse autumant, nisi fidem Baptismi denuò excitatam per compunctionem cordis; demonstrat, eos confutando, Emin. Card. Bellarminus *lib.* 1. *de Pœnitentia cap.* 10. 1

Igitur de fide est, dari Sacramentum Pœnitentiæ à Christo Domino institutum pro remissione peccatorum, à fidelibus populis post receptum Baptisma commissorum, ut definitum est in Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 1. in illis verbis: *Quoniam autem Deus dives in misericordia cognovit figmentum nostrum; illis etiam vitæ remedium contulit, qui se se postea in peccati servitutem, & dæmonis potestatem tradidissent; Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur.* Et infra: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Joan.* 20. Et subinde ipsummet Concilium Tridentinum *ead. sess.* 14. *de Pœniten. Can.* 1. sic sancivit: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia, Pœnitentiam non esse verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsis Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum; Anathema sit.* Idem fuit diffinitum in Concilio Constantiæ *Anno* 1417. præsente Martino Papa Quinto, in quo damnatus fuit tanquam Hæreticus Joannes Wicleff de Anglia; qui inter cæteros errores docebat; quòd *si homo fuerit debitè contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, & inutilis.* Et habetur in Bulla prima 2

ejusdem

ejusdem Martini V. *num.* 7. *in Bullar. Rom. tom.* 1. Eandem declarationem, ac diffinitionem fecit Concilium Florentinum *Anno* 1439. Præsidente in ipso Eugenio Papa IV. ubi in Decreto Unionis Armenorum, inter cætera Sacramenta habetur hoc de Pœnitentia, cum declaratione ejus Materiæ, Formæ, & Effectus, ut legitur in Decreto in fine ejusdem Concilii *tom.*4. Concilior. *pag.*909. Hæc sunt testimonia omnia exceptione majora, quia sunt decreta de fide, à Summis Pontificibus, & Conciliis generalibus firmata, examinatis priùs, & relatis Sacris Scripturis, & SS. Patrum auctoritatibus; quas nihilominus abundanter referunt, præter Eminentissimos Cardinales Bellarminum *d. lib.* 1. *de Pœnitentia*, & Baronium *d. Ann.* 53. inter recentiores Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp.* 16. *num.* 8. & de Lugo *de Sacram. Pœnit. disp.* 12. *à n.* 1. *& seqq.* Casalius *de Veterib. Sacris Christianor. Ritib. cap.* 24. Arsdekim *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. Gaspar Ivenim *in Commentar. Histor. & Dogmat. de Sacramentis Dissert.* 6. *quæst.* 2. *cap.* 2. *&* 3. ubi Lutheranorum, ac Calvinistarum argumenta allegat, & confutat; nec non Abelly *in Medulla Theolog. part.* 2. *tract.* 1. *cap.*4. *sect.* 2. Quibus addendus est Tirinus in Indice controversiarum Fidei *post Commentar. Sacræ Scripturæ Controvers.*23. ubi *num.*3. ponit testimonium Sancti Joannis Apostoli in illis verbis: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus (Deus) ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* 1. *Joan.* 1. 9. & S. Jacobi 5. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra.*

Probatur etiam ratione existentia hujus Sacra-
3 menti Pœnitentiæ; cùm enim ad rationem Sacramenti propriè dicti duo sufficiant, promissio scilicet gratiæ justificantis, & signum exterius illam significans: utrumque habetur in verbis Christi supra relatis *Joan.* 20. ibi enim dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* At quando remittuntur peccata, infunditur gratia justificans, sine qua dari non potest remissio vera peccatorum: Ergo apertissimè Salvator in illis verbis promisit gratiam justificantem. Item ex iisdem resultat signum sensibile ejusdem gratiæ; nempè absolutio, quæ fit per Sacerdotem, præcedentibus actibus pœnitentis, omninò necessariis ad remissionem peccatorum obtinendam; undè tam à parte Pœnitentis, quàm à parte Ministri illum absolventis habentur signa sensibilia denotantia infusionem gratiæ in ipso Sacramento Pœnitentiæ, ut doctè differit Mastrius *in* 4. *Sent. disp.* 5. *quæst.* 11. *num.*298.

Quo ad secundum. Si quærimus: *Quid sit Sacramentum Pœnitentiæ?* de eo plures possunt defini-
4 tiones in medium afferri. Scotus *in* 4. *Sent. dist.*14. *q.*1. *art.*1. illuc sic definivit: *Pœnitentia est Sacramentum remittendi peccata, quæ post Baptismum committuntur.* Sed talis definitio non placet Scotistis, quia est manca, & non declarat modum, quo hoc Sacramentum remittat peccata, nempè per modum judicii; ideò convenit etiam Sacramento Extremæ Unctionis. Suarez ita definit: *Pœnitentia est confessio legitimè facta in foro Pœnitentiæ, & absolutione judicis firmata.* Eam refert Mastrius *disp* 5. *num.*325. extare apud D. Auctorem *disp.*18. *sect.*3. (sed illam non potui invenire) at ipsi Mastrio non placet, quia (ait) ex tribus Pœnitentiæ partibus solam continet Confessionem; cùm tamen aliæ quoque sint ad ejus essentiam necessariæ. Aversa *quæst.*9. *de Pœnitent. sect.*1. definivit Sacramentum Pœnitentiæ, quòd sit *Remedium à Christo institutum ad conferendum homini gratiam, ut ei per modum judicii peccata remittantur.* Ly *Remedium* est loco generis, convenit enim cum aliis Sacramentis. Ly *Per modum judicii* stat pro differentia; differt enim hoc Sacramentum ab aliis, quia in hoc remissio peccatorum fit per absolutionem modo judiciario; auditis priùs per Judicem, & examinatis delictis, de quibus peccator in foro secreto se accusat; & sic videtur bona definitio.

Porrò omissis aliis amplectenda est definitio, quam ponit Scotus 4. *dist.*14. *q.* 4. *sub A.* ac exornant Mastrius *d. disp.* 5. *num.* 326. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.*16. *art.* 2. §. 7. *num.*114. quæ est hujusmodi: *Sacramentum Pœnitentiæ est absolutio hominis pœnitentis, facta certis verbis, cum debita intentione prolatis à Sacerdote jurisdictionem habente, ex institutione divina efficaciter significantibus absolutionem animæ à peccato.* Quamvis autem hæc 5
non placeat Soto, qui eam distringit *in* 4. *d. dist.*14. *q.* 1. *art.* 1. §. *At verò:* est cæteris exactior, quia explicat quidditatem hujus Sacramenti per omnes causas; & continet genus, ac differentias. Siquidem *Ly Absolutio* est causa formalis Sacramenti. *Ly hominis pœnitentis* est causa materialis; nam actus pœnitentis sunt quasi materia hujus Sacramenti. *Ly certis verbis cum debita intentione prolatis* est causa instrumentalis. *Ly à Sacerdote, &c.* est causa efficiens ministerialis. *Ly ex institutione Divina*, est causa efficiens principalis. *Ly absolutionem animæ à peccato* est causa finalis. Genus autem, & differentia manifestè patet; nam *Ly Absolutio* est verbum genericum, & commune ad quemcunque judicem in suo foro. Cætera verba stant loco differentiæ; siquidem. *Ly hominis pœnitentis*, distinguit hoc Sacramentum ab absolutione facta in judicio humano, in quo non attenditur Pœnitentia rei, sed innocentia. *Ly facta certis verbis*, denotat differentiam à Sacramento Baptismi, & Extremæ Unctionis. *Ly à Sacerdote jurisdictionem habente*, indicat Ministrum proprium, & ejus conditiones. Cætera verba insinuant effectum hujus Sacramenti, & modum operandi ipsum effectum, idest per modum judicii.

Neque obstat, quòd in hac definitione non exprimantur Contritio, Confessio, & Satisfactio, quæ tria cententur materia necessaria hujus Sacramenti: nam respondetur, quòd sub illis verbis *hominis pœnitentis* intelliguntur; idem enim est dicere *hominem pœnitentem*, ac hominem dolentem de suis peccatis, illa confitentem, & satisfaciendi Deo pro illis animum habentem; quemadmodum, si dicatur homo *amans* vel homo *legens*, aut *docens*, intelligitur homo implicitus in actibus spectantibus ad amorem, ad lecturam, ad docendi munus; ut eruditè demonstrat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.*16. *num.*118. & prosequitur Mastrius *d. disp.* 5. *num.*326. *&* 327.

Ex his colligere debemus, quinque esse principalia, & omninò scienda in hoc Sacramento Pœnitentiæ, scilicet Contritionem, Confessionem, Satisfactionem, Absolutionem, ac Ministrum, nempè Sacerdotem, de quibus omnibus breviter, sed succosè in sequentibus agemus; tria enim prima tenent locum Materiæ, quartum habet vim Formæ; de Sacerdote autem, qui est Minister hujus Sacramenti, plura sunt differenda; præcipuè de ejus Scientia, Approbatione, Jurisdictione, ac Sigillo; ut infra patebit.

DECI-

DECISIO XIII.

ARGUMENTUM.

Differitur de Contritione, & explicatur duplex materia Sacramenti Pœnitentiæ; Remota, & Proxima circa Quam, vel ex Qua; Essentialis, & Integralis, & quæ utraque sit? Dolor in pœnitente contrito quotuplex sit? Quot, & quales circumstantiæ doloris ob culpas tum mortales, tum veniales? An Gratianus, & Magister Sententiarum, ac Auctor Historiæ Scholasticæ fuerint fratres germani, & geniti ex adulterio? De nece Bajamontis Catilinæ Veneti. De peccatorum commissorum detestatione, & de ejus qualitatibus. De Proposito non committendi ampliùs peccata, ac commissa confitendi cum spe veniæ.

SUMMARIUM.

1 *Materia Sacramenti duplex. Remota, & Proxima.*
2 *Concilium Tridentinum cur vocavit quasi Materiam actus Pœnitentis?*
3 *Sacramenti Pœnitentiæ Materia alia Necessaria, alia Sufficiens. Item alia Essentialis, alia Integralis. num.* 4.
5 *Contritio duplex, perfecta, & imperfecta. Et quæ utraque?*
6 *Dolor duplex, animæ, & sensus.*
7 *Contritio est dolor animæ.*
8 *Dolor Pœnitentis, quo tempore elici debeat?*
9 *Dolor venialium an necessarius in Confessione?*
10 *Pœnitentiæ Sacramentum an possit esse validum, sed informe? Quid hoc sit? declaratur.*
11 *Gratianus, Magister Sententiarum, & Petrus Comestor an fuerint fratres uterini, & adulterini?*
12 *Bajamontis Veneti excidium.*
13 *Dolor de peccatis debet esse cum eorum detestatione. Hæc quid sit?*
14 *Debet esse actualis in pœnitente; Duobus casibus exceptis.*
15 *Propositum non peccandi necessarium in pœnitente; cum tribus conditionibus. Et quæ sint?*
16 *Occasio proxima peccandi deferenda. An detur excusatio?*
17 *Propositum non peccandi an debeat esse explicitum?*
18 *Propositum in Contritione debet esse confitendi.*
19 *Judas pœnituit, confessus est peccatum suum, restituit pecuniam, & tamen damnatus est. Cur ita?*

QUia omne Sacramentum constat ex materia, & forma *ex Concil. Florent.* in Decreto Eugenii Quarti ad Armenos *post ultim. sess.* §. *Quinto*, scire oportet, quænam sit materia hujus Sacramenti Pœnitentiæ. Duplex autem cùm sit materia, alia Remota, & alia Proxima, Eminentiss. Cardin. Toletus *in Summ. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 1. sivè ut loquuntur Scholastici; alia *circa quam*, & alia *ex qua*. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœnitentia disp.* 17. *art.* 1. *num.* 1. ubi hos terminos explicat; conveniunt omnes Doctores in hoc, quòd materia Remota Sacramenti Pœnitentiæ, seù *circa quam*, sit peccatum actuale commissum post Baptismum; materia verò Proxima, vel *ex qua*, sint actus pœnitentis, videlicet, *Contritio, Confessio, & Satisfactio.* Nec turbare debet, quod Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 3. vocet hos actus *quasi materiam*; ibi: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempè Contritio, Confessio, & Satisfactio.* Quandoquidem Concilium adhibuit eam 2
diminutivam particulam *Quasi* ob plures rationes, quas eruditè de more recensèt Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 17. *num.* 3. inter quas illa, quòd in cæteris Sacramentis materia est substantia, ut constat de aqua in Baptismo, de oleo in Chrismate, de panè in Eucharistia. At in hoc Sacramento Pœnitentiæ actus prædicti pœnitentis relati ad materiam remotam non continent substantiam, quia peccata non sunt entia, sed accidentia; & ulteriùs iidem actus practicè tantùm, non etiam speculativè effectum causatnm ex sui positione significant, ut faciunt cætera Sacramenta. Nam actus abluendi in Baptismo speculativè demonstrat, & dat intelligere interiorem ablutionem animæ à maculis peccatorum: Actus ungendi in Chrismate fortitudinem, & corroborationem internam. Actus manducandi in Eucharistia, virtutem spiritualis nutrimenti. At actus pœnitentis non dant intelligere ita expresè effectum remissionis peccatorum, quem practicè cognoscimus solummodò appositа forma, ideſt, prolatis verbis absolutionis. Ita suprad. Eminent. Purpuratus, & alii plurimi, quos allegat Barbosa *in Collect. DD. ad idem Concil. Trident. cap.* 3. *sess.* 14. & Catechismus Romanus *de Sacram. Pœnit. sect.* 13.

Rursus Materia Sacramenti Pœnitentiæ alia est 3
Necessaria, alia Sufficiens. Gobat *in Experiment. Theolog. tract.* 6. *num.* 9. Materia Necessaria est peccatum mortale; Sufficiens est peccatum veniale. Concil. Trident. *d. sess.* 14. *cap.* 5. nec non peccatum mortale aliàs confessum, & dimissum; prout declaratum est à Benedicto XI. *in Extravag.* 1. *Incip. Inter cunctas. in* §. *Cæterùm de Privileg.* ibi: *Cæterùm licèt (sicut prædicitur) de necessitate non sit iterùm eadem confiteri peccata: tamen quia propter erubescentiam, quæ magna est Pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre.*

Ulteriùs ex prædictis tribus actibus pœnitentis, 4
primus, & secundus, videlicet Contritio latè accepta, ac Confessio sunt materia essentialis hujus Sacramenti Pœnitentiæ; tertius verò, ideſt Satisfactio, est materia integralis tantùm; ea ratione, quia hoc Sacramentum essentialiter perficitur per absolutionem datam ante executionem operum injunctorum à Confessario, Gobat. *d. tract.* 6. *num.* 10. Suarez *in* 3. *p. D. Thom. tom.* 4 *disp.* 38. *sect.* 1. *num.* 3. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœnitentia disp.* 22. *art* 2. in quo tamen advertit; semper posse dici Satisfactionem partem essentialem Sacramenti Pœnitentiæ, quia licèt non interveniat actu cum absolutione, requiritur tamen in voto, hoc est, in voluntate efficaci satisfaciendi. Sed de hac re dicemus infra *Decis.* 34.

His prænotatis agendum est de prima parte es- 5
sentiali materiæ Sacramenti Pœnitentiæ, nempè de Contritione. Hæc autem duplex est, *Perfecta, & Imperfecta.* Prima verè, & propriè appellatur *Contritio.* Secunda nominatur *Attritio.* Concil. Trident. *d. sess.* 14. *cap.* 4. ubi non solùm Contritionem

nem perfectam, sed etiam hanc imperfectam in Sacramento Pœnitentiæ sufficere ad remissionem peccatorum obtinendam declarat. De Contritione diximus supra *Decis. II.* ubi ad ejus perfectionem tria concurrere debere diximus; dolorem de offensa facta Deo; detestationem peccati ob Deum summè dilectum, & propositum de cætero non peccandi. Circa hæc tria, præter declarationem eorumdem factam *d. Decis. II.* attendendæ sunt sequentes observationes.

Prima sit, quòd duplex est dolor, unus corporis, 6 alius animæ. Primus est, qui sentitur in carne ob aliquod nocumentum corporeum, & propriè appellatur dolor. Alter est, qui experitur in anima, ob aliquam rem nobis displicentem, & nuncupatur tristitia, ut bene explicat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in 3. Sent. tom. 2. De Virtutib. in genere disp. 30. num. 36.* his verbis: *Itaque cum aliquid disconveniens, & læsivum corporis ei accidit, passio illa, quæ in sensu corporeo sentitur, est dolor. Quando autem corpus, aut sensus nil patitur; sed anima tantum, quia nempè aliqua nolebat efficaciter; & tamen ei acciderunt, illa dissensio dicitur Tristitia.* Idcircò Contritio est dolor animæ, non corporis; & consistit in actu displicentiæ, quo tristamur, & affligimur in anima ob Dei offensas, quas commisimus 7 illas detestando; & quamvis aliquando ex hac interna displicentia, & tristitia, insurgat etiam dolor sensitivus, ex quo proveniunt suspiria, lacrymæ, & gemitus; juxta illud Psalmistæ, *exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Psal. 118. 136.* & patuit in lacrymis S. Mariæ Magdalenæ; nihilominus iste dolor, sensitivus non est de substantiva veræ contritionis. Emin. Cardin. de Lauræa *de Pœnitentia disp. 8. art. 5. per totum.* Layman *libr. 5. tract. 6. cap. 4. num. 1.* Tamburin. *de Exped. Confess. libr. 1. cap. 2. §. 1. & 2.* ubi ait, satis esse, si quis doleat, quod non sentiat dolorem de peccatis. Et Gobat *in Theolog. Experim. tract. 6. num. 37. & seqq. & num. 144.* docens in homine cordato, & serio, tunsionem pectoris, cum illis verbis, *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa*, esse bonum signum doloris. At è contra *sub num. 170. in appendice*, reputat incapacem absolutionis ex defectu doloris pœnitentem ita cum Confessario loquentem: *Sincerissimè; animitusque, intendo confiteri eo modo, & cum iis conditionibus, cum quibus fuere confessi SS. Franciscus, Dominicus, & Augustinus*; quia (inquit Gobatus) tali desiderio non videtur adjunctus ullus actus doloris. At non crederem ita rigorosè sententiandum; magna enim est vis desiderii de habendo dolore, & sicut Zacchæus cupiens videre Jesum, meruit eum recipere in domum suam, *Luc. 19. 3.* sic pœnitens cupiens dolere de peccatis, prout faciebant illi Sancti, non potest esse sine sufficienti dolore ad habendam absolutionem; præcipuè si *sincerissimè*, ut ajebat, *animitusque intendat confiteri.*

Secunda observatio est, quod dolor de peccatis debet comitari Confessionem aut actualiter, aut 8 moraliter. Moralis autem concomitantia illa est, quando doloris actus præcessit Confessionem per tres, aut quatuor dies. Gobat. *d. tract. 6. num. 157. & seqq.* Tamburin. *d. lib. 1. cap. 2. §. 4. & §. 5.* ubi permittit etiam longius tempus præcedens, dummodò ille dolor non fuerit retractatus, vel novum peccatum mortale commissum vel per complacentiam de iisdem, de quibus pœnitens doluerat. Diana Coordinatus *tom. 1. tract. 3. resol. 95.* Volpi *resol. 168. num. 2.* Gobat, *tract. 6. num. 157.* Ratio est, quia Sacramentum Pœnitentiæ administratur per modum judicii; in judiciis autem conclusio in causa, & publicatio Sententiæ admittit notabile tempus intermedium dierum, hebdomadum, ac mensium. At hæc speculativè bene procedunt: practicè enim prudens Confessarius debet semper excitare pœnitentem, antequam eum absolvat, ut reiteret actus doloris de prædictis peccatis; ne se exponat periculo nullitatis Sacramenti, ait Cardenas *in Crisi Theolog. Dissert. 2. cap. 6. art. 3. qu 6.* satis tamen est, ut doleat de ipsis in universum, & de omnibus simul, unico doloris actu. Tamburin. *d. lib. 1. cap. 1. §. 2.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœnit. disp. 8. art. 10.* & in quocunque gradu intensionis, quamvis tenuissimo, seu remississimo. Suarez *de Pœniten. disp. 4. sect. 4. num. 9.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 4 num. 1.* latè, & doctè Emin. Card. de Lauræa *de Pœniten. d. disp. 8. art. 6. & art. 7.* ubi quod neque opus est extensione doloris in tempore, quia sufficit illum elicere unico instanti. Eadem moralis concomitantia doloris cum confessione peccatorum habetur, si pœnitens non multò post Confessionem eorum, antequam absolvatur, actum doloris eliciat, Collegium Salmanticen. *eod tract. de Pœniten. seu de Sacramentis in genere tract. 6. cap. 5. n. 24. & 25.*

Tertia observatio. Dolor iste necessarius est primò de omnibus mortalibus; Tridentin. Concil. *sess. 14. cap. 5.* deinde etiam de peccatis venialibus quando quis de eis se accusat in Confessione, non 9 habens mortalia; nam Sacramentum validum esse non potest sine hac parte essentiali, idest sine dolore Licèt enim non sit obligatio confitendi venialia; tamen quando quis de eis se accusat in Confessione, tenetur de eis dolere; alias peccat mortaliter, quia reddit irritum Sacramentum. Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Pœnit. disp. 54. sect. 8.* Tambur. *d. lib. 1. cap. 3. §. 1. num. 4. & §. 2. per totum*; ubi declarat, hoc procedere, ubi non doluerit de aliis venialibus, vel de aliis mortalibus; quandocunque enim præcessit dolor de aliis, quamvis nulla alia venialia confiteatur sine dolore, non peccabit mortaliter, nam subsistit validitas Sacramenti in illis, de quibus doluit,

Quarta observatio, circa dolorem peccatorum, pro validitate absolutionis est; controversiam magnam esse inter Theologos, an dari possit Sacramen- 10 tum validum Pœnitentiæ, sed informe? Videlicet Sacramentum ipsum non esse irritum, sed gratiam non conferri; Exemplificant DD. Quando pœnitens dolet de suis peccatis mortalibus, uno excepto, de quo credit inculpabiliter non esse dolendum. Disputat de hoc Collegium Salmanticen. *d. tract. 6. c. 5.* ubi *num. 7.* DD. negantes allegat, inter quos Castropal. *tract. 23. disp. Unica punct. 7. num. 4.* & Layman *d. lib. 5. tract. 6. cap. 9.* Sed Contrarium tenet S. Thom. *in 4. dist. 17. qu. 3. art. 4. qu. 1.* Card. de Lugo *de Pœnit. disp. 14. sect. 6. & 7.* cum aliis citatis ab eodem Collegio Salmanticen. *ibid. num. 9.*

Circa hanc Quæstionem Gobatus *d. tract. 6. num.* 11 171. exemplificat de Matre Gratiani Compilatoris Decreti; Petri Lombardi, vulgo Magistri Sententiarum; & Petri Commestoris clarissimi Auctoris Historiæ Scholasticæ, quos fratres germanos fuisse, sed omnes ex adulterio genitos ait Tiraquell *de Nobilitate cap. 15. num. 32.* Horum itaque Mater, cum audiret, Filios suos magna nominis celebritate esse conspicuos, ac suis virtutibus toti Ecclesiæ utiles, putabat, non sibi dolendum de adulterinis complexibus. Et ideò quærebatur, an hoc

errore decepta, si alia sua peccata cum dolore confiteretur, de adulterio autem absque dolore, reciperet valide Sacramentum Pœnitentiæ, & gratiam justificantem? Casus est fabulosus, quia prædicti tres celebres Viri, qui floruerunt duodecimo sæculo, non potuerant esse germani fratres, cum fuerint natione, & patria omnes diversi, ut constat ex Emin. Cardin. Bellarmino *de Scriptorib. Ecclesiast.* 12 *Verb. Petrus Lombardus, Gratianus, & Petrus Comestor.* Addam ego casum majoris certitudinis; homicidii scilicet Bajamontis Theopuli, quem novum Catilinam, dum Reipublicæ Venetæ tentat proditoriis armis excidium, Vetula quædam, projecto inadvertenter è fenestra in ejus caput mortario interemit; ut narrat Anton. Foreſtus *in Mappamundo Histor. tom. 4. lib. 4. de Republ. Venet. sub num. Annor. Christi* 1290. de quo ausu hæc leguntur in Columna erecta ad angulum Ecclesiæ Parochialis S. Augustini Venetiarum:

Del Mille trecento, e diese,
A mezo il mese delle Ceriese
Bajamonte passò il Ponte,
E per esso fù fatto il Consegio de Diese.

Modo si prædicta Vetula credidisset, mortaliter peccasse occidendo Bajamontem; sed deinde audiens, se commendatam; imò à munificentia Publica, *Suppæ*, quam petierat, panis scilicet, ac vini, sua vita durante, remuneratam provisione; & ex hoc dolere noluisset de credito homicidio; numquid recepisset in confessione Sacramentum validum, at informe? Sunt, ut dixi, hinc inde opiniones diversæ; sed speculationibus omissis, practicè consulendi sunt pœnitentes, ut nullum peccatum excipiant à dolore, ne incertitudini absolutionis subjaceant; & in hoc Confessarii debent esse solliciti.

Quinta observatio: Præter dolorem de peccatis ad validitatem contritionis, requiritur eorum detestatio; ait enim Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. 13 Contritio *est animi dolor ac detestatio peccati commissi.* Differt autem detestatio à dolore, quod illa magis propriè sit actus intellectus, considerantis malitiam, indignitatem, & enormitatem peccati, quatenus est offensa Dei; ideòque pœnitens illud detestatur, id est reprobat, confutat, & ampliùs non vult sequi; imò dolet, & tristatur, quod olim fuerit sequutus, per actus scilicet voluntatis, ad quam spectat doloris actus elicere, ut bene Eminentiss. Card. de Lauræa *disp. 7. de Pœnitent. art.* 1. ubi tamen concedit, dolorem de peccato, detestationem ejusdem peccati, ad displicentiam posse appellari synonyma, vel quia debent esse conjuncta, vel quia causant eundem effectum; scilicet odium peccati. *Et disp. 8. art. 8.* ubi advertit, quod hæc detestatio peccati debet esse super omnia mala, ac pœnas; cum enim debeat includere vel formaliter, vel virtualiter actum charitatis circa Deum, per consequens detestandum est peccatum super omnia mala, ac pœnas etiam æternas; adeò ut pœnitens paratus sit potiùs omnia mala, ac pœnas sufferre, quàm amplius peccare; aliàs plus amaret seipsum quam ipsum Deum; quando ad effugienda quæcunque alia mala, vel pœnas, eligeret iterum peccare; quæ omnia pariter docet, & confirmat Mastrius *in Theol. Morali disp. 21. num.* 28. Advertendum tamen, non esse obligationem deveniendi ad comparationem particularem inter peccatum, & omne aliud malum; sed satis esse, ut pœnitens implicitè, virtualiter, seu interpretativè detestetur peccatum plusquam omne aliud malum in universali; itaut si occurreret occasio peccandi mortaliter, potius eligeret quamlibet pœnam quàm iterum mortaliter delinquere; & hoc idem docuerunt etiam antiqui Theologi, quos cumulat, & sequitur Navarrus *in Manuali Confessar. cap. 1. num. 16. & 17.*

Sexta observatio. Hæc autem detestatio peccati debet esse actualis in ipso pœnitente ex S. Thoma 14
3. p. q. 87. *art.* 1. & ex Concilio Trident. *d. sess. 14. cap.* 4. adeò ut non sufficiat virtualis, quæ censetur illa in actu dilectionis Dei contenta absque actuali reflexione, & displicentia peccatorum; nisi in duobus casibus. Primus est ex defectu temporis, ut si quis urgente Tyranno, eligat mori potiùs, quàm negare fidem, vel committere aliquod mortale, & hoc est Dei amore; sed non habeat tempus reflectendi, ac detestandi alia mortalia, quæ antea commisisset; tunc enim virtualiter dicitur ea detestari; & satis est hæc virtualis detestatio ad salutem ob illum actum dilectionis Dei super omnia; juxta illud *Prov.* 10. *Universa delicta operit charitas*; & illud *1. Petr. 4. Charitas operit multitudinem peccatorum.* Secundus casus est, quando quis diligenter examinavit suam conscientiam, cognovit plura peccata patrata, sed non potuit recordari de uno alio peccato mortali commisso; tunc enim actualis detestatio aliorum peccatorum cognitorum est sufficiens detestatio virtualis inculpabiliter obliti. Ita Reginald. *in Praxi tom. 1. lib. 5. num. 3. & 4.*

Septima observatio est, quòd ad substantiam contritionis requiritur in Pœnitente propositum de cætero non peccandi; quod tribus conditionibus sit stipatum. *Una*, quod sit firmum, & stabile ad dif- 15
ferentiam simplicis velleitatis; quæ est non determinata, sed inconstans resolutio non peccandi. Gobat. *d. tract. 6. num.* 186. & 188. Nihil autem refert, si pœnitens conscius suæ fragilitatis judicet, se non esse servaturum hoc propositum; quia propositum non est actus intellectus, sed voluntatis; quæ potest firmam resolutionem elicere de non peccando, quamvis contradicat intellectus. Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 11. punct. 2. in fin.* Diana Coord. *tom. 1. tract. 3. resol.* 109. §. 2. & Gobat ubi proximè *num.* 189. ideò vocatur propositum, non promissio, quia ejus validitas stat in resolutione, non in executione. *Altera* conditio est, ut propositum se extendat ad omnia mortalia, nullo excepto Gobat *ibid. num.* 193. ad differentiam venialium, circa quæ propositum potest esse de aliquibus tantùm Layman *d. tract. 6. cap. 4. num.* 19. & Tamburin. *de Exped. Confess. lib. 1. cap. 3. §. 5. Tertia* con- 16
ditio est, ut deserat proximam occasionem peccandi; & illa censetur occasio proxima, in qua experientia docet, hominem minimè resistere, sed cadere in peccatum. Hinc damnata illa propositio, quod *Concubinarius absolvi possit, non expulsa concubina*; de qua videndus Cardenas in Crisi Theologica eam latè examinans, ac declarans *Dissert. 40. per totam*, & concludens, non posse absolvi, qui occasionem proximam non deserit; excepto casu impossibilitatis physicæ; qualis esset in filiofamilias luxuriante cum ancilla suæ genitricis, ut notat Navarrus *in Manuali cap. 3. num.* 21. Collegium Salmanticense *d. tract. 6. de Sacram. cap. 5. num.* 59. & Gobat consimiles casus referens *tract. 7. à num.* 514. ac ipse Cardenas *d. dissert.* 40. ubi ponit omnia, quæ scitu digna sunt circa obligationem deserendi occasionem proximam.

Octava observatio est; magnam esse altercationem apud DD. an prædictum Propositum in pœnitente debeat esse formale, & explicitum; an verò

sufficiat

17 sufficiat, quòd sit virtuale tantùm, ac implicitum, videlicet tacitè imbibitum in ipsa detestatione peccati, de qua supra? Tres sunt opiniones. Una asserit, debere esse propositum explicitum. Alia concedit propositum implicitum, seu virtuale. Tertia concordat, & distinguit dicens, regulariter esse necessarium propositum formale, & explicitum; sed per accidens sufficere virtuale, & implicitum in duobus casibus, videlicet; vel quando pœnitens ita vehementer dolet, & detestatur peccata præterita, ut non advertat ad tempus futurum; vel quando est in proximo articulo mortis, adeòut non sit spes longioris vitæ. Ita Mastr. qui refert DD. pro his opinionibus *in Theologia Morali d. disp. 21. n. 31.* Gobat. *d. tract. 6. num. 203. & seqq.* & Diana Coordinatus *tom. 2. tract. 3. resol. 110. cum duabus seqq.*

Nona observatio est circa propositum in contritione extra Sacramentum Pœnitentiæ, quòd ultra
18 prædictas conditiones, & circumstantias de amplius non peccando, requiritur etiam propositum confitendi peccata, de quibus dolet; & ea clavibus Ecclesiæ subjiciendi per actualem susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, ut demonstrat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœniten. d. disp. 8. art. 15.* & definitum est in Concilio Trident. *sess. 14. cap. 4.* & his omnibus concurrentibus contritio justificat peccatorem, & in ejus anima delet peccata mortalia, ut probatum est supra *Decis. II.* ideòque vocatur Contritio per metaphoram, quia peccator odiens peccatum, ac dolens de eo, quasi conterit, & frangit suum cor, ut dejiciat venenum peccati, pœnamque sentiat, ut docet Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 8. n. 1.* ubi auctoritates Sacræ Script. allegat.

Decima tandem observatio est, quòd ipsamet Contritio, ut supra qualificata, debet habere spem veniæ à
19 Misericordia Divina. Hinc Judas quamvis esset contritus, doluerit de suo peccato, restituerit tum pecuniam Magistratui, tum famam Redemptori, dicens: *Peccavi tradens Sanguinem justum. Matth. 24. 4.* nihilominus *abiens laqueo se suspendit*, scilicet ob desperationem; ut ibidem ex SS. Patribus probat Tirinus, ac alii Expositores.

DECISIO XIV.

ARGUMENTUM.

Sermo est de Attritione. De hujus vocis varia Significatione, ac Divisione. Attritio alia Naturalis, alia Supernaturalis, & quæ utraque sit, exemplis, ac definitione demonstratur. Rex Antiochus quare non esset misericordiam consecuturus? Felix Præses Judææ, ac Drusilla ejus uxor cur non conversi ad prædicationem Sancti Pauli Apostoli? Opiniones tres Antiquorum de Attritione explosæ. Differentiæ duæ inter Contritionem, ac Attritionem. Attritionem non mutari in Contritionem; sed Attritum in Contritum virtute Sacramenti ostenditur.

SUMMARIUM.

1 *Attritionis significationes varia.*
2 *Attritio alia naturalis, alia supernaturalis.*
3 *Attritio naturalis quænam sit?*
4 *Quæ supernaturalis? Ejus definitio n. 5.*
6 *Drusilla uxor Præsidis Felicis, quæ esset, & cujus Filia?*
7 *Attritio an sufficiat cum Sacramento Pœnitentiæ, etsi ut talis cognita? etiam in articulo mortis?*
8 *Attritionis, ac Contritionis differentiæ. Ubi duæ tantùm.*
9 *Attritio an transeat in Contritionem?*
10 *Seta sicut introducit filum; ita timor charitatem; ex S. Aug.*

DIrimus supra, quòd prima pars materiæ proximæ Sacramenti Pœnitentiæ, seù *ex Qua*, est *Contritio*; hanc autem esse bimembrem, perfectam scilicet, quæ propriè appellatur *Contritio*; & imperfectam, quæ nominatur *Attritio*. De prima, ad ejus intelligendam substantiam, ac naturam notavimus decem observationes in præcedenti *Decis. XIII.* præter ea, quæ explicuimus de Contritione in *Decis. II.* Igitur in præsenti differendum venit de Attritione, circa quam examinabimus.

Primò: Quid denotet hæc vox Attritio?
Secundò: Quotuplex sit Attritio?
Tertiò: Quid sit Attritio Supernaturalis?
Quartò: Quomodo differat Attritio à Contritione?
Quintò: An Attritio possit fieri Contritio?

Quo ad Primum: Hæc Vox *Attritio* habet plures significationes in Scriptura Sacra. Primo signi- 1
ficat tribulationem, & calamitatem, ut *Reg. 2. cap. 21. Virum qui attrivit nos. Et Job. 14. Donec atterat.* Secundò significat contemptum, & vilipendium; ut *Matth. 14. Calcare Sancta, & atterere.* Tertiò denotat præsumptionem, ac temeritatem, ut *Ezech. 3. Attrita fronte, & duro corde*: nec non *cap. 23. Quæ attrita est in adulterio.* Quarto innuit percussionem absque fractione, prout de pede Balaam Prophetæ illisi ab Asina in muro; ipsa enim perterrita ob visionem Angeli *attrivit sedentis pedem. Num. 22. 25.* & prout de suis infirmitatibus dicebat *Job. c. 31. Attrivit brachium meum cum suis ossibus*; atque de Redemptore prophetavit *Isaias cap. 53. Attritus est propter scelera nostra*; Christus enim fuit flagellis, & percussionibus crudelissimè impeditus; sed ejus ossa non fuerunt fracta; juxta illud, *Os non comminuetis ex eo. Jo. 19. 36.* Quintò significat fractionem, & comminutionem, ut de vestibus Judæorum ambulantium per desertum: *Non sunt attrita eorum vestimenta. Deut. 19.* Et de destructione Jerusalem: *Attrita est Civitas vanitatum. Isa. 24.* Et ex hac quinta significatione Scholastici per analogiam, & similitudinem quandam transtulerunt hoc nomen ad significandum, actum doloriferum, percussivum, ac comminutivum cordis in partes non ita minutas, sicut fit per contritionem; appellantes illum *Attritionem*, id est dolorem imperfectum, qui ex se, absque Sacramento, tum Baptismi in Catechumenis, tum Pœnitentiæ in adultis Christianis non est sufficiens justificare peccatorem, delere peccata, & obtinere eis gratiam sanctificantem. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœnitentia disp. 9. art. 1. n. 1.*

Quo ad secundum. Quia omne multiplex est priùs dividendum, & postea definiendum. Aristot. *2. Poster. text. 19.* Mastrius *Commentar. in Logicam disp. 1. v. 58.* Ut cognoscamus, quæ sit Attritio sufficiens ad remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ in primis scire oportet, quotuplex sit? Igitur Duplex 2
est Attritio, una *Naturalis*, alia *Supernaturalis*. Colligitur ex Mastrio *in 4. Sent. disp. 5. n. 69. & 70.* Ex Collegio Salmantic. *de Pœnit. tract. 6. cap. 1. n. 16. cap. 5. n. 17.* ex Cardena *in Crisi Theol. Dissert. 36. n. 1.*

& 2. & ex Antonio Volpi in suis Resolutionibus Moralibus *resol.* 46. *num.* 1. & ex Suarez *in D. Thom. tom.* 4. *disp.* 5. *sect.* 1. *num.* 4. Quærentibus autem quæ sit Attritio *Naturalis*, & quæ *Supernaturalis?* respondetur, quòd hic est labor, hic est difficultas in eis explicandis; conveniunt enim omnes Theologi tam Scholastici, quàm Moralistæ, quòd Attritio naturalis non sufficit, quamvis cum Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, recipiendamve gratiam; & quòd requiritur Attritio supernaturalis; at omnes omittunt declarare ex professo, quæ, & qualis sit Attritio naturalis?

Igitur ad hanc intelligendam, observo, quòd
3 varii varia dixerunt, ut ait Volpi *d. resol.* 46. *à num.* 1. *& seqq.* Alii enim appellarunt Attritionem illam naturalem, quando quis dolet de peccatis ob finem turpem; puta si impudicus infirmetur ob nimium coitum, doleat de ipso, quia non potest iterùm coire. Alii, quando quis dolet de aliquibus peccatis, non autem de omnibus. Alii quando quis dolet de omnibus, sed absque proposito emendandi, ut faciunt meretrices, concubinarii, fœneratores. Verùm his parùm attentis, neque nomen Attritionis merentibus, dicendum est, Attritionem naturalem eam esse, quando peccator dolet de patratis criminibus ex solo motivo damni temporalis sivè animæ, sivè corporis, sivè famæ, sivè rerum, nulla habita elevatione mentis in Deum, quem offendit. Sint exempla. Lusor alearum perdidit magnam aureorum summam. Dolet, detestatur ludum, proponit non ampliùs ludere; at nihil cogitat de Deo, sed tantummodo de sua inopia. Puella adhæsit insidiatori suæ honestatis, promittenti eidem indesinentem manutentionem. Expleta libidine eam deserit: ipsa dolet amissa virginitate; sed nil reflectit ad Deum; immersa cogitatione in proprium suum detrimentum. Ebriosus cupiebat fieri gestor negotiorum Viri nobilis, à quo recusatur ob ebrietatis vitium. Hoc ille detestatur, cur? quia non obtinuit administrationem. Civis Parisiensis blasphemus utroque labio privatus fuit candenti ferro, jussu Sancti Legis Ludovici, ut legitur in Annalib. Odorici Raynaldi *Anno* 1267. *n.* 63. Piissimus ac Christianissimus Rex Ludovicus XIV. ad Monomachiam è suo Regno ablegandam, sancivit, duellistas in furcam suspendi; Utriusque facinoris rei dolent, detestantur culpam, sed intuitu infamiæ ex punitione resultantis. Hi omnes eliciunt actum Attritionis, sed attritionis naturalis, quia nihil in eorum cordibus de offensa Dei; ideò etsi confiteantur præmissa crimina cum tali dolore, non justificantur; esto etiam quòd doleant ob turpitudinem, & fœditatem peccati; destruentis pulchritudinem moralis virtutis contrariæ, ut docent Navar. *in Manual. cap.* 1. *n.* 34. Suarez *d. tom.* 5. *disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 2. Filliucius *tract.* 6. *cap.* 7. *n.* 179. quos citat, & sequitur Volpi *d. resol.* 46. *n.* 6. subdens, etiam Gentiles sæpè elicuisse hujuscemodi actus attritionis solis viribus naturæ. Hinc est, quòd omnes Theologi clamant, requiri ad obtinendam remissionem peccatorum, in Sacramento Pœnitentiæ, Attritionem supernaturalem; & asserere, quòd sufficiat naturalis Attritio, esse Pelagianismum, vel Semipelagianismum. Mastrius *d. disp.* 5. *in* 4. *Sent. n.* 68. Ratio manifesta est, quia peccator non potest redire ad gratiam justificantem absque divinis auxiliis, juxta illud 2. *Cor.* 3. 5. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est*, ut declarat Concilium Trid. *sess.* 6. *cap.* 5. Et quamvis auxilia sufficientia nulli à Deo denegentur, tamen auxilia efficacia, quæ sunt specialia dona Dei, non omnibus conceduntur; ut doctè demonstrat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in Opuscul.* 3. *de Gratia, seu Divinis auxiliis cap.* 17. *per tot.* ubi in fine scisciranti causam? respondet: *Qui hoc scire vult, interroget S. Paulum, qui respondebit, se quoque nescire, & dicet: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Quis consiliarius ejus fuit? O altitudo, &c. Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus?* Et de hac Attritione intelligendus venit Ivenim *in Commentar. Histor. Dogmat. de Sacram. Dissert.* 6. *quæst.* 4. *cap.* 2. *in §§. IV.* in quibus eam proscribit, & inutilem facit.

Supernaturalis igitur Attritio necessaria est, ut cum Sacramento Pœnitentiæ peccator justificetur, & obtineat remissionem peccatorum. Sed in qui- 4
bus consistit hæc Supernaturalis? Iterùm hic labor, hoc opus. Nihilominus, omissa distinctione Supernaturalitatis, quam facit Mastrius *d. tom.* 4. *in* 4. *Sent. disp.* 5. *n.* 67. quòd alia sit quo ad substantiam, & alia quo ad modum; itaut prima superet omnes viresnaturæ, ut est visio beatifica, ad quam nihil potest contribuere natura humana; secunda verò admittat concursum naturæ cum auxilio supernaturali, ut est restitutio visus in cœcos; aut vitæ in mortuo; dicendum venit, Attritionem supernaturalem illam esse, quæ incipit ex Dei auxilio, ac motione interna Spiritus Sancti; & respicit Deum, illumque habet pro objecto, etsi non tanquam ultimum finem super omnia diligendum; sed tanquam supremum Judicem, à cujus justitia promanant punitiones, & damna in peccatores, sivè in præsenti, sivè in futura vita. Hæ duæ conditiones faciunt Attritionem supernaturalem. Prima conditio probatur auctoritate, & exemplis. Auctoritas habetur in Concilio Tridentino *sess.* 6. *Can.* 3. ubi ita sancitum fuit: *Si quis dixerit sine Spiritus Sancti inspiratione, & ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut POENITERE posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, Anathema sit.* Ly *sicut oportet* denotat, dari Attritionem naturalem, ex solis viribus naturæ, sed insufficientem, quia cùm non sit ex adjutorio Divino, peccator non pœnitet; *sicut oportet*, ad obtinendam remissionem culparum, Exemplum est in Apostolo Petro, qui tempore passionis Christi illum negavit; nam primùm Christus respexit Petrum; & hic postea doluit, & flevit amarè; unde ait S. Jo. Chrysostom. *super* 2. *Tim.* 2. *Et quis hoc dat? nisi qui respexit Petrum negantem, & fecit flentem?* Quod prosequitur Mastrius *d. disp.* 5. *num.* 70.

Secunda conditio, ut Attritio sit supernaturalis, est, quòd respiciat Deum saltem virtualiter, etsi principaliter doleat de peccatis ob metum pœnarum; exemplo Ninivitarum, qui audientes Jonam Prophetam prædicantem, & clamantem, *Adhuc quadraginta dies. & Ninive subvertetur. Jon.* 3. 4. pœnitentiam agere cœperunt ob timorem subversionis, Deum tamen considerantes, unde Rex Ninivitarum ajebat: *Quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus?* Et attenta hac secunda conditione hominem attritum sufficienter, disponi ad recipiendam gratiam in Sacramento docet Præpositus *in* 3. *part. D. Thomæ quæst.* 76. *art.* 2. *dub.* 11. *num.* 71. & alii, quos allegat Diana Coordinatus *tom.* 1. *tract.* 3. *resol.* 107. *num.* 4. *& resol.* 108. *num.* 2. noviss. Gobatus *in Theolog. Experiment. d. tract.* 6. *num.* 47. *&* 48. omninò videndus, Eminentiss. Cardin. de

Lugo

Lugo *Pœnit. disp. 5. sect. 9.* Cardin. de Lauræa *disp. 9. art. 4.* Mastrius *d. disp. 5. num. 171.* Neque est audiendus Ivenim *Dissert. 6. quæst. 4. cap. 2. art. 3.* dicens, hanc secundam conditionem non facere attritionem supernaturalem; dicit enim quòd etiam Dæmones dolent de eorum peccato, quod est falsissimum.

Quo ad Tertium. Attritio supernaturalis sic definiri potest: *Est actus hominis peccatoris, Deo auxiliante dolentis, odientis, ac detestantis peccatum, vel ob ejus turpitudinem, vel ob metum gehennæ, vel aliarum pœnarum, cum aliquo respectu ad Deum offensum, cum proposito se emendandi; & cum spe veniæ, sufficiens in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum obtinendam.* Singula verba breviter percurramus, ea declarando, ad majorem materiæ intelligentiam. Dicitur *Actus hominis* tanquam genus, nam proprium est voluntatis humanæ elicere quoscumque actus, aut prosecutionis, qui à Philosophis vocantur *Velle*; aut aversionis, seu fugæ, qui ab iisdem nominantur *Nolle*; & sunt duplicis qualitatis, videlicet *Velle*, vel amicitiæ, vel concupiscentiæ; & *Nolle*, vel abominationis, vel inimicitiæ, quorum terminorum hic est sensus, quòd homo amat amicum vel propter solum ejus bonum; quæ est vera amicitia; vel ob aliquam propriam utilitatem; quæ non est amicitia vera, sed interesse. Item vel abominatur malum amici; quem sincerè diligit, aut illum odio habet, & intendit ipsum offendere, ac ex eo vindictam sumere; ut latiùs disserit Mastrius in Commentario Philosophiæ *libro de Anima disp. 7. quæst. 7. n. 176. & seqq.* ubi plures alios actus humanæ voluntatis declarat.

Dicitur *Hominis peccatoris*; quia in Christo, in Deipara, & in aliis sanctificatis, in quibus non fuit peccatum, non potuit esse dolor de peccato proprio; etsi doluerint de peccatis alienis, ut probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœnit. disp. 4. art. 4. per tot.* & diximus supra *Decis. 1. num. 6.* Dicitur *Deo auxiliante*, quia vires naturales non sufficiunt, sed opus est dono Dei, & impulsu Spiritus Sancti, ut ait Concil. Trid. *sess. 14. cap. 4.* & definivit *sess. 6. Can. 3.* Dicitur *dolentis*, quia in Attritione necessarius est dolor, prout in Contritione, hoc excepto, quòd dolor in contritione est ob motivum amoris Dei summè dilecti; in attritione ob motivum timoris Dei respectu pœnarum, qui in substantia est idem dolor, & eadem displicentia in anima, ut advertit Eminentiss. Cardin. de Lauræa ubi supra *disp. 9. num. 11.* & docet Reginald *in Praxi tom. 1. lib. 5. num. 68.* Dicitur *odientis, ac detestantis*, eadem scilicet forma, qua peccator contritus detestatur peccata commissa; & vellet illa non commisisse; alioquin, si dolor esset sine detestatione culparum, & odio earundem, esset similis dolori dæmonum, ac damnatorum, qui quidem dolorem, ac tristitiam experiuntur in inferno de peccatis, sed illa non detestantur, neque odio habent. Reginald. *d. lib. 5. n. 70.* prout illa non detestabatur Rex Antiochus, de quo *2. Machab. 9. 13. Orabat autem hic sceleſtus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus*, quia, ut ait Salian. *ad Ann. M. 3891. n. 11.* non ob dolorem peccati orabat, sed ob dolores corporis; idcircò ad remissionem culparum necessarius est dolor de peccatis. Collegium Salmanticen. *d. tom. 4. de Sacramento Pœnitentiæ tract. 6. cap. 1. n. 16.* Et sicut pœnitens contritus detestatur peccatum super omnia, non intensivè, sed appretiativè; ita illud debet detestari pœnitens attritus, ideſt appretiativè super omnia, alias non esset sufficiens dispositio ad gratiam, quamvis cum Sacramento; quia non esset vera aversio à peccato, & sufficiens conversio ad Deum; si magis appretiaret aliud malum, quàm peccatum, vel aliud bonum, quàm Deum. Mastrius *in 4. Sent. d. disp. 5. n. 161.* Dicitur *vel ob ejus turpitudinem*; quæ quidem turpitudo, & fœditas peccati duplici de causa potest considerari à pœnitente attrito; vel quia peccatum est contra aliquam virtutem moralem, ut furtum contra justitiam, fornicatio contra honestatem, ebrietas contra temperantiam; vel quia peccatum opponitur alicui perfectioni divinæ supernaturaliter cognitæ, qualis est immensitas Dei, beneficentia, omnipotentia, & similes, quibus per peccatum opponitur irreverentia, ingratitudo, inobedientia. Ideò, quamvis Cardin. de Lugo *de Pœnitentia disp. 5. sect. 9.* velit, quòd turpitudo peccati debeat considerari à pœnitente attrito in hac secunda acceptione, ut sit sufficiens ad recipiendam gratiam in Sacramento; ab eo tamen dissentiunt Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 9. art. 3. §. 11.* & Mastrius *d. disp. 5. n. 143.* docentes & defendentes, quod sufficit, si fœditas, & turpitudo peccati consideretur à Christiano attrito tanquam opposita alicui virtuti morali, per divinam legem præceptæ, & per fidem revelatæ; ea ratione, quia Concilium Tridentinum *d. sess. 14. cap. 4.* non se restringit ad illas peccati turpitudines tantùm, quæ opponuntur alicui perfectioni divinæ supernaturaliter notæ; sed loquitur indefinitè de peccati turpitudine, ut opponitur cuicumque virtuti, excepta charitate. Ratio rationis est, quia omnes virtutes sunt à Deo revelatæ per fidem, & ab ipso ordinatæ tanquam media idonea ad salutem; unde peccatum contra illas est mediatè contra Deum legislatorem, & finem supernaturalem; & sic attritio concepta ex turpitudine peccati opposita iisdem virtutibus, est vera, & salutaris, ac sufficiens cum Sacramento ad justificationem; ut etiam animadvertit Aversa *de Pœnit. quæst. 2. sect. 14.* & Suarez *eod. tract. disp. 5. sect. 3.* Dicitur *ob metum gehennæ*, quia peccatores solent pœnitere, & actum attritionis elicere, vel ob deformitatem peccati, ut dictum est; vel quia eisdem peccatoribus causat aliquod malum, & præcipuè condemnationem ad ignem æternum; & per consequens amissionem alicujus notabilis boni, cujus supremum est beatitudo æterna. Igitur hic timor gehennæ est motivum sufficiens disponendi peccatorem ad recipiendam gratiam cum Sacramento Pœnitentiæ; quia etsi non ex charitate, & immediatè se convertat ad Deum, dolendo de ejus offensa, mediatè tamen ingreditur hanc conversionem; reflectendo enim ad pœnas inferni considerat ipsum Deum Judicem supremum, à cujus justitia statutæ sunt pœnæ infernales in vindictam peccati mortalis, de quo propterea dolet, tanquam opposito, & offensivo ipsius Dei; ut latè declarat cæteris clariùs Mastrius *d. disp. 5. num. 137. in 4. Sent. tom. 4.* Dicitur *aut aliarum pœnarum*, scilicet tam alienæ vitæ, quales sunt pœnæ Purgatorii, quàm vitæ præsentis, verbi gratia pestis, famis, belli, carceris, vel alterius damni. DD. quos citat, & sequitur Diana Coordinatus *tom. 1. tract. 3. resol. 95. §. 5. & resol. 108. §. 2.* Volpi *in resol. Moral. resol. 42. num. 11.* Neque obstat, quòd qui atteritur ex timore pœnarum, videatur magis odisse pœnam, quàm culpam, quod turpe est, & inordinatum; & virtualiter censeatur habere propositum continuandi in peccatis, si non esset pœna.

Negatur enim tale suppositum; nam timor pœnarum non est conditio, sine qua non doleret; sed est motivum, quo dolet, & detestatur culpam absolutè, & efficaciter; & includit virtualiter propositum amplius non peccandi. Mastrius *d. disp. 5. num. 139.* Dicitur *respectu Dei offensi*: Quia, ut supra dictum est, ex communi observatione recentiorum Theologorum, ut Attritio, & dolor peccati proveniens ob timorem pœnarum disponat peccatorem ad recipiendam gratiam cum Sacramento Pœnitentiæ, debet aliquo modo respicere ad Deum, & considerare illum vindicem peccatorum; quod quidem fit per lumen fidei, quo illuminatur homo ad credendum, quòd à Deo sunt inflictæ, & statutæ pœnæ contra peccatores, juxta illud *Psal. 10. 7. pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur* scilicet in inferno (*& spiritus procellarum* id est in hac vita) *pars calicis eorum.* Et ideò non sufficit considerare pœnas temporales solummodò, ut malum humanum, vel inflictas, seu infligendas à Judice tanquam puro homine; sed cum aliqua reflexione ad Deum, cujus Minister est Judex temporalis, ut docent Abelly *tom. 2. cap. 5. sect. 8.* Tamburin. *Opusc. de Confessione cap. 1. §. 6. num. 56.* & alii cumulati, & laudati à Diana Coordinato *d. tom. 1. tract. 3. resol. 107. §. 4. & §. 8.* Novissimè Cardenas *in Crisi Theolog. Dissert. 2. cap. 6. num. 70.* Dicitur *Cum proposito amplius non peccandi*; nam tale propositum requiritur de necessitate à Concilio Trid. *d. sess. 14. cap. 4.* ad validitatem Attritionis, ibi; *Si voluntatem peccandi excludat*; scilicet tam de præsenti, quàm de futuro, ut bene notat Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 9. art. 3. §. 8.* Sed utrum hoc propositum debeat esse formale, & explicitum? an verò sufficiat implicitum, & virtuale in dolore; & detestatione culparum? attendantur ea quæ diximus supra de proposito in contritione *Decis. XIII. num. 17.* non est enim in hoc differentia inter Contritionem, & Attritionem, ut notat etiam Summa Diana *Verb. Attritio num. 9.* Dicitur in definitione, *Cum spe veniæ*; nam, prout dictum est supra de contritione, oportet, ut peccator attritus speret veniam à Deo, illamque petat à Misericordia Divina; nihil enim valeret timor gehennæ, aut Judicis æterni, quando pœnitens desperaret remissionem suarum iniquitatum. Reginald. *d. lib. 5. num. 73.* ubi dat exemplum Felicis Præsidis Judææ, de quo *Act. 24.* coram quo, & Drusilla uxore sua, disputante Apostolo Paulo *de justitia, & castitate, & de futuro judicio, tremefactus Felix respondit: quod nunc attinet vade, tempore autem opportuno accersam te.* Ingruerat enim horror, timor, & tremor in cordibus eorumdem jugalium; at adeò enormia erant eorum peccata, ut de venia spem non haberent. Drusilla erat filia Herodis Agrippæ, à quo occisus Jacobus Apostolus, & detrusus Petrus in carcere. Pulcherrima inter mulieres Hebræas nupsit Epiphani filio Antiochi Regis Commageuæ gentili cum pacto, ut se circumcideret; sed deinde id recusavit, unde Drusilla divertit ab ipso, & nupsit iterùm Azizo Regi Emesenorum circumciso. At sollicitata ab eodem Præside Felice, ejus amore capto, cum illo tertias nuptias contraxit, à Judaica paterna religione desiliens. Utrumque Apostolus Paulus redarguit *de justitia, & castitate, & de futuro judicio*, nam uterque, Felix scilicet, & Drusilla pluribus erant maculati injustitiis, ac extorsionibus, nec non luxuriis, & adulteriis, & quamvis tremuissent, audientes Apostolum loquentem de futuro judicio, inutilis fuit illorum tremor, & timor; quia spem non habebant veniæ Reginald. *d. lib. 5. num. 72.* Tirinus *in Act. Apost. cap. 24.* Cornelius à Lapide *ibid.* & Menochius *in eund. tr. lib. 3. c. 7.* Additur in definitione: Sufficiens *Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum obtinendam*, videlicet ipsa Attritio, seu actus Attritionis, circa quem effectum ejusdem Attritionis remittendi peccata in Sacramento notandæ, & explodendæ sunt tres opiniones Theologorum veterum, qui contrarium autumabant, relatæ à Cardena in Crisi Theologica *tract. 6. de Sacram. Pœnit. disp. 49. cap. 1. & 2.*

6

Prima opinio erat, Attritionem nunquam sufficere, neque cum Sacramento, ad justificationem; sed requiri contritionem. Ita DD. undecim apud Suarezium *tom. 4. in 3. part. D. Thomæ disp. 20. num. 1. & 3.* Horum assertionem refellit Concilium Tridentinum *d. sess. 14. cap. 4.* ubi decrevit, quod Attritio, *quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Quare omnes Neoterici absque ulla hæsitatione ita tenent. Lessius *in addit. D. Thomæ quæst. 1. dub. 1.* Reginald. *d. lib. 5. num. 73.* Eminentiss. Card. de Lugo *de Pœnit. disp. 5. num. 133.* & de Lauræa *eod. tract. disp. 9. num. 146.* Mastrius *in 4. Sent. d. disp. 5. num. 170. Et in Theol. Mor. disp. 21. num. 43.* Gobat, *d. tract. 6. num. 48.* nec non Diana Coordinatus *d. tom. 1. tract. 3. resol. 107. & resol. 108.* Et omnes Moralistæ, nullo excepto, itaut mirum sit, quòd tunc Ivenim reassumat, ac defendat dictam primam opinionem; *in d. Dissert. 6, q. 4. cap. 2. art. 3.*

7

Secunda opinio erat, eatenus valere Attritionem cum Sacramento ad justificationem, quatenus pœnitens putaret eam esse contritionem; secus si cognosceret illam esse Attritionem. Ita asserebant DD. quos notat Cardenas *d. disp. 49. cap. 1. num. 2.* Sed hæc quoque opinio rejicitur communi calculo DD. quos recenset Suarez. *d. disp. 20. sect. 1. num. 9.* & moderni mox allegati, præcipuè Gobat *d. tract. 6. num. 50.* & Mastrius *in 4. Sent. d. disp. 5. num. 170.*

Tertia tandem erat opinio, quod saltem in articulo mortis non sufficiat Attritio, quamvis cum Sacramento Pœnitentiæ; sed confitens peccata sua in eo articulo sit obligatus elicere actum contritionis. Hujus opinionis defensorem facit Caramuelem Cardenas *d. disp. 49. cap. 2. num. 5. & seqq.* ea ratione, quia debet homo tunc temporis consulere suæ saluti æternæ per opinionem magis probabilem; quæ est hæc de contritione, relicta minus probabili, quæ reputatur illa de Attritione. Nihilominus spernendam esse hanc opinionem tanquam non veram, ait Cardenas *ibid. cap. 3. & 4. num. 23.* quia indubitabile est, stante definitione Concilii Tridentini, quòd sola Attritio sufficit ad recipiendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, etiam in moribundis; & idem demonstrat in Crisi super Propositionibus damnatis *Dissert. 2. cap. 6. num. 61* cui adstipulantur Card. de Lugo ubi supra *disp. 7. sect. 13.* Mendezius *in Luce fidei libr. 12. cap. 11. num. 6.* & Gobat *d. tract. 6. n. 51. 52. & 53.* ubi tamen subdit, laudandos esse Confessarios, qui excitant pœnitentes in articulo mortis ad actus Contritionis; quod ego intelligerem ob præceptum charitatis in Deum, eo tempore persolvendum, non ob dubium validitatis Sacramenti Pœnitentiæ cum Attritione susceptæ.

Quo ad Quartum. Si quærimus differentias inter Contritionem, & Attritionem; Sciendum est, plures plura dicere; nempè in eo differre, quod 8

Attritio

Attritio sit dolor minus intensus, vel minoris durationis, quàm sit Contritio; vel quod non doleat de omnibus mortalibus peccatis, vel non habeat firmum propositum non peccandi, sicut Contritio. Sed hæ sunt nugæ: nam in his omnibus conveniunt Contritio, & Attritio, ut probat Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp. 9. de Pœnitent. art. 3. per plures* §§. Igitur in duobus tantùm differunt inter se Attritio, & Contritio. Unum est, quod Contritio est dolor de peccatis propter Amorem Dei; Attritio verò est dolor ob timorem pœnarum. Alterum est, quod contritio de per se justificat peccatorem, & remittit ejus peccata cum solo voto confitendi. Attritio verò absque Sacramento pœnitentiæ realiter suscepto non delet peccata. Ita Mastrius *in 4. Sent. d. disp. 5. num. 166.* & in sua Theologia Motali *d. disp. 21. num. 43.* Gobat. *in Theol. Experim. d. tract. 7. num. 55.* Volpi *resol. 44. num. 7.* Et Collegium Salmantic. *d. tract. 6. de Pœnit. cap. 1. n. 17.*

Quo ad Ultimum. *An Attritio possit fieri Contritio?* Distinguenda est Attritio, de qua loquuntur
9 moderni post Concilium Tridentinum, ab Attritione, de qua loquebantur DD. Antiqui ante Concilium. Antiqui vocabant Attritionem dolorem perfectum de peccatis ob amorem Dei usque ad punctum, & instans temporis, in quo Deus infundebat gratiam justificantem in anima ita dolente; in actu verò infusionis gratiæ, non ampliùs vocabant dolorem illum Attritionem, sed Contritionem; & in hoc sensu dici potest quòd Attritio potest fieri Contritio: At in sensu, in quo moderni nominant Attritionem, nempè dolorem procedentem ob timorem pœnarum, nunquam Attritio potest fieri Contritio; sed tantumodo dici potest, quod peccator attritus virtute Sacramenti fit contritus. Attritio non fit Contritio, quia substantia Contritionis consistit in motivo dolendi ob amorem Dei, Attritionis verò natura in dolore ob timorem; & hæc natura, & hoc motivum non mutatur per infusionem gratiæ justificantis in Sacramento. Porro quia per absolutionem Sacramentalem attritus obtinet eandem gratiam, & eundem effectum, quem consequitur ante absolutionem peccator contritus; hinc est quòd verè dicitur, attritum fieri contritum virtute Sacramenti. Ita Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 9. art. 3.* Mastrius *in 4. Sent. d. disp. 5. num. 168.* & in Theologia Morali *d. disp. 21. num. 44. & 45.*

Nisi dicere velimus, quod Attritio nempè dolor imperfectus ob timorem pœnarum, quamvis talis sit ab initio, paulò post fiat Contritio; quia mutatur timor in Amorem; & Amor succedit timori & consideratione, quam facit pœnitens ex-
10 cellentiæ, ac amabilitatis Dei ab ipso offensi. Dat exemplum S. Augustinus de Seta; (vulgò *Setola*, qua utuntur calceolarii, & calceorum sutores in iis suendis) *in cap. Sicut seta, de Pœnit. dist. 2.* dicens, quod *sicut seta introducit linum*, vel acus filum, *ita timor introducit charitatem*; non enim stant simul in calceo, vel in veste, seta, seu acus, & linum, hoc est filum, siquidem ingreditur primùm seta, vel acus; eaque, vel illo exeunte intrat linum, vel filum. Ita in homine attrito primum intrat in cor ejus timor pœnarum; qui discedit, cedendo locum charitati, & amori erga Deum; & sic dum intrat charitas erga Deum in cor hominis pœnitentis; Attritio fit Contritio. Et hoc est; quod docuit Viguerius *de Sacram. Pœnitent. cap. 16.* pluribus annis ante Concilium Tridentinum, scilicet: *Postquam aliquis fuit Attritus, fit Contritus, Attritione desinente esse propter aliud principium, sive objectum superveniens, quod est timor filialis, vel Deus summè dilectus.* Et dat hanc similitudinem, *sicut ex mane fit meridies*, recedentibus videlicet tenebris, & tenuiori luce Auroræ per excrescentiam, & magnitudinem fulgoris è Solaribus radiis promanantis, per quem denotatur Amor divinus, succedens timori figurato in exilii Auroræ lumine. Et hæc satis sint de Attritione, & de prima parte materiæ proximæ Sacramenti Pœnitentiæ.

DECISIO XV.

ARGUMENTUM.

Differitur de variis significationibus hujus vocis Confessio. Et de illa generali, quæ incipit Confiteor. Exponitur triplex Confessio hominis, idest Commercii, Forensis, & Sacramentalis. De differentia vocis humanæ, & brutorum. Definitio Confessionis Sacramentalis, & ejus copiosa declaratio. Catechumeni an teneantur præcepto Confessionis? Lepida Confessio cujusdam mulierculæ. An liceat confiteri peccata non Voce, sed Scripto? Plura alia quæsita curiosa, sed scitu necessaria Confessariis. De eorum tam Sæcularium, quàm Regularium approbatione. Quod simplices Sacerdotes non possunt absolvere à Venialibus ex Decreto Innocentii XI.

SUMMARIUM.

1 *Confessio. Plures hujus vocis significationes.*
2 *Æthiopes non recitant Confiteor in principio Missæ.*
3 *Confiteor in Missa dicebatur etiam in primitiva Ecclesia.*
4 *Moniales in Confiteor non possunt dicere, & Tibi Mater, neque vobis Sorores. Et Cur?*
5 *Confiteor quando non dicatur in administratione Eucharistiæ?*
6 *Confiteor, &c. quid prosit?*
7 *Attritio extra Sacramentum Pœnitentiæ an deleat venialia?*
8 *Hominis tantùm est loqui, non etiam brutorum.*
9 *Confessio forensis quæ, & quotuplex sit? Et quando faciat plenam probationem?*
10 *Confessio Sacramentalis quid sit?*
11 *Confitendi peccata methodi, aut formulæ damnandæ.*
12 *Objurgatio Confessarii rigorosi facta à P. Daniele Bartoli.*
13 *Confessio Sacramentalis debet esse voluntaria.*
14 *Plebei non sua, sed aliorum peccata confitentes.*
15 *Confessio Sacramentalis, instituta à Christo Domino.*
16 *Catechumeni an teneantur confiteri peccata sua?*
17 *Dolore deficiente Confessio est nulla, & invalida.*
18 *Infirmi magis dolent de infirmitate, quam de peccatis.*
19 *Historicæ narrationes in Confessione evitandæ.*
20 *Caroli Casalichii lepida relatio de Muliere Historicè confitente.*
21 *Vocalis debet esse Confessio. Num per schedulam?*
22 *Laico an confitendum, deficiente Sacerdote?*
23 *Inter-*

23 *Interpretem an quis cogatur adhibere in Confessione?*
24 *Scribenda in Papyro peccata an à debili memoria.*
25 *Papyrum cum peccatis pro Confessione reperiens ad quid teneatur?*
26 *Litteris non potest absens confiteri. Exceptio quædam.*
27 *Sacerdotes non approbati ab Ordinariis, Confessiones non audiunt.*
28 *Approbatio in quibus consistat? Et à quibus danda?*
29 *Regularium Confessiones à quo audiendæ?*
30 *Venialia non absolvuntur à Sacerdotibus non approbatis.*
31 *Sigillum Confessionis indispensabile.*
32 *Conditiones Confessionis Sacramentalis, quæ, & quales?*
33 *Circumstantiæ peccatorum quæ explicandæ? & quæ non?*
34 *Claves Ecclesiæ quæ, & quales sint?*
35 *Forma Sacramenti Pœnitentiæ quænam sit?*
36 *Reservatio Casuum necessaria.*
37 *Reservatio cessat in articulo mortis.*

POst primam partem materiæ Sacramenti Pœnitentiæ, quam hucusque explicavimus, scilicet dolorem in pœnitente, sivè perfectum, qui vocatur *Contritio*: sivè imperfectum, qui dicitur *Attritio*, sequitur secunda pars ejusdem materiæ, nempè *Confessio*; quæ quidem Vox plures habet significationes. Primo enim significat gratiarum actionem, quæ fit Deo pro ejus beneficentiis, de qua frequenter David in Psalmis; juxta, hortationem illam: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum Misericordia ejus. Psal.* 125. 1. & quod ait Christus Dominus *Matth.* 11. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine Cœli, & terræ.* Secundò denotat professionem fidei Catholicæ coram tyrannis, de qua *Matth.* 10. 32. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et Apostolus *ad Rom.* 10 *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Tertiò innuit recitationem divinarum laudum in templo, & de hac habetur 1. *Paralipom.* 23. 30. *Levitæ verò stent manè ad confitendum, & canendum Domino: similiterque ad Vesperam.* Quartò importat Orationem mentalem; & de hac ajebat *Daniel* 9. 4 *& oravi Dominum Deum meum, & confessus sum.* Et de hac intelligebat Psaltes, quando petebat *Psal.* 141. 8. *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo.* Id est laudandum te intellectualiter, ut interpretatur Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœnit. disp.* 10. *num.* 1. Quintò hæc vox *Confessio* indicat locum Ecclesiæ, in quo reponuntur Corpora seu Reliquiæ Sanctorum Martyrum, græcè μαρτύριον. Magrius *in Hierolexic. V. Confessio*, quamvis *Martyrion* sæpè accipiatur pro toto ambitu Ecclesiæ, seu Oratorii, ut observat Eminentiss. Cardin. Baronius *in notis Martyrolog. ad diem* 6. *Julii*, Verb. *Cum ad Confessionem.* Sextò repræsentat *Reliquiarium*, in quo reliquiæ Sanctorum, eorumdem Martyrum collocantur, quia ipsi Martyres Confessores appellabantur in primitiva Ecclesia, ob generosam fidei Confessionem ab ipsis factam coram Præsidibus, & Magistratibus. Glossa *in cap. Importuna* §. *Martyrium de Pœniten. dist.* 1. Et in *cap. Baptismi* §. *Crucifixus, de Consecr. dist.* 4. Magrius *d. Verb. Confessio* ubi allegat auctoritatem Anastasii Bibliothecarii, qui referens condimentum Reliquiarii pro Reliquia Sancti Laurentii Martyris, ait: *Fecit Confessionem B. Laurentii Martyris ex argenteo pensantem libras centum.* Quod refert etiam Illustriss. Sarnellius *in sua Basilicograph. cap.* 34. Et Cassiodorus *Epist.* 3. exaltat Urbem Principum Apostolorum Confessionibus ditatam, idest thecis argenteis continentibus Reliquias Sanctorum. Septimò *Confessio* dicitur prima pars Missæ, quia in ejus principio recitatur *Confiteor*, idest generalibus verbis fit confessio culparum cogitationis, verbi & operis tum à celebrante, tum à Ministris; quam quidem Confessionem fuisse institutam à Sancto Damaso Papa Anno 367. aliqui volunt; alii verò à Sancto Pontiano Papa Prædecessore Anno 233. teste Bernone *de Officio Missæ cap.* 25. & Magrio *ubi supra col.* 2. ubi subdit, quod Æthiopes in Missæ principio non recitant *Confiteor*, sed ejus loco dicunt Psalmum 68. *Salvum me fac Deus.* Idem refert Emin. 2
Cardin. Bona *Rerum Liturgicar. libr.* 2. *cap.* 2. *num.* 3. & 4. affirmans, esse antiquissimum ritum, quòd generalis Confessio antecedat Missam; eandemque Confessionem extare in Liturgia D. Jacobi Apostoli, ac D. Marci Evangelistæ, S. Basilii Magni, 3
& aliorum plurimorum Veterum Missalium, diversis tamen verbis, ac formulis, ab illa, qua nos nunc utimur, & quam *Confiteor* vocamus, in qua nomina SS. Patronorum non esse addenda advertit Magrius *ubi supra*; Monialesque non posse dicere & 4
Tibi Mater, seu, *& Vobis Sorores*, ex Decreto *S. Congr. Rit.* 8. *Aug.* 1629. quia cum Ecclesia loqui intelliguntur. Concordat in relatione prædictarum vetustissimarum Confessionum, tum in Missa, tum ad Primam in Horis Canonicis. Bissus *in Hierurgia litt.* C. *Verb. Confiteor num.* 453. & 455. & *in litt.* P. *Verb. Preces num.* 196. §. 7. Addens *in litt.* C. *Verb. Communionem.* 384. quòd *Confiteor* recitari semper debet ante administrationem Sacrosanctæ Eucharistiæ sivè in Missa, sivè extra; excepto, quando in Missa communicandus sit aliquis Episcopus, vel Cardinalis, aut alius Prælatus etiam Regularis, tunc enim non dicitur *Confiteor* neque *Misereatur*, neque *Indulgentiam*, Idem Bissus *litt.* P. *Verb.* 5
Prælati num. 184. §. 2. sed omnibus omissis porrigitur prædictis Sacra Synaxis, dicendo *Corpus Domini Nostri Jesu Christi, &c.* Hæc omnia confirmat Bauldr. *in Manuale Sacr. Cæremon. part.* 3. *tit.* 11. *cap.* 8. *art.* 10. *num.* 8.

Sed dicet aliquis ad quid dicitur *Confiteor*, & quid valet illa generalis Confessio vel in principio Missæ, vel in Horis Canonicis ad primam, & ad Completorium; vel ante susceptionem Sanctissimæ Eucha- 6
ristiæ? Respondet S. Thomas 3. *p. q.* 87. *art.* 3. *in Corp.* quod valet ad remissionem peccatorum venialium; & idem ait Glossa *in Can.* 40. *de Pœnit. dist.* 1. *in fine*, ea ratione; quia fit cum detestatione eorundem, expressam per tunsionem pectoris; licet enim non sit levis controversia inter Theologos, an sola Attritio de Venialibus, extra Sacramentum Pœnitentiæ deleat ipsa Venialia? ut videre est apud Gobatum *d. tract.* 6. *à num.* 35. *& seqq.* probabilior censetur affirmativa, quam tuetur cum pluribus DD. Dicastillus *de Sacram. tom.* 2. *tract.* 8. *disput.* 2. *dub.* 7
17. *num.* 402. & amplectitur ipse Gobat. *ibid. num.* 237. eo quòd omnis Attritio est vera retractatio prioris delicti, & consequenter in homine justo, non habente mortalia peccata, est actus meritorius, ac satisfactorius: & ita tenent alii plures, quos cumulat, & sequitur Diana Coordinatus *tom. tract.* 3. *resol.* 105. & 106. Hinc est, quod dicentes *Confiteor*, ter percutiunt sibi pectus, in signum doloris ob offen-

sam

sam Dei, quem ritum proveniſſe ab Apoſtolis tradit Navarrus *de Horis Canonicis cap.* 4. ad imitationem Publicani, qui *percutiebat ſibi pectus dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori. Luc.* 18. 13. quòd obſervat Biſſus *litt.* P. *Verb. Pectus, n.* 100. ubi plures alios ſenſus myſticos de dicta pectoris tunſione regiſtrat; nec non Magrius *in Hierolex. d. Verb. Confeſſio.*

Octavò tandem hæc Vox *Confeſſio* ſignificat manifeſtationem conceptuum internorum, quos homo habet in corde ſuo; & hæc eſt triplex: Una *Commercii*, alia *Forenſis*, tertia *Sacramentalis*. Prima eſt, qua utuntur homines loquendo, vel ſcribendo, ut aliis hominibus ſuas intentiones, & conceptus internos notos faciant, & commercium
8 humanum reciprocè ſervent; ſermo enim ita homini proprius eſt, ut per hunc à brutis ſecernatur. Ariſt. *lib.* 4. *de Hiſt. Animal. cap.* 9. *& lib.* 5. *de Generat. Animal. cap.* 7. Et quamvis Picæ, ac Pſittaci videantur loqui loquela humana, tamen propriè non loquuntur, quia non proferunt verba cum imaginatione ſignificandi id, quod ſonant illa verba; pariterque, etſi bruta animalia emittant voces ad indicandas ſuas internas paſſiones, ex quarum obſervatione intelliguntur tum ab homine, tum ab aliis animalibus ejusdem ſpeciei; ideòque Venator ex latratus diverſitate advertit Canem modò quærere prædam, modò invenisse, ac cœpiſſe; modò temerè vagari; & bubulcus ex vario bovis mugitu intelligit, nunc vitulum quærere, modò eſurire, vel ſitire, & nunc in venerem incitari; prout etiam mulierculæ cognoſcunt à voce gallinarum, quando cupiunt emittere ovum, & quando emiſerunt, quando pullos alliciunt, & quando cibum petunt; & ſic de aliis; nihilominus hæ brutorum voces indicantes eorum paſſiones, ſeu appetitus, non ſunt ſermones, aut diſcurſus ſimiles ſermoni, ac diſcurſui hominis; qui loquitur per litteras articulatas ex litteris vocalibus, & conſonantibus compoſitas, artificioſè, & ad ſui beneplacitum quod facere neſciunt, neque valent eadem bruta; ut doctè diſſerit Maſtrius in ſua Philoſophia *libr. de Anima, diſp.* 5. *à n.* 125. *& ſeqq.* Neque obſtant exempla, quæ habentur in Hiſtoria Sacra, & profana de animalibus, articulatè locutis, ut de Serpente ad Evam *Gen.* 3. 1. de Aſina ad Balaam *Num.* 22. De Cane Simonis Magi, quem refert Nicephor. *lib.* 2. *cap.* 27. de alio etiam Cane humana voce loquente, quem ſuo tempore fuiſſe commemorat Grillandus *de Sortileg. cap.* 7. *n.* 23. Et de Corvo Auſtriaco apud Sybillam. *Decad.* 3. *cap.* 5. *q.* 1. & apud Schotum *in Phyſica Curioſa lib.* 4. *cap.* 12. §. 3. *in fin.* Quia prædicta bruta ope Dæmonis loquebantur, excepto jumento Balaami, cujus lingua ab Angelo movebatur, ut ſcribit Cornelius à Lapide *d. Num.* 22. *Verſ.* 18. adducens ibi aliud exemplum hyppocentauri, qui loquela humana in deſerto docuit S. Antonium viam pergendi ad S. Paulum primum Eremitarum.

Secunda manifeſtatio interni conceptus hominis eſt *Confeſſio Forenſis*, qua utuntur litigantes ad
9 probandam ſuam intentionem, ſive actionem; & eſt duplex, vel *Extrajudicialis*, quando quis aliquid confeſſus eſt extra judicium coram duobus ſaltem teſtibus, de cujus efficacia diſſerit Jordanus *tom.* 3. *lib.* 14. *tit.* 16. *de Confeſſis:* vel eſt *Judicialis*, ideſt facta in judicio, & coram Judice; quæ pariter eſt duplex, vel in judicio Civili; & hæc ſi ſit acceptata à parte facit plenam probationem, ſtante regula, quòd nulla major probatio, quàm proprii oris Confeſſio. *text. & D D.* apud Barboſam *in Axiomat. Juris Axiom.* 49. niſi aliquo defectu vel perſonæ, vel rei laboret, ut demonſtrat Jordan. *ibid. à n.* 44. *& ſeqq.* vel in Judicio Criminali; & hæc ſufficit ad condemnandum reum, niſi ejus Confeſſio fuerit extorta per interrogatoria ſuggeſtiva; vel per torturam non præcedentibus legitimis indiciis, ut docent Criminaliſtæ, inter quos Farinacius *de Reo Confeſſo, quæſt.* 81. noviſſimè Concinlus *in Reſolutionib. Criminal. Verb. Confeſſio, reſol.* 2. *&* 3. At his omnibus relictis, tanquam ad præſentes Deciſiones non pertinentibus;

Tertia manifeſtatio interni conceptus nuncupata *Confeſſio* eſt Confeſſio *Sacramentalis*, de qua in præſenti agimus, tanquam ſecunda parte materiæ Sacramenti Pœnitentiæ, quam ut perfectè, ac clarè ſtudioſus Lector comprehendere poſſit, debet diligenter attendere ad ejus definitionem; quæ eſt 10
hujuſmodi: *Confeſſio Sacramentalis eſt Accuſatio laboriosa, ſed voluntaria propriorum peccatorum, à Chriſto Domino inſtituta; quam facit homo Chriſtianus contritus, vel ſaltem attritus, purè, & voce ad Aures Sacerdotis, à legitimo Superiore ad hoc deputati; & illam ſub ſigillo inviolabili audientis, ad effectum ut concurrentibus neceſſariis conditionibus, & circumſtantiis, eadem peccata virtute Clavium Eccleſiæ, ac abſolutionis beneficio ſibi remittantur, dummodò Superioribus non ſint reſervata.* Breviter percurramus verba hujus definitionis; è quorum explicatione, & intellectu manifeſta fit tota natura, ac eſſentia Sacramentalis Confeſſionis.

Dicitur primò, quòd Confeſſio Sacramentalis eſt *Accuſatio*, quia pœnitens, dum confitetur peccata ſua, debet ſeipſum humiliter de iisdem accu- 11
ſare, prout fecit David, reprehenſus à Propheta Nathan 2. *Reg.* 12. qui reſpondit, *Peccavi Domino.* Et ex hoc verbo *Accuſationis* damnantur omnes methodi, quas nonnulli tenent, dum confitentur; videlicet, 1. Qui peccata ſua recitant, & narrant per modum hiſtoriæ, e. g. Pater, fornicatus ſum bis, blaſphemavi ſepties; & ſic de aliis abſque ullo dolore, vel verecundia. 2. Eo magis ſi gloriarentur de peccatis, quæ recitativè, & hiſtoricè exponunt, juxta illud *Prov.* 2. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* 3. Qui recuſant manifeſtare ſua peccata, ſed expectant, ut à Confeſſario interpellentur, an fecerit iſtud, vel iſtud? defectus ſanè ablegandus, potiſſimùm in Monialibus. 4. Qui ſe excuſant de jisdem peccatis, transferentes culpam vel in naturam ſuam, vel in fortunam, vel fatum, vel in dæmonem, vel (quod eſt ſpecies blaſphemiæ) in ipſum Deum, quaſi cauſantem neceſſitatem peccandi, injungendo nimis ardua; ut notant Eminentiſs. Card. Toletus *in Summa lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 2. Reginaldus *in Praxi lib.* 2. *n.* 1. & Maſtrius *in Theolog. Morali diſ.* 21. *num.* 149.

Dicitur ſecundò, quòd hæc Accuſatio eſt *laboriosa*; teſtantur enim Doctores, quòd in Evangelica 12
Lege nullum præceptum eſt tam grave, quàm iſtud Confeſſionis Sacramentalis. Gobat *tract.* 7. *n.* 322. & de hoc argumento extat utilis, & eruditus Sermo P. Danielis Bartoli Soc. Jeſu in libello *Penſieri Sacri*, typis impreſſo *Venetiis Anno* 1685. per Gaſparem Stortum, ubi *Serm.* 3. *pag.* 95. invehit contra indiſcretum Confeſſarium, qui repulerat nimia ſeveritate pœnitentem quendam ad ejus pedes proſtratum; oſtenditque quanto labore ad eum acceſſerit, quòd tentationes non accedendi ſuperaverit;

inferens indè, quanta charitate, suavitate, & patientia uti debeant illi, qui ad Confessiones peccatorum excipiendas sunt deputati; *Ne convertant in absynthium judicium. Amos cap. 5.* considerantes, quòd *Cùm increpatio immoderatè accenditur,* (ut ait S. Gregor. *Pastoral. lib. 2. cap. 10.*) *corda delinquentium in desperatione deprimuntur.* Hinc de qualitatibus Confessarii Gobat *tract. 7. num. 203.* notat hos Versus:

Confessor dulcis, affabilis, atque suavis,
Prudens, discretus, mitis, pius, atque benignus.

13 Dicitur tertiò quòd est *Accusatio voluntaria,* juxta illud: *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, Psal. 53. 8.* non enim debet esse coacta, sed spontanea ex impulsu Spiritus Sancti, moventis cor hominis peccatoris ad pœnitentiam, prout fecit Maria Magdalene, quæ; *Ut cognovit quòd Jesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, & stans retrò secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, &c. Luc. 7. 37.* Deo enim acceptissima est spontanea propriorum criminum accusatio propter illam erubescentiam, & confusionem, quam paritur pœnitens, de qua scriptum est *Eccles. 4. 25. Est confusio adducens gloriam, & gratiam.* E contra qui differt confessionem usque ad mortem, non voluntariè, sed coactè videtur confiteri; & de ejus valore valdè est timendum; nam *Pœnitentia sera rarò vera:* ea ratione quia: *Qui prius à peccatis relinquitur, quàm relinquat ea, non liberè, sed quasi ex necessitate condemnat. cap. Nullus. de Pœnit. dist. 7.* de qua tarda, & coacta Confessione videndus, & legendus Paulus Segnerius *in Christiano Instructo part. 3. Serm. 1. n. 13. & seqq.*

14 Dicitur quartò *propriorum peccatorum*; non autem alienorum, ad confutandum vitium, quod invaluit in plebe, ex defectu instructionis, de qua Parochi non sunt solliciti; accusandi scilicet non sua, sed aliena peccata; nempè, ut ait Reginald. *delib. 2. num. 2. Viri uxorum, Uxores Virorum, Servi Dominorum, alii aliorum.* Porrò an confessio esse debeat non solùm de peccatis Mortalibus, verùm etiam de Venialibus; adeòut, utrum ille teneatur confiteri, quamvis in articulo mortis constitutus, qui habet tantùm peccata Venialia? examinabimus infra *Decis. XXXIII.*

Dicitur quintò, quod hæc accusatio, quæ est confessio propriorum peccatorum, 15 *est à Christo Domino instituta*; ut de fide definitum est à Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 1.* & ostendimus suprà *Decis. XII. num. 2.* tunc enim Christus Dominus Sacramentum Pœnitentiæ instituit, quando à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: *Jo. 20. 23. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt:* in quibus verbis non solùm constat de auctoritate concessa Sacerdotibus, qui succedunt in locum Apostolorum, remittendi peccata per absolutionem ab eis; sed etiam de obligatione pœnitentium manifestandi eadem peccata; & de ipsis se accusandi coram Sacerdotibus: non enim possunt rectè judicare de jisdem peccatis, nisi illa cognoscant; & cognoscere non possunt, nisi pœnitentes illa aperiant; quare tenentur de jure divino, & ex institutione Christi Domini illa aperire. Tirinus *in Indice Controverf. Fidei, de Pœniten. Controv. 23. num. 7.* Casalius *de Veter. Sacr. Christ. Ritib. cap. 24.* Emin. Card. de Lauræa *de Pœnit. disp. 23. art. 4.* & latè Eminentiss. Cardin. de Lugo *eod. tract. disp. 15. sect. 1. per totam,* ubi refert, & confutat errores hæreticorum contra hanc veritatem. Novissimè Ivenim *de Sacram. Pœniten. Dissert. 6. quæst. 5. cap. 1. art. 3. per totum.* Et Mastrius *in 4. Sent. disp. 5. num. 430. & 431.*

Dicitur sextò, *Quam* (Confessionem) *facit homo Christianus*; quia Infideles non tenentur tali Confessionis præcepto. Mastrius *d. disp. 5. num. 436.* & ideò Catechumeni antequam baptizentur, non 16 sunt obligandi ad Confessionem suorum peccatorum, ut docet S. Thomas *3. p. q. 68. art. 6.* & notat Billus *in Hierurgia litt. B. num. 17. §. 15.* Neque obstat, quod referunt Evangelistæ *Matth. 3. 6. & Marc. 1. 5.* de illis, quos baptizabat S. Joannes Baptista, quod scilicet *baptizabantur ab eo in Jordane Confitentes peccata sua.* Ergo si illi confitebantur peccata ante Baptismum Joannis, eò magis confiteri illa debent Catechumeni, antequam recipiant Baptismum Christi. Nam respondet Baradas *in Concord. Evangel. tom. 2. lib. 1. cap. 4. pag. 23.* his verbis: *Dubium est, num peccata sigillatim confiterentur, an generatim peccatores se esse, & peccata multa commisisse profiterentur? Cajetanus Marc. 1. sic respondet: Confitebantur peccata non in specie, sed in genere, profitendo se peccasse; computando seipsos non inter justos, sed inter peccatores. Hæc ille. Abulensis idem sentit Matth. 3. q. 54.* Subdit deinde, Tertullianum, & alios Doctores opinatos esse, quòd in specie confiterentur peccata omnia; alios verò credidisse, quòd non omnia, sed tantùm graviora; ut reciperent à Baptista monita salutis, & condigna opera pœnitentialia, ac satisfactoria. Cæterùm quidquid tunc esset de Confessione culparum, quam faciebant baptizandi à Joanne; illa non erat Sacramentalis; Et hæc absque dubio non est præmittenda à Catechumenis, quia à solo homine Christiano, ac baptizato est facienda, tùm quia Baptismus est janua aliorum Sacramentorum; tùm etiam quia in Baptismo non imponitur Pœnitentia, neque opera satisfactoria, cum ob virtutem Passionis Christi deleantur in Baptizato omnia peccata quò ad culpam, & quò ad pœnam, ut probat S. Thom. *d. p. 3. q. 68. art. 6.* & tantummodo requiritur in eo, qui baptizatur, saltem attritio, dolor scilicet imperfectus de commissis peccatis, cum eorumdem detestatione, & proposito ab eis abstinendi; Et tunc virtute Baptismi ex attrito Catechumenus fit contritus, consequiturque effectum Sacramenti, nempè gratiam, & remissionem omnium pœnarum. Concil. Trident. *sess. 6. de Justific. cap. 6.* Billus *d. litt. B. num. 17. §. 15.* Hæc dicta sint pro usu nostrorum temporum; siquidem inficiari non possumus, aliter servatum fuisse in primis sæculis Ecclesiæ, in quibus plurimi alii ritus erant in usu circa Sacramenta, & præcipuè circa Baptismum, ut demonstrat Illustriss. Episcopus Sarnellius *Epist. Ecclesiast. tom. 2. Epist. 32.* ubi fatetur, Catechumenos consuevisse confiteri peccata sua non Sacramentaliter, neque ad obtinendam absolutionem; sed ut edocerentur à Sacerdotibus Catechistis remedia opportuna ad malas inclinationes superandas; & habitus perversos evellendos.

Dicitur septimò *Contritus, vel saltem Attritus*; quia, ut demonstratum est supra *Decis. XIII. &* 17 *XIV.* est necessarius in Confessione Sacramentali dolor de peccatis, vel perfectus ex amore Dei, vel imperfectus ex ejusdem Dei timore; cum dete-

detestatione tamen, & proposito se emendandi, qui dolor debet comitari eamdem Confessionem, vel physicè, vel moraliter, ut docuimus ibidem; adeòut si dolor deficiat, Confessio sit invalida, cum obligatione illam reiterandi, ac repetendi. Eminentiss. Card. de Lugo *de Pœnit. disp. 16. num.* 597. Itaut non sit satis habere voluntatem, & desiderium dolendi de peccatis, nisi actualiter peccator doleat, ut probat Gobat *tract. 6. in appendice suo num.* 170. Idcircò cauti sint Confessarii in excitandis pœnitentibus ad actualem dolorem, & detestationem criminum, præcipuè in
18 articulo mortis; quo tempore, ob afflictionem morbi, pœnitentes magis dolent de infirmitate corporis, quàm de offensa Dei, & de periculo animæ; undè plurimi damnantur. Exemplum refert de Canonico Parisiensi hac de causa ad inferni pœnas damnato, etsi confessio, ac aliis Sacramentis munito, Anton. Dauroult. *in Catechismo Historiali cap. 5. tit. 36. Exempl. 9.* & alia plura, eaque tremenda, ac timenda cumulat Jo. Dominicus Ottonellus *de Christiana Charitate cap. 2.* quibus addere possumus, quod legitur *in cap. Si quis. & cap. fin. de Pœnitent. dist. 7.* dubiam scilicet esse salutem illorum, quos non ante, sed post ægritudinem pœnitet, de quibus Navarrus *in Enchirid. cap. 1. n. 19.* & Reginald. *lib. 5. n. 23.*

Dicitur octavò *purè*; qua voce intelligimus,
19 Confessionem culparum in Sacramento Pœnitentiæ esse faciendam absque fuco verborum impertinentium, & absque relatioribus historicis, tendentibus, ut plurimùm, ad excusationem ipsius pœnitentis; & omissis pœnitus superfluis narrationibus; ut optimè notant Suarez *de Pœnitent. disp. 12. sect. 10. num. 1.* Joan. Sancius *in Select. disp. 1. à num. 4. & seqq.* & Gobat *d. tract. 6. num.* 530. Lepidus, Mehercle, est casus, quem narrat P. Carolus Casalichius in suis Argutiis Moralibus *Centur. 1. Decad. 3. Argut. 2.* cujusdam
20 mulieris, quæ mane Resurrectionis Dominicæ, Confessionale Parochi, magna pœnitentium caterva stipatì, ingressa, cœpit rogare, ut patienter audiret ejus peccata; & exordita à *Confiteor* (adjectis in eo plurimis Sanctorum nominibus) narrare cœpit, prolixa serie verborum, suam malam sortem, eò quod secundò nupserit viro diabolico, ebrioso; perverso, ac crudeli, illam sæpè absque causa verberanti; quam primus maritus amabat, colebat, & favoribus prosequebatur. At eam interrumpenti Confessario, ac dicenti, quæso, omitte hæc inutilia, & dic breviter peccata tua, respondit ipsa, patientiam habe in me, & omnia dicam tibi; subdens, maritus meus est etiam valdè gulosus, proclivis ad convivandum cum amicis, jussitque, non multi sunt dies, ut ego prandium lautum pararem. Obedivi, ornavi mensam pulcherrima tobalea, lavi, & super eam posui mihi charissimum Scyphum è crystallo Venetiarum, ad bibendum commodissimum. Eia! replicavit Parochus, quid hoc mane, dum tot pœnitentes expectant, moraris? Dic peccata tua, si quæ habes, & hæc inania dimitte. Rursus mulier, quanta me sollicitudine urges? & post alia multa concluśit, gallina, quam unicam teneo in cubiculo, volavit super mensam. Eam clamore, ac palmarum percussione fugavi. Impegit illa alas in Scyphum, ac fregit. Tunc ego protumpens in iram, maledixi illam. At Confessarius ad eam: Ego quoque maledicerem abusum tuum in confitendo. Pro pœnitentia tuæ maledictionis recita *tres Pater, & Ave*; at pro peccatis mariti tui *jejuna ter in pane, & aqua.* Indoluit de hoc mulier, & dixit, numquid ego pœnitentiam faciam pro peccatis mariti mei? Utique, ait Confessarius, adhoc ut deinceps, desinas confiteri peccata mariti tui; & de tuis tantùm te accuses. Hæc Casalichius. Utinam hæ cantilenæ non essent frequentes in auribus Confessariorum. Non tamen inficior, quod docet Eminentiss. Cardin. Toletus *in Summ. libr. 3. cap. 6. num. 2.* Quòd scilicet, *quando ad peccati manifestationem perfectam, opus esset historiam narrare, bonum est, & fieri debet; sed solùm quæ necessaria sunt, ad talem finem debent exprimi: quamvis si oppositum fiat, Confessio non perdat suum valorem.*

Dicitur nonò: *Et voce*, quia Confessio debet esse vocalis, idest facta voce humana, & propria pœnitentis; nisi ab infirmitate impediatur, vel vi 21
morbi factus sit impotens ad loquendum; ut habetur *in cap. Quem pœnitet. de Pœnit. dist. 1.* ibi: *corporali præsentia confitenda peccata, non per nutum, nec per scriptum manifestanda.* Et in Concilio Florentino post ultimam Sessionem, ubi designans materiam Sacramenti Pœnitentiæ dicit, eam esse *Oris Confessionem.* Quamvis enim Moralistæ concedant, posse fieri Confessionem Sacramentalem per schedulam continentem peccata pœnitentis, ab eo exhibitam Confessario, cum his verbis, *Accuso me de omnibus peccatis hìc scriptis*; Gobat *tract. 6. à num. 520. & seqq.* Diana Coordinatus, alios allegans *tom. 1. tract. 3. resol. 77.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 6. num. 3.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. tract. de Pœnit. disp. 15. num. 80.* Contrarium tamen docent Scotistæ, quia esto, non reperiatur præceptum divinum, vel Ecclesiasticum præcisè determinans; quod pœnitentes teneantur propria voce manifestare peccata sua, dum confitentur Sacramentaliter, nihilominus traditio Apostolica, & consuetudo universalis inter omnes fideles est, ac semper fuit, ut de eis se accusent voce, non autem scriptura; talemque fuisse intentionem Christi instituendo hoc Sacramentum desumitur, ob verecundiam annexam huic vocali accusationi, quæ cedit in pœnam, & medicinam peccati; exceptis casibus amissionis loquelæ; ut doctè disserunt Mastrius *d. disp. 5. num. 471. &* 472. & Eminentiss. Card. de Lauræa *de Pœnitentia disp. 10. art. 4. & 5.* Sed de hac quæstione latius agam infra *Decis. XXI. & Decis. XXII.* ubi de Confessione mutorum tractabo.

Dicitur decimò in definitione. *Ad aures Sacerdotis*, quæ verba resolvunt omnes sequentes quæstiones. Prima est, quòd nullus teneatur, si 22
non habeat copiam Confessarii Sacerdotis, confiteri peccata sua alicui Laico, & non Sacerdoti; quia de fide certum est, solum verum Sacerdotem esse idoneum ministrum Sacramenti Pœnitentiæ, ut est definitum à Concilio Tridentino *sess. 14. de Sacram. Pœniten. Can. 10.* & docet Gobat *tract. 7. n. 16. 17. & 18.* Secunda est; quòd nullo casu tenetur quis Confessionem de peccatis occultis facere publicam, aut alio audiente, quàm Confessario. Eminentiss. Card. de Lugo *de Pœnit. disp. 15. n. 59.* Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp. 10 art 8.* Mastrius *d. disput. 5. num. 455.* & Gobat. *d. tract. 6. n. 501.* Testantur tamen omnes DD. quòd si quis velit, potest publicè confiteri peccata sua; de qua re infra *Decis. XVI.* Tertia quæstio est, quòd adeò verum existit, Confessionem Sacramen-

mentalem esse faciendam *ad aures Sacerdotis*, ut si ipse Confessarius non intelligat linguam, seu idioma pœnitentis, hic non teneatur confiteri per interpretem. Gobat *d. tract. 6. num. 502.* & 23 bene Mastrius *d. disp. 5. num. 444.* Porrò Eminentiss. Card. de Lauræa *disp. 23. art. 6. §. 7. num. 133.* intelligit, pœnitentem non teneri, si dubitet Interpretem non esse servaturum secretum. At si certificetur de Interpretis fidelitate, tenetur per eum confiteri. Quarta est, quòd licet pœnitens sit ita fluxæ, & debilis memoriæ, ut nisi scribat in charta sua peccata, probabiliter dubitet, non obstante examine conscientiæ diligenter facto, plura mortalia in Confessione se esse obliturum; non teneatur ad scribendum sua peccata in papyro, per ipsum le- 24 genda Confessario; quia ipsa charta per se loquendo præbet seu causam, seu occasionem manifestationis, & infamationis, Gobat *d. tract. 6. num. 515. & 516.* & DD. ibi per eum citati, subdens, quòd quicunque reperisset, & legisset dictam chartam, peccaret mortaliter; & esset obligatus ad sigillum Confessionis, esto in 25 ea continerentur sola peccata venialia; sique Judex ex eadem charta procederet in foro externo contra scribentem, & eum condemnaret ob aliquod crimen in eadem scriptum, reus fieret culpæ lethalis, cum obligatione abolendi illum processum, ac sententiam. Layman. *d lib. 5. tract. 6. cap. 14. num. 9.* Diana Coordinatus *tom. 1. tract. 8. resol. 43.* quæ in veteri jacet *part. 5. tract. 11. resol. 27.* Quinta tandem quæstio, (quæ resolvitur per prædicta verba definitionis *Ad aures Sacerdotis*) est, quòd non licet per litteras Confessa- 26 rio absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere; juxta *Constitutionem 87.* Clementis Papæ VIII. id prohibentis; quæ tamen prohibitio intelligenda est secundùm aliquos *conjunctivè*, ut nimirum non liceat per litteras confiteri absenti, & ab eodem absente simul absolvi; non autem *disjunctivè*; videlicet, quòd à Confessario adveniente post receptas litteras continentes peccata, ubi reperitur pœnitens, qui eas scripsit, ipse pœnitens non possit ab eodem Confessario præsente absolvi, si aliqua urgens causa, non autem leve motivum intercedat, ut pluribus DD. allegatis probat Mastrius *d. disp. 5. num. 473. 474.* cui adstipulatur Diana *part. 11. tract. 7. resol. 30.* Quæ in Coordinato sibi sedem fecit *in tom. 1. tract. 3. resol. 74.* omninò legenda: sed de hoc infra dicam *Decis. XXXV. n. 16.*

Dicitur Undecimò: *Sacerdotis à legitimo Superiore* 27 *ad hoc deputati*; id est, approbati, quia ut statutum est in Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 15. Quamvis Presbyteri in sua ordinatione potestatem absolvendi à peccatis accipiant, decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audire; nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si ita illis videbitur, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili non obstantibus.* Circa quod Decretum tria sunt notanda. *Unum*, quòd nomine approbationis non 28 venit tantummodò actus intellectus, per quem examinator judicat Sacerdotem idoneum quoad scientiam pro Confessionibus audiendis; sed ulterius est necessaria concessio Jurisdictionis, idest facultatis, & potestatis audiendi ipsas Confessiones, & ferendi sententiam in subditum ejusdem Prælati approbantis. Gobat *tract. 7. num. 43.* & Siquidantes *de Obligat. & Privil. Episcop. part. 3. cap. 39. num. 1.* subdens, quòd hanc approbationem, & Jurisdictionem Prælati possunt concedere, non solùm expressè, sed etiam tacitè; nempè scientes, ac tolerantes aliquem Sacerdotem, qui Confessiones audiat. *Alterum* est, quòd legitimus Prælatus pro deputandis Confessariis est Episcopus Diœcesanus pro personis sæcularibus suæ Diœcesis; sivè alius Prælatus inferior, habens Jurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio, & populo sibi subjecto; ut est Abbas Nonantulæ, & Abbas Vangaditiæ, ac similes; adeòut nullus possit audire Confessiones in aliqua Diœcesi, vel Territorio, qui non sit approbatus ab Ordinario ejusdem Diœcesis, vel Territorii, ut ex pluribus declarationibus Sacræ Congregationis Concilii docent Barbosa *de Potest. Episc. alleg. 25. num. 30.* Guttierez, *lib. 1. cap. 27.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *disp. 21. num. 35.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa plurimis rationibus, & argumentis id confirmans, quamvis dictus Sacerdos fuisset alibi, etiam pluries approbatus, *de Pœnit. disp. 20. art. 3. §. 5.* per totum. Dixi pro personis sæcularibus; 29 siquidem pro audiendis confessionibus Regularium olim erant deputati de Jure eorum Generales, & Provinciales, sed hoc jus fuit correctum per Clementem Papam VIII. à quo jisdem Superioribus fuit inhibitum audire Confessiones Sacramentales suorum subditorum; & jisdem injunctum, ut alios Regulares inferiores deputent ad hoc munus, ut dicam infra *Decis. XXXIX.* & docent Peyrin *de Relig. subdit. quæst. 1. cap. 21. vers. Dico nonò.* Et Lezana *tom. 1. cap. 18. num. 26. 27. & 29.* ubi bene advertit, quòd Regulares possunt deputari à suis Superioribus ad audiendas Confessiones suorum Religiosorum absque approbatione Episcopi; & è contra quòd Regulares approbati ab Episcopo ad audiendas sæcularium Confessiones, non possunt eas audire absque licentia suorum Superiorum Regularium; & si de facto eas audiant absque hac licentia peccant mortaliter, & secundùm plures DD. absolvunt invalidè (excepto articulo mortis.) idem Lezana *tom. 3. Verb. Confessarius Regularis num. 2.* novissimè Pignatellus *tom. 10. Consult. 108. num. 2.* ubi alii DD. quibus tamen nervosè contradicit Eminent. Card. de Lauræa *disp. 20. art. 3. §. 13.* ubi sustinet, prædictos Regulares validè absolvere.

Tertium notandum est, non esse ampliùs sequendam illam communem opinionem DD. quòd quilibet Sacerdos, etsi non approbatus possit absol- 30 vere à venialibus, & à peccatis mortalibus aliàs confessis, de qua Eminentiss. Cardin. de Lugo *disp. 18. sect. 3.* Peyrin. *de Subdito quæst. 1. cap. 21. Vers. dico primò. &c. in fin.* & Diana *part. 5. tract. 14. resol. 86.* nec non *part. 8. tract. 1. resol. 86.* quarum prima posita est in opere Coordinato *tom. 1. tract. 4. resol. 10.* ubi alios ita docentes cumulat; altera verò residet *in tom. 3. tract. 1. resol. 39.* Siquidem præter plures gravissimos Theologos eam tanquam falsam impugnantes, inter quos Bordonus *Var. resol. part. 1. resol. 36. n. 57.* Ludovic. à Cruce *in Bullam Cruc. disp. 1. cap. 2. dub. 5. n. 13.* Philip. Faber *in 4. Sent. dist. 17. quæst. Unica disp. 15. cap 3. n. 71.* ac etiam Eminent. Card. de Lauræa *de Pœnit. disp. 19. art. 10 per totum*; nunc talem opinionem proscripsit, ac damnavit Innocentius Papa XI. in suo Decreto *Communionis Quotidianæ, diei 12. Februarii 1679.* ut bene advertit

Car-

Cardenas *in Crisi Dissert. 2. cap. 6. à num. 416. & seqq.* Quod quidem Decretum legitur per extensum in meis Decisionibus *de Venerab. Eucharistiæ Sacram. Decis. X. num. 11.* Sed de his tribus notandis fusiùs tractandum erit infra *Decis. XXXVII. & seqq.*

Dicitur duodecimò in definitione, *& illam* (id est Accusationem, & Confessionem Sacramentalem) *sub Sigillo inviolabili audientis*; quia Confessarius tenetur ad sigillum Confessionis, & ad celandum ea, quæ audivit in Confessione; itaut pro nullo casu, & ob nullum finem hæc obligatio sigilli sit dispensabilis. *cap. Sacerdos de Pœnitent. dist. 6. cap. omnis. De Pœnitent. & Remiss. cap. Dilectus. De Excessib. Prælator.* Eminent. Card. de Lauræa *disp. 21. de Pœnitent. art. 5.* ubi demonstrat, eam procedere non tantùm ex lege positiva Ecclesiastica, sed etiam ex lege naturali divina. Utrùm autem præter peccata cadant sub sigillo etiam aliæ res auditæ in Confessione? Et an præter Confessarium dari possint aliæ personæ obligatæ ad idem sigillum? disputabitur infra *Decis. XLIX.* 31

Dicitur decimotertiò, *ad effectum, ut concurrentibus necessariis conditionibus*: quia ut Confessio Sacramentalis sit perfecta, requirit nonnullas conditiones, quas refert, ac declarat Navarrus *in cap. Fratres. de Pœnitent. dist. 5.* & Reginaldus *in Praxi lib. 6. num. 60.* contentas his carminibus; videlicet: 32

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Porrò ex his omnibus, quatuor tantùm sunt necessariæ, ut ait Eminentiss. Card. Toletus *in Summa lib. 3. cap. 7 num. 1.* hoc est, ut sit *Diligens* in antecedenti examine. *Integra* quo ad numerum peccatorum, & eorum circumstantias. *Fidelis*, ut pœnitens nihil neget ex his, quæ commisit, & aliquid non imponat sibi scienter ex his, quæ non commisit; uno verbo, ut abstineat in Confessione à mendacio. *Et obediens*, scilicet obedire parata, cum proposito exequendi quod Confessarius judicaverit necessarium injungere ipsi pœnitenti; prout ex professo circa has conditiones demonstrabimus *Decis. XXI.* in qua de examine conscientiæ; & in sequentibus de integritate.

Additur decimoquartò, *Et circumstantiis* comitantibus eadem peccata; quæ restringuntur in hoc Versu: 33

Quis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis? Cur? Quomodo? Quando?

Quæ quidem circumstantiæ reducuntur ad duas classes, quatenus aliæ sint mutantes speciem peccati, & hæ omninò sunt exprimendæ in Confessione; aliæ sint tantummodò aggravantes, & hæ regulariter possunt taceri, ut docent Gobat *in Theolog. Exper. tract. 6. à num. 375. & seqq.* Emin. Card. de Lauræa *disp. 11. art. 5.* & nos dilucidabimus infra *Decis. XXV & seqq.*

Dicitur decimoquintò *Eadem peccata virtute Clavium Ecclesiæ*, quæ quidem Claves Ecclesiæ (sic dictæ per metaphoram, nam per eas aperitur, vel clauditur peccatoribus janua Regni Cœlestis) aliæ sunt pro foro externo; aliæ pro foro interno, & pœnitentiali, & hæ duæ sunt, videlicet *Clavis scientiæ*, idest potestas in Confessario sciendi peccata pœnitentis, illumque interrogandi quò ad numerum, & quò ad circumstantias; *& Clavis potentiæ*; nempè potestas illum absolvendi ab iisdem peccatis, si sit bene dispositus; vel ea retinendi, si secùs; ut doctè, & clarè disserit Eminentiss, Card. de Lauræa *disp. 18. art. 4. & seqq.* ubi naturam, & vim Clavium Ecclesiæ, tùm pro foro externo, consistentium in potestate ferendi censuras; tùm pro foro interno, quas supra innuimus, examinat, & declarat; & nos de jisdem plenè disserimus infra *Decis. XIX.* 34

Subjungitur decimosextò in definitione, *ac absolutionis beneficio sibi remittantur*, videlicet peccata, quæ ritè, ac rectè pœnitens confessus est Sacerdoti easdem Claves fori interni tenenti; siquidem Absolutio Sacramentalis est propria forma Sacramenti Pœnitentiæ, & ejusdem pars intrinseca, & essentialis, quæ consistit in his duobus verbis *Absolvo te*; cum debita intentione absolvendi à Confessario prolatis. Reginaldus *lib. 8. num. 2.* Mastrius *in 4. Sent. disp. 5. num. 355.* circa quam formam plures agitantur à DD. difficultates, videlicet, an absolutio dari possit absque verbis? vel verbis deprecativis? An sub conditione? Quomodo verificetur absolutio, si peccata sint jam dimissa vel per contritionem, vel per antecedentem Confessionem? de quibus, & de aliis appositè disseram infra *Decis. XXXV.* 35

Ultimò dicitur in definitione, *dummodo* (peccata) *Superioribus non sint reservata*; notum est enim omnibus fidelibus, *Magnopere ad Christiani, populi disciplinam pertinere, ut atrociora quædam, & graviora crimina non à quibuvis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur*; ut ait Concil. Trid. *sess. 14. cap. 7.* undè alii casus reservati sunt Summo Pontifici, alii Ordinariis locorum, scilicet Episcopis, vel Abbatibus habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio, & populo sibi subdito; & alii Superioribus Religiosorum pro jisdem Religiosis, ut bene notat Gobatus *d. tract. 7. à n. 372. & seqq.* Propterea esset nulla, & invalida absolutio à reservatis, quam daret Confessarius non habens specialem licentiam à Superiore absolvendi ab jisdem reservatis, excepto tamen articulo mortis, in quo cessat omnis reservatis, & quilibet Sacerdos absolvere potest à quacunque censura, & à quocunque crimine reservato. Gobat *ubi supra num. 367.* Quæ verò, & quot conditiones requirantur ad licitam casuum reservationem? demonstrat idem Gobat *ibid. à num. 349. & seqq.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœnitent. disp. 19. art. 11. & art. 12.* in quibus per plures §. §. tractat. diversas quæstiones circa reservationem casuum, & eorum reservatorum absolutionem; & præcipuè, num Superior possit absolvere pœnitentem à solis reservatis, & illum remittere ad inferiorem Confessarium pro absolutione aliorum non reservatorum? Et è contra, an inferior possit absolvere à non reservatis, remittendo pœnitentem ad superiorem pro reservatis? de quibus, ac de aliis agemus infra *Decis. XXIII. num. 15.* & plenè *Decis. XLV & XLVI.* 36 37

Hæc omnia hucusque dicta, pro explicatione definitionis, & essentiæ Confessionis Sacramentalis, si confessarii non dedignati fuerint attentè legere, & ad ea non semel reflectere, non mediocrem scientiam, ac notitiam obtinebunt hujus Sacrosancti Sacramenti Pœnitentiæ, & ejus ministerii gravissimi, sunt enim illa, quæ ego requirebam, ab eis approbandis in hoc Episcopatu Patavino per annos jugiter qua-

quadraginta, sub regimine laudatæ memoriæ Illustrissimi, ac Reverendissimi Georgii Cornelii, ac Eminentissimi Gregorii Cardinalis Barbadici Vigilantissimorum Antistitum circa confessariorum idoneitatem; quorum examen, ac approbatio jugiter fuit mihi commissa.

DECISIO XVI.

ARGUMENTUM.

Disquiritur, Utrùm Confessio Sacramentalis possit fieri publicè, & coram pluribus eam audientibus? Negativæ opinionis argumenta octo. Totidem affirmativæ contrariæ; nec non exempla ex Historiis. Tertiæ opinionis priores duas concordantis temperamentum. Responsiones, ac resolutiones argumentorum primæ opinionis.

SUMMARIUM.

1 *Secretum à parte Pœnitentis an de essentia Confessionis?*
2 *Auricularis Confessio ordinata à Christo.*
3 *Publicè nemo tenetur confiteri peccata sua occulta.*
4 *Lex naturalis obligat tueri famam propriam.*
5 *Sigillum Sacramentale de jure divino.*
6 *Forum Ecclesiæ duplex, Sacramentale, & contentiosum.*
7 *Confessio per Epistolam damnata.*
8 *Publicè confiteri peccata an expediat? & n. 22.*
9 *Publica peccata absolvendi forma.*
10 *Publica spontanea Confessio Sacramentalis an valida? & num. 15. ac num. 17.*
11 *Christus non prohibuit publicè confiteri peccata.*
12 *Privilegio, ac beneficio suo quilibet potest renunciare.*
13 *Confessarius revelare potest peccatum de licentia pœnitentis.*
14 *Exempla Confessionum peccatorum publicè facturum, & num. 25.*
16 *Modus confitendi secretè est institutus à Christo, sed non de essentia Sacramenti.*
18 *Fama non læditur confitendo Sacramentaliter peccata.*
19 *Sigilli ad observantiam Pœnitens non tenetur.*
20 *Ecclesia in foro externo non absolvit à peccatis, sed à censuris.*
21 *Absentes quare non possint absolvi Sacramentaliter?*
23 *Reconciliatio Pœnitentium, de qua in Pontificali Episcoporum, non est absolutio à culpis.*
24 *Publicam pœnitentiam an Confessarius possit imponere?*
26 *S. Carolus Borromeus publicam pœnitentiam indixit Regiis ministris ob eorum publicum crimen.*

Dictum est in præcedenti Decisione, inter præcipuas Confessionis Sacramentalis conditiones, illam esse principalissimam, ut fiat *ad Aures Sacerdotis*; videlicet secretè, & sub sigillo, nulla de causa violando. Cæterùm, etsi hæc inviolabilis observatio sigilli, & secreti non patiatur difficultatem respectu Sacerdotis Sacramentalem Confessionem audientis, ut infra suo loco demonstrabimus; respectu tamen ipsius pœnitentis non levis est controversia apud Theologos, utrùm secretum sit de essentia Confessionis Sacramentalis? quod est quærere, utrùm Confessio, quæ fit non uni soli Sacerdoti secretè, sed pluribus, & publicè, sit Confessio Sacramentalis vera, & valida? 1

Prima opinio tenet, quòd si pœnitens confiteatur peccata sua publicè, vel coram pluribus, ejus Confessio non sit Sacramentalis, neque valida ad obtinendam Sacramentalem absolutionem; ea ratione, quia Sacramentum Pœnitentiæ de sui essentia, & ex sua institutione requirat, ut Confessio culparum fiat secretè, uni tantùm Sacerdoti, ex consequentibus rationibus.

Primò ex Concilio Tridentino *sess.* 14. *Can.* 6. ubi ita definivit: *Si quis dixerit, modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum, Anathema sit.* Igitur ex his verbis constat, quòd confiteri secretè, & ad aures unius tantùm Sacerdotis, provenit ab institutione Sacramenti Pœnitentiæ, & à mandato Christi. Sed ea, quæ ordinata sunt à Christo in institutione Sacramentorum sunt de essentia eorumdem, & deficiente aliquo ex his, quæ ordinata sunt, Sacramentum est nullum. Ergo si Confessio peccatorum fiat publicè, vel pluribus audientibus, erit invalida, & non erit Sacramentalis. 2

Secundò: Præceptum Confessionis includitur intrinsecè in institutione Sacramenti pœnitentiæ. Sed sola Confessio secreta cadit sub hujusmodi præcepto; quia ut dictum est in *Decisione XV. num.* 22. nemo de præcepto tenetur publicè confiteri peccata sua occulta, ex Cardin. de Lugo *de Pœnit. disp.* 15. *num.* 59. & ex Cardin. de Lauræa *disp.* 10. *art.* 8. Ergo ut Confessio sit secreta à parte pœnitentis est de essentia Sacramenti; quòd si non fuerit secreta, Confessio ipsa erit invalida. 3

Tertiò: Præcepta legis positivæ divinæ non destruunt præcepta legis naturæ, sed illa confirmant. At confiteri peccata occulta publicè est contra legem naturæ, quæ obligat unumquemque suam famam tueri. Ergo in præcepto Confessionis debet esse inclusum essentialiter secretum etiam à parte pœnitentis. 4

Quartò: Sigillum Sacramentale est de jure divino, & de essentia Sacramenti, quia significat exteriùs, quod Sacramentum operatur interiùs, idest deletionem, & extinctionem peccati. Aureol. *in* 4. *dist.* 21. Angel. *in Sum. V. Confessio ult. num.* 1. At ubi Confessio Sacramentalis fieret in publico, destrueretur sigillum, & per consequens qualitatem essentialem, necessariamque requisitam à Jure divino in Confessione. Ergo, ut Confessio sit secreta, est de essentia Sacramenti. 5

Quintò: In Ecclesia est duplex Forum, scilicet Sacramentale, & Contentiosum. In primo remittuntur peccata secreta, ac occulta; in secundo peccata publica, de quibus ait Christus *Matth.* 18. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, &c. dic Ecclesiæ.* Deinde *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo.* Igitur peccata occulta confiteri oportet in foro Sacramentali, secreto, & occulto tantùm, Illa autem 6

tem, quæ publicè quis vult confiteri, spectant ad forum contentiosum, non autem ad Sacramentale.

Sextò: Si liceret confiteri publicè peccata occulta, licitum quoque foret scribere ea Sacerdoti 7 absenti, & ab eo per Epistolam recipere absolutionem. Sed consequens est falsum, quia anno 1602. fuit hæc opinio damnata tanquam falsa, temeraria, & scandalosa, ut ex Bulla 87. Clementis VIII. Ergo Confessio secreta est de essentia Sacramenti.

Septimò: Si concederetur publicitas culparum 8 à parte pœnitentium in Confessione, multi se subtraherent à Sacramento Pœnitentiæ ob nimiam verecundiam; & ob scandala, quæ ex tali publicitate orirentur; ideoque à St Leone Papa *Epist.* 8. *cap.* 2. prohibita fuit hæc Confessio publica, quam Episcopi Campaniæ introduxerant, ut testatur Illustriss. Sarnellius *in Basilico-graphia d. cap.* 18.

Octavò: Quia in Pontificali Romano *in part.* 3. 9 *tit. de Reconciliatione Pœnitentium, quæ fit in Quinta feria Cœnæ Domini*, præscribitur forma absolvendi eos, qui publica crimina commiserunt, in foro exteriori: ibi enim post multas preces, & cæremonias ibi descriptas, in ultima oratione, quæ incipit *Dominus JEsus Christus, &c.* Episcopus super pœnitentes coram eo genuflexos subdit: *Ipse per ministerium meum ab omnibus peccatis vestris, quæcunque aut cogitatione, aut locutione, vel operatione negligentei egistis, vos absolvat sancti sui Sanguinis interventione, qui in remissionem peccatorum effusus est, &c.* Ergo publica peccata in foro externo, & contentioso sunt absolvenda: at peccata occulta nunquam ad hoc forum sunt extendenda, sed in foro Sacramentali, quod omninò occultum est, & esse debet, tam à parte Confessarii, quàm à parte pœnitentis, sunt manifestanda; aliàs irritum redditur Sacramentum, & invalida Confessio. Ita tenent Alex. de Ales 4. *part. quæst.* 17. *membr.* 1. *art.* 4. §. *ult.* Gabriel Biel. *in* 4. *Sent. dist.* 17. *quæst.* 1. *art.* 2. & Angelus *in Summa d. verb. Confess. ult.* quos refert Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 10. *num.* 99. & Faber. *disp.* 29. *cap.* 1. quem repetit impugnando Mastrius *in* 4. *d. disp.* 5. *quæst.* 17. *art.* 1. & 2.

Altera opinio, huic omninò contraria, tenet 10 nihil officere validitati Confessionis, sivè essentiæ Sacramenti, si pœnitens sponte velit confiteri publicè peccata sua occulta; & fundatur in sequentibus argumentis.

Primò, quia quamvis Christus instituerit modum confitendi secretum, tamen non vetuit, ut etiam publicè quis possit confiteri peccata sua, ut habetur in Conciiio Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. ubi sic loquitur: *Cæterum quo ad modum confitendi secretum apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit.* Igitur si Christus non prohibuit publicè confiteri peccata, publicitas non irritat Sacramentum, neque destruit ejus validitatem.

Secundò: Quia ibi Sacramentum Pœnitentiæ est validum, ubi est manifestatio delictorum, cum dolore ob offensam Dei, ad obtinendam absolutionem à Sacerdote. Sed hæc adesse possunt, quamvis plures audiant illam manifestationem. Ergo valida erit confessio, etsi publicè facta.

Tertiò: Quia, quod nulla lege est prohibitum, sed manifestè permissum, licitum censetur, & validum. Sed confessio publica nullibi reperitur prohibita. Ergo est licita, & valida. 11

Quartò: Actus humanus eò est perfectior, quò plura motiva virtutis respicit, ex quibus fit. Sed Confessio publica esse potest ob multa motiva virtuosa, nempe vindictæ culparum, humiliationis pœnitentis, ædificationis aliorum, ut ait Concil. Trid. *d. sess.* 14. *cap.* 5. Ergo non est censenda prohibita, & invalida.

Quintò: Si Confessio Sacramentalis publica esset invalida, multi in casu extremæ necessitatis, ob solam attritionem non salvarentur, non valentes elicere actum perfectæ contritionis. Consequentia patet in periculo Naufragii, tempore Pestis, vel Terræmontus; tunc enim, ut plurimùm, non possunt homines confiteri sua peccata secretè, sed ab aliis, quos socios habent, audiuntur.

Sextò: Si deficiente secreto à parte pœnitentis irritum esset Sacramentum, non valeret Confessio facta per Interpretem. Sed consequens est falsum, & contra usum Ecclesiæ. Ergo & antecedens.

Septimò: Quilibet renunciare potest ei, quod per se noscitur introductum. *cap. Statuimus* 23. *de* 12 *Regularib.* & nemo tenetur uti suo privilegio. Gobat. *in Theol. Experim. tract.* 5. *n.* 180. Sed secretum Confessionis est introductum in favorem pœnitentis; & est privilegium propriè spectans ad ipsum. Gobat *tract.* 7. *num.* 830. Ergo poterit eidem cedere, ac renunciare, si voluerit sponte confiteri publicè, absque invaliditate Confessionis.

Octavò: Potest Pœnitens dare licentiam Confessario revelandi aliquod peccatum, de quo se- 13 cum fuit confessus. Abb. *in cap. Significasti. de Simonia, & in cap. Significasti. de Adulter.* Suarez plures cumulans *in.* 3. *part. tom.* 4. *disp.* 33. *sect.* 5. *num.* 6. ubi dicit hanc opinionem esse communem, & veram, quamvis plures DD. antiqui tenuerint contrarium, Ergo multò magis potest ipse pœnitens, si voluerit, publicè confiteri.

Nonò: Quia plurimæ habentur in Historiis Confessiones Sacramentales publicè, & coram multis, tum Sacerdotibus, tum Laicis hominibus audientibus factæ; de quarum validitate nunquam fuit dubitatum. Exempli gratia. De Othone 14 Imperatore II. Ditmatus *Chronic. lib.* 3. ait: *Quòd facta Latialiter Confessione coram Apostolico, atque Presbyteris, accepta ab eis optata remissione, Septimo idus Decembris ex hac luse subtractus est.* Ludovicus Francorum Rex, cognomento Crassus, Parisiis cùm recidiva profluvii dysenteria gravissimè fatigaretur, suam Confessionem Sacramentalem, coram Stephano Episcopo Parisiensi, & Hilduino Abbate S. Victoris facere voluit, ut ex Sugerio *in eod.* refert Aringhius *in Triumpho Pœniten. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 116. Richardus Henrici II. Anglorum Regis filius, graviter ægrotans, *convocatis in unum in Capella Reginaldi de Moyse universis Archiepiscopis, & Episcopis suis, qui cum eo erant apud Messanam, vitæ suæ fœditatem coram illis Deo confiteri non erubuit*, ut ex Rogerio in vita S. Hugonis legitur apud Surium *tom.* 6. *die* 17. *Novembris.* Et (aliis omissis) Philippus Comes Namurcensis, ut ex Cæsario *lib.* 2. *cap.* 18. notat Raynaldus *in Annal. Eccles. An.* 1218. *n.* 39. *quatuor Abbatibus simul, sæpè Confessionem suam facere consuevit, in tantum se accusans,*

tan-

tantum plangens, ut omnes ad lacrymas provocaret. Convincitur itaque ex his exemplis, validam esse Confessionem Sacramentalem, quamvis coram pluribus factam; secretumque à parte pœnitentis non esse de essentia Sacramenti Pœnitentiæ. Hujus opinionis Sectatores sunt Suarez *in.* 3. *p. de Pœnitent. disp.* 21. *sect.* 2. Henriquez *de Pœnitentia libr.* 3. *cap.* 20. *Litt.* B. ubi, quòd duo Sacerdotes simul possunt audire unius Confessionem; & alii apud Dianam Coordinatum *tom.* 1. *tract.* 4. *resol.* 47. *& tract.* 8. *resol.* 38.

Tertia opinio concordans has duas præcedentes, discordes, docet, usum confessionis secretæ esse
15 quidem ex institutione Christi, sed non esse simpliciter, & absolutè loquendo de necessitate Sacramenti in quocunque casu, sed tantùm prout regulariter fit. Ex hac assertione sequitur, quòd Confessio publicè facta in aliquo casu necessitatis, exempli gratia pestis, naufragii, incendii, aut terræmotus, est vera Confessio Sacramentalis, quo ad substantiam. & essentiam Sacramenti; quamvis non sit secundùm modum à Christo institutum, & in Ecclesia usitatum; & idem est sentiendum, ubi quis ex nimio dolore suarum culparum, vel ad majorem sui ipsius humiliationem, ut in supracitatis Historiis, spontè coram pluribus Sacerdotibus, etiam audientibus Laicis, peccata sua confiteretur. Ita Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 10. *art.* 8. & Mastrius alios allegans *d. tom.* 4. *disp.* 5. *quæst.* 17. *à num.* 455. *& seqq.* & præcipuè *n.* 457. ubi optimè dicit, quòd *quamvis Christus instituerit modum confitendi secretum, tanquam modum Confessionis regularem, & ordinarium, ac per se convenientiorem; non tamen iste modus est de essentia, & necessitate simpliciter Confessionis Sacramentalis.*

Igitur retenta secunda opinione, cum moderamine ab hac tertia sententia insinuato; ut scilicet Confessio, quamvis publica, sit vera, & Sacramentalis; sed non sit passim, & regulariter publicè facienda; at solùm in aliquo necessitatis, vel urgentis honesti motivi casu, juxta mentem Concilii Tridentini *d. sess.* 14. *cap.* 5. non obstant argumenta primæ opinionis.

Non Primum, ex eod. Concil. Trident. *sess.* 14.
16 *Can.* 6. quia conceditur; modum confitendi secretè esse à Christo; sed non sequitur, talem modum esse de essentia Sacramenti Pœnitentiæ; siquidem etiam in Eucharistia habemus à Christo, quòd ante consecrationem materiæ, ipsa benedicatur; & tamen si absque præcedenti benedictione panis, & vini Sacerdos consecraret, profectò valida esset consecratio. Sic in proposito, quamvis Ecclesia acceperit à Christo Domino hunc Confessionis modum secretum, neque possit illum abrogare, vel immutare; nihilominus si Confessio in aliquo necessitatis casu, aut alia rationabili de causa publicè fiat, adhuc erit vera, & Sacramentalis Confessio; si reliqua, quæ habent rationem materiæ, ac formæ, non deficiant.

Ad Secundum argumentum respondetur; verum esse, quòd nemo de præcepto tenetur confi-
17 teri publicè peccata sua occulta: sed falsum esse, quòd quis non possit spontè ea publicè confiteri vel in casu necessitatis, vel ex honesto motivo. Idcircò præceptum Confessionis includitur intrinsecè in institutione Sacramenti Pœnitentiæ quo ad substantiam, non autem quo ad modum, quamvis, & iste servandus sit, nisi urgens causa excu-
set, ut de benedictione panis, & vini ante consecrationem Eucharistiæ dictum est.

Ad Tertium respondetur ab Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 10. *num.* 103. his verbis: *Manifestare Sacramentaliter propria delicta non est contra charitatem* idest propriam famam) *Sed esset contra eam, quando quis civiliter operans cum hominibus manifestaret illa.* Hinc in exemplis supra relatis Principum publicè confitentium peccata sua, tantùm abest, ut eorum fama fuerit læsa, quinimmò magnam omnium in se reverentiam excitarint; & ad sepulchrum Comitis Namurcensis plura miracula facta fuerint, ut testatur Cæsarius *d. lib.* 2. *cap.* 18. 18

Ad Quartum respondetur; sigillum Confessionis jure divino obligare Confessarium, & alios 19
Confessionem Sacramentalem ex accidenti audientes; sed non obligare ipsum pœnitentem, casu quo ad sui humiliationem velit facere publicam suam Confessionem; tunc enim Confessio illa est Sacramentalis quo ad substantiam; non etiam quo ad modum consuetum, cui annexa est obligatio sigilli de Jure divino, ut differunt Emin. Card. de Lugo *de Pœnit. disp.* 23. *num.* 39. & Aversa *quæst.* 8. *sect.* 5. *concl.* 7.

Ad Quintum respondetur; esse quidem in Ecclesia duplex Forum: Publicum, seu externum, 20
& Secretum, seu internum; sed in foro publico, ac externo Ecclesiam non habere auctoritatem dimittendi peccata quo ad culpam; sed ea corrigendi atque puniendi per censuras, donec contumaces emendentur; & recendente contumacia, absolvantur ab excommunicatione, & aliis pœnis spiritualibus, ob publica peccata inflictis, quæ absolutio appellatur reconciliatio. At absolutio à peccatis quo ad culpam fit tantummodo in foro interno à ministro Sacramenti Pœnitentiæ per absolutionem Sacramentalem; quæ quidem Sacramentalis absolutio est una, & eadem; sivè manifestatio delictorum facta fuerit secretè à pœnitente, sivè publicè ex ejus spòntanea voluntate; ut optimè distinguendo docet Mastrius *d. disp.* 5. *in* 4. *Sent. num.* 465.

Ad Sextum respondetur, negando illam conse- 21
quentiam, quandoquidem Clemens Papa VIII. damnavit Confessionem per scripturam, missam Sacerdoti absenti, non respectu voluntariæ publicitatis; sed ex aliis motivis, nempè quòd peccata scripta, & delata Sacerdoti absenti possunt publicari contra voluntatem pœnitentis; ac præcipuè quòd absolutio si daretur à Sacerdote pœnitenti absenti, iste posset esse irretitus nova culpa mortali, & incapax absolutionis; ideòque ob hæc, & alia multa inconvenientia prohibita fuit confessio, & absolutio absentis per scripturam. Mastrius *d. disp.* 5. *num.* 466.

Ad Septimum respondetur; quòd tunc urge- 22
ret inconveniens in eo consideratum, quando esset præceptum confitendi publicè peccata secreta, & occulta; hoc autem nemo potest asserere: imò contrarium fuit à S. Leone Papa statutum, ut supra notatum est, & legitur etiam in ejus *Epist.* 8. *cap.* 2. quam refert Illustriss. Sarnellius *in Basilicographia d. cap.* 17. *num.* 6. ideòque cùm sit permissa publica Confessio ex spontanea voluntate pœnitentium, & ex urgentibus motivis tantùm, communi cœtui fidelium non potest oriri difficultas circa accessum ad hoc Sacramentum.

Ad

Ad Ultimum respondetur, quòd reconciliatio
23 peccatorum, quæ fit ab Episcopo, prout præscribitur in Pontificali Romano, non est absolutio à peccatis quo ad culpam; sed absolutio à pœnis spiritualibus, quibus ipsi peccatores publici sunt affecti ob eorum publica, & enormia peccata; quorum causa iisdem publica pœnitentia fuit injuncta; juxta tex. *in cap. In capite.* 50. *dist.* quem refert Fagnanus *in cap. Manifesta. num.* 3. *de Pœniten. & remission.* ubi declarat tres species Pœnitentiæ, scilicet Solemnem, Publicam, ac Privatam; quas duas primas à solo Episcopo, vel alio per eum delegato, ait, esse imponendas; tertiam verò, à Confessario in foro Sacramentali, & secreto; adeòut ex magis approbata opinione Canonistarum, ac Theologorum, quos
24 cumulat Fagnan. *ibid num.* 18. non sit licitum Confessario imponere publicam Pœnitentiam in foro Pœnitentiali, quamvis publica, & notoria peccata Pœnitens confessus esset, ne indirectè videatur frangere sigillum Confessionis. Igitur quando fit publicorum reconciliatio delinquentium, juxta formam in Pontificali Romano præscriptam, non absolvuntur à peccatis, sed à pœnis Ecclesiasticis, quibus ob peccata publica, & enormia erant irretiti, nempè censuris, & aliis inhabilitatibus; nam Ecclesia in foro externo, & publico, ut dictum est, non absolvit à peccatis quo ad culpam; quia talis absolutio est propria fori Sacramentalis, & datur à Sacerdote tanquam ministro Sacramenti Pœnitentiæ; ut in puncto respondet Mastrius *d. disp.* 5, *in* 4. *Sent. num.* 465. subdens, quòd *nec Scotus, nec ullus Doctor, quem viderit, ait: Ecclesiam in hoc foro publico auctoritatem habere dimittendi peccata, sed bene illa puniendi, & corrigendi per Censuras, quando ad forum externum sunt deducta.* Concordat Leo *in Praxi Pœnitentiariæ Part.* 1. *de Forma Votor. Vers. At non est eadem ratio pag.* 22. dicens, quòd *absolutiones à peccatis jure divino exigunt Sacramentalem Confessionem. Et part.* 4. *in princ. Vers. Idemque; & multò magis, pag.* 401. ubi docet, dispensationes esse concedendas in foro exteriori, *præter culpam, quæ quando adest, necesse est, ut tollatur per Sacramentalem Confessionem, & in foro interiori.*

Porrò sæculis anteactis enormium culparum, publicè commissarum, & scandalum toti populo ingerentium, publica Confessio, & publica Pœnitentia erat in usu, ut constat ex Historiis supra relatis, ac in Annalibus Ecclesiasticis, in quibus frequentia, eaque eximiæ pietatis, & contritionis habentur exempla, inter quæ illa Ludovici Pii Imperatoris,
25 Henrici IV. Germaniæ Regis, Sveonis Regis Daniæ; Guilielmi Primi Angliæ Regis, ac aliorum Principum pœnitentium, quos summatim refert Spondanus *in Indice ad Annal. Verb. Pœnitentia*; & Rainaldus in eorundem Annalium prosecutione, *Anno* 1218 *num.* 36. de antedicto Othone Imperatore; *& Anno* 1339. *num.* 67. *& seq.* de Albuino, ac Mastino Scaligeris, qui Episcopum Veronensem occiderant; necnon *Anno* 1345. *num.* 13. de Jacobo Rege Majoricæ, qui in Consistorio Papali coram Cardinalibus, & Clemente VI. Summo Pontifice publicè confessus est homicidium, quod in personam filii Arnaldi Domini Roccasolii commiserat, petens suppliciter veniam, ac absolutionem. Nunc recesserunt ab aula publicæ Pœnitentiæ, quamvis eas ad praxim iterùm reduci, *quando ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, undè alios scandalo offensos, commotosque fuisse, non sit dubitandum*, cupiat Concil. Tridentinum *sess.* 24. *de Ref. cap.* 8. & in Concil. Provin. Mediolanen. III. *in tit. de iis, quæ ad Pœnitent. Sacramental. pertinent.* §. *Suadeat Episcopus*, præceperit S. Carolus Bor-26 romæus; ac opere compleverit, dum Officiales Regios, à quibus ministri Curiæ suæ Archiepiscopalis læsi fuerant, censuris irretitos, publicè pœnitentes absolvit in porta majori Ecclesiæ Metropolitanæ, ut narrat Giussanus *in ejus Vita libr.* 2. *cap.* 24. At, hodie raras esse hujusmodi publicas Confessiones, ac pœnitentias, dicendum est, quia, ut scribit Jo. Majoric. *in* 4. *dist.* 14. *q.* 2. *col. ult.* nunc parum proficerent; & utinam non pauci essent, qui etiam à Confessione auriculari, ac secreta non abstinerent.

DECISIO XVII.

ARGUMENTUM.

Probatur usus Confessionis Sacramentalis & secretæ ad aures Sacerdotum ab Exordio Ecclesiæ, per omnia subsequentia sexdecim sæcula, Testimonio Sacræ Scripturæ, SS. Patrum, & Conciliorum: necnon exemplis ab Historiis, vitisque Sanctorum desumptis.

SUMMARIUM.

1 *SS. Apostoli audiebant Confessiones Sacramentales.*
2 *S. Clemens Papa, & Martyr commendat Sacramentalem Confessionem.*
3 *S. Dionysius Areopagita reprehendit Confessarium nimis rigidum.*
4 *S. Irenæus agit de Confessione Sacramentali.*
5 *Exomologesis idem est ac Confessio Sacramentalis.*
6 *Gentiles cur adorari à Christianis virilia Sacerdotum dicerent?*
7 *Confessionis Sacramentalis usus in tertio sæculo, & num.* 8. *pro quarto sæculo.*
9 *S. Ambrosius in auscultandis Confessionibus Sacramentalibus assiduus.*
10 *Confessio usitata in quinto sæculo.*
11 *S. Jo. Chrysostomus Confessiones Sacramentales audiebat.*
12 *Sexti Sæculi testes usitatæ Confessionis.*
13 *Septimi sæculi alii testes.*
14 *Pipinus Dux Neustriæ quanta humilitate accedebat ad Confessionem Sacramentalem Anno* 631.
15 *Octavi sæculi probationes usus Confessionis Sacramentalis.*
16 *Noni sæculi testimonia Confessionis prædictæ.*
17 *Gloria, Laus, & Honor, &c. ut in die Palmarum quis auctor?*
18 *Decimi sæculi probationes pro Confessionis praxi.*
19 *Undecimi sæculi de eadem testes.*
20 *Diabolus non potest propalare peccata Confessa Sacerdotibus.*
21 *S. Bernardus, & Magister Sententiarum testantur usum Confessionis Sacramentalis sæculo XII.*
22 *Concilium Lateranense IV. Anno* 1225. *præcepit semel saltem in Anno confiteri peccata.*
23 *Doctores de Confessionis Sacramentalis usu tractantes in sæculis XIV. XV. & XVI.*

24 *Petrus de Osma Hæreticus damnatus Anno* 1478.

25 *Joannes Wicleff damnatus tanquam Hæreticus Anno* 1438.

DIximus in præcedenti Decisione *num.* 2. Confessionem Sacramentalem esse faciendam secretè ad aurem solius Sacerdotis ex institutione, & mandato Christi, ut definitum est à Concilio Tridentino *sess.* 14. *Can.* 6. ibidem relato; qui quidem Canon tollit omnem dubitandi ansam; quia reddit hanc veritatem infallibilem, cùm emanaverit in Concilio Oecumenico confirmato à Summo Pontifice, ut bene docet Fagnanus *in cap. Majores. n.* 36. *de Baptismo*; Nihilominus ad majorem studiosorum intelligentiam, ac eruditionem, non me piget hic summatim referre auctoritates, ac testimonia tum Sacræ Scripturæ, tum Sanctorum Patrum, quibus manifestè demonstratur, auricularem, & secretam Confessionem peccatorum ad aures Sacerdotis ab initio Ecclesiæ, ac tempore Apostolorum incœpisse, & semper continuatis temporibus fuisse in usu.

Et equidem pro primordio Ecclesiæ, facta Sacramenti Pœnitentiæ institutione à Christo Domino, ut ostendimus *Decis. XII. num.* 1. & 2. ejusdem Sacramenti administrationem exercuisse Apostolos, testantur eorum Acta *cap.* 19. *vers.* 18. in illis verbis:

1 *Multique credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos.* Versio Syriaca legit *offensas suas*; quod, ut notat ibidem Tirinus, de secreta, & particulari Confessione, quæ fit in Sacramento Pœnitentiæ accipit Oecumenicus, Hosius, Ruardus, Tappetus, Gagnejus, Baronius, Salmeron, Sanchez, Bellarminus, Valentia, à Lapide, & alii. Et cùm scribat Jacobus Apostolus *cap.* 5. *vers.* 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra*; & Evangelista Joannes *in Epist.* 1. *cap.* 1. *vers.* 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus Deus, ut nobis peccata nostra dimittat:* utique demonstratur usus Confessionis Sacramentalis ad aures Apostolorum, ac Sacerdotum subindè ab eis ordinatorum ad remittenda peccata confitentium; quia, ut ait Tirinus in Indice Tertio *Controversiar. Fidei Controv.* 23. *num.* 7. Sacerdotes non poterant rectè judicare de peccatis, nisi illa cognoscerent; cognoscere autem non poterant, nisi pœnitentes illa aperirent. Hinc S. Clemens Papa, & Martyr,

2 qui fuit discipulus SS. Apostolorum Petri, & Pauli, juxta illud *ad Philippenses cap.* 4. *num.* 3. *Adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ*; & qui Pontifex creatus fuit Anno Domini 93. Domitiani verò Imperatoris Decimo; in sua Epistola secunda ad Corinthios, loquens de Confessione Sacramentali, hæc habet: *Quamdiu sumus in hoc mundo, de malis, quæ in carne gessimus, ex toto corde resipiscamus, ut à Domino salvemur; dum habemus tempus pœnitentiæ: Postquam enim è mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri, aut pœnitentiam agere:* ubi per pœnitentiam intelligit satisfactionem, per Confessionem verò, secretam peccatorum coram Sacerdote accusationem. Sed &

3 S. Dionysius Areopagita, qui pariter fuit Divi Pauli Apostoli discipulus, reprehendens Demophilum Sacerdotem, qui alium ei sua peccata confitentem rigidè increpaverat, ac repulerat, *Epist. VIII.* ita scribit: *Tu verò, ut tuæ Litteræ indicant, procidentem Sacerdotem Sacerdoti, impium, ut ais, atque peccatorem, nescio quo pacto, contra disciplinæ ordinem, adstans calce abjecisti, ac repulisti: cùm ille quidem verecundè (quod oportuit) fateretur, sed ad peccatorum remedia quærenda veniisse: neque exhorruisti insuper, & Sacerdotem optimum lacerare conviciis, miserabilem eum dicens, qui pœnitentem, atque impium justificasset.* En itaque usus auricularis, ac Sacramentalis Confessionis in primordio Ecclesiæ, in primoque Christi nati sæculo; ut disserit Eminentiss. Cardin. Baronius *Anno ejusdem Redemptoris LVI.* Spondanus *eodem Anno num.* 6. & novissimè Gaspar Ivenim *in Commentar. Histor. & Dogmat. de Sacramentis Dissert.* 6. *quæst.* 5. *cap.* 1. *art.* 2. §. 1.

Secundi verò sæculi, ejusdem Confessionis Sacramentalis usus testes sunt S. Irenæus, Tertullianus, ac Minutius Felix, qui eodem sæculo secundo vive- 4
bant. S. Irenæus Episcopus, & Martyr, qui S. Polycarpum Joannis Apostoli discipulum præceptorem habuit, scribens reversionem ad Ecclesiam quarumdam mulierum Rhodanensium, quam Magus, nomine Marcus, seduxerat; *libr.* 1. *adverss. hæreses cap.* 9. ait: *Hæ sapissimè conversæ ad Ecclesiam Dei confessæ sunt*; & de alia Diaconissa: *omne tempus in Exomologesi consummavit, plangens, & lamentans ob hanc, quam passa est ab hoc Mago, corruptelam.* Per exomologesim autem veteres Patres semper intellexisse Sacramentalem Confessionem probat Emi-
nentiss. Cardin. Baronius, & ejus compilator Spon- 5
danus *d. Anno* 56. *num.* 6. & 7. ubi ex eodem S. Irenæo *libr.* 3. *cap.* 4. *in fin.* advertunt, etiam Cerdonem Hæresiarcham sæpè exomologesim, idest Confessionem Sacramentalem fecisse; sed ad vomitum pravorum dogmatum essereversum. Tertullianus fusè explicat, quid esset exomologesis *de Pœnitentia cap.* 8. & 9. describensque *ibid.* tres Pœnitentiæ partes, dolorem, Confessionem delictorum, ac satisfactionem, ita apertè loquitur de Sacramentali, auricularique Confessione, ut de ea nemo orthodoxæ mentis possit dubitare, teste Pamellio, & aliis doctissimis viris ab eodem Eminentiss. Baronio, & Spondano, ubi proximè allegatis. Sed & in libro *de Baptism. cap.* 20. Tertullianus demonstrat ejusdem Confessionis usum in illo tempore, dum narrata publica Confessione peccatorum suorum, quam tunc faciebant Catechumeni, subdit: *Nobis gratulandum est, si non publicè confitemur iniquitates, aut turpitudines nostras.* Influit in hanc veritatem Minutius Felix 6
ejusdem Tertulliani contemporaneus, referens calumniam in Christianos conflatam à Gentilibus, qui dicebant, *ipsos adorare solitos virilia Sacerdotum*; quia; ut exponit Eminent. Card. Baronius *d. Ann.* 56. cùm illi ad eorum genua procumbentes, suaque illis confitentes peccata, summisse veniam deprecarentur, apud Gentiles hæc non intelligentes, ejusmodi nefanda invaluit existimatio.

Tertii sæculi testes sunt sequentes circa usum Sacramentalis Confessionis, quos recensent Emin. Baronius, & Spondanus *d. Ann.* 56. *n.* 6. & 7. & Ivenim *d. art.* 2. §. 2. videlicet: Eusebius *lib.* 5. *cap.* 27. reci- 7
tans, Natalium Hæreticum suam emologesim fecisse Romæ coram Zepherino Pontifice, qui Petri Cathedram ascenderat Anno 203. eamque fuisse facturum Marcionem, nisi morte præventus impeditus fuisset, ut asserit Tertull. *de Præscriptionib. adverss. hæreticos.* Origenes, qui vivebat Anno 226. pluribus in locis suorum operum de Sacramentali Confessione loquitur, quæ referuntur ab Emin. Card. Baronio, Spondano, & Ivenim ubi supra; & præcipuè *Homil.* 2. *in Levitic.* in illis verbis: *Est adhuc & septima, licèt dura, & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum; cùm lavat peccator in lacrymis stratum suum,*

suum, & sunt ei lacrymæ suæ panes die, ac nocte, & cùm non erubescit, Sacerdoti Domini indicare peccatum suum. Et homil. 2. in Psal. 37. Data similitudine evomentium ad liberandum stomachum ab indigestione, ait de peccatore; *Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam.* S. Cyprianus Episcopus, & Martyr, qui floruit Anno 250. frequenter loquitur de peccatorum Confessione; utpotè *in libro de lapsis*, dum ait: *Confiteantur singuli, quæso Vos fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in sæculo est; dum admitti ejus Confessio potest.* Et infra: *Apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, &c.* Et *Epist. 10. Secundum disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, &c.* & relictis pluribus aliis locis, per supracitatos Auctores relatis, *Epist. 52. in fine* subjungit; *Apud inferos confessio non est, nec exomologesis illis fieri potest: qui ex toto corde pœnituerint, & rogaverint, in Ecclesiam debent interim suscipi.* Sed hoc idem concludenter probat exemplum S. Fabiani Papæ, qui Pontificatum gessit *ab Anno* 238. *usque ad Annum* 252. noluit enim Sanctus Pontifex communionem Ecclesiasticam Philippo Imperatori Christiano impartiri, nisi priùs confessus fuisset peccata sua, & inter pœnitentes se collocasset; ut tradit supracitatus Eusebius *lib. 6. cap.* 27. & referunt Eminentiss. Cardin. Baronius, ac Spondanus *ad Annum Christi* 56. *num.* 7. nec non Illustriss. Sarnelius *in Basilicographia cap.* 18. *num.* 5. Nec omittendus Lactantius Firmianus, qui in hoc tertio sæculo vixit; ipse enim *lib.* 4. *Instit. cap.* 17. comparat Sacramentalem Confessionem Circumcisioni Mosaycæ ob pudorem partis, quæ erat denudanda; subdens: *ob hanc causam Deus nudari eam jussit, ut hoc argumento nos admoneret, ne involutum pectus haberemus, idest, ne quod pudendum facinus intra conscientiæ secreta velemus. Hæc est cordis circumcisio, de qua Prophetæ loquuntur, quam Deus à carne mortali ad animam transtulit, quæ sola mensura est. Videns enim vitæ, ac saluti nostræ pro æterna sua pietate consulere, pœnitentiam nobis in illa circumcisione proposuit; ut si cor mundaverimus, idest si peccata nostra confessi, satis Deo fecerimus.* Refertur etiam à Soto *in* 4. *dist.* 18. *q.* 1. *art.* 1. *column.* 19.

Quarti sæculi ampliora reddunt testimonia tum Latini, tum Græci SS. Patres, in eo viventes. Horum unus est S. Pacianus Episcopus Barcin. qui in
8 Paræneſi ait: *Tertiò de his erit sermo, qui confessis bene, apertisque criminibus remedia pœnitentiæ, actusque ipsos Exomologesis administrandæ aut nesciunt, aut recusant:* & subinde invehit contra illos, qui dimidiabant Confessionem, tacentes præ verecundia aliqua peccata. Ergo Sacramentalis, & auricularis confessio eo tempore erat in usu. Idem confirmat S. Hilarius Pictavienſis Episcopus, qui *Commentar. in Matthæum* de eadem agens, inquit: *Ad terrorem autem metus maximi, quo in præsens omnes continerentur, immobile severitatis Apostolicæ judicium præmisit, ut quos in terris ligaverint, idest peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos solverint, Confessione videlicet veniæ receperint in salutem, hi Apostolica conditione sententiæ in cœlis quoque absoluti sint, aut ligati.* De S. Ambrosio Mediolanenſi, & Ecclesiæ Doctore Pau-
9 linus Presbyter, qui ejus vitam scripsit, manifestè narrat, eum assiduum fuisse in audiendis Sacramentalibus plebis suæ Confessionibus; & tanta cum charitate, ut *quotiescumque illi aliquis ob peccatum pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut & illum flere compelleret.* Hinc ipse Sanctus Doctor *in libro de Paradiso*, quem refert Scotus *in* 4. *dist.* 17 *qu. Unic. in princ.* ait: *Non potest quisquam justificari à peccato, nisi ante fuerit peccatum confessus.* In Orientali Ecclesia S. Basilius plura est de Confessione Sacramentali locutus; expressè autem *Interrogat.* 129. in illis verbis: *Ut vitia corporis nequaquam quibusvis homines aperiunt, sed his tantum modò, qui rationem, qua curanda sunt, teneant; eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet apud eos videlicet, qui ea possunt curare.* Et inferiùs *Interrogat.* 228. *Necessariò iis peccata aperiri debent, quibus est credita dispensatio Mysteriorum Dei.* Et cum eo concordat S. Gregorius Nissenus in Oratione ad eos, qui duriùs, & acerbiùs alios judicant, dicens: *Afflictionis participem, & socium sume Sacerdotem, & Patrem; audacter ostende illi, quæ sunt recondita, animi arcana, tanquam occulta vulnera Medico retege; ipse honoris, & valetudinis tuæ rationem habebit.* Idem Sanctus in Epistola *ad Letojum, Melitines Episcopum, cap.* 5. hæc habet: *Qui autem occulta subtractione sibi alienum usurpat, ac deindè per Confessionem peccatum suum Sacerdoti aperit; studio, quod circa contrarium illius vitii adhibebit, morbum curabit.* Eorumdem Sanctorum loca alia consimilia allegantur ab Emin. Card. Baronio, & à Spondano *d. Ann.* 56. *num.* 7. nec non ab Ivenino *d. art.* 2. §. 3.

Quinti sæculi crescunt de usu Sacramentalis Confessionis ad aures Sacerdotis faciendæ attestatio- 10
nes. Innocentius Papa I. in Epist. ad Decentium Episcopum Eugubinum, data *Ann.* 416. *cap.* 7. sic loquitur: *Cæterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confessionem pœnitentis, &c.* S. Celestinus electus Papa *Ann.* 432. hujusmodi indixit Decretum, quod legitur *in cap. Non debet.* 30. *q.* 1. videlicet: *Non debet Episcopus, vel Presbyter commisceri cum mulieribus, quæ ei sua fuerint confessa peccata;* deindè subdit pœnam hoc facinus patrantibus. Ergo frequentabatur Sacramentalis, ac auricularis Confessio peccatorum. S. Simplicius electus Papa *Anno* 467. constituit, ut ad SS. Petrum, & Paulum Apostolos, ac apud S. Laurentium Presbyteri ibi manerent propter Pœnitentes, & Baptismum, teste Anastasio Biblioth. in Concil. Ticinen. *cap.* 6. ubi ita cavetur: *Qui occulte deliquerunt, illis confiteantur, quos Episcopi, & plebium Archipresbyteri idoneos ad secretiora vulnera mentium medicos elegerint.* S. Hieron. in eodem sæculo scriptis Ecclesiam illustrans meminit hujuscemodi Sacramenti non semel, ut videre est apud Emin. Cardin. Bellarminum; hic ejus verba notanda *lib.* 3. *in Matth. cap.* 16. nempè cùm exposuisset accessum leprosorum ad Sacerdotes legis veteris: *Quomodo ibi leprosum Sacerdos mundum, vel immundum facit: sic & hic alligat, vel solvit Episcopus, & Presbyter, non eos, qui insontes sunt, vel noxii, sed pro officio suo, cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, vel solvendus.* Ampliora scribit S. Augustinus relatus ab eodem Eminentiss. Bellarmino, ac Baronio, & Spondano ubi supra; notentur ejus verba *Homil.* 27. *de Lazaro cap.* 3. *Elevatus est Lazarus, processit de tumulo, & ligatus erat: sicut sunt homines in Confessione peccati agentes pœnitentiam; jam processerunt a morte: nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri, ab occulto, & tenebroso procedere est, &c.* His consonat S. Leo Papa, qui in *Epistol.* 78. *ad Universos Episcopos per Campaniam Anno* 459. reprehendit illos, qui obligabant fideles

ad confitendum publicè peccata sua occulta addens, *removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur. Sufficit enim illa Confessio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.* Habetur *in Vol. 2. Concilior. pag. 86.* & legitur in *cap. Sufficit, de Pœnitent. dist. 1.* Idem Sanctus *Epist. 82.* subjicit: *Mediator Dei, & hominum homo Christus JESUS hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eosdem salubri Confessione purgatos ad Communionem Sacramentorum per Januam Reconciliationis admitterent.* Præclara verò sunt testimonia Divi Joannis Chrysostomi magni Ecclesiæ Doctoris, qui mortem obiit circa Ann. Domini 407. & ejus loca de Confessione allegantur per Spondanum *d. Anno 56. num. 10.* ita dicentem: *S. Joannes Chrysostomus multus est in admonendis Sacerdotibus, ne quemquam permittant ad mensam Domini accedere, quem aliqua improbitate, aut sordibus teneri sciverint: idemque sæpè demonstrat fuisse suis temporibus in Ecclesia & pœnitentes, & Presbyteros, qui eis absolutionem criminum impertirent; ac peccatorum Confessionem præcedere consuevisse Eucharistiæ sumptionem.* Non pigeat hic sequentia ejusdem Sancti Doctoris verba transcribere; videlicet *lib. 2. de Sacerdotio: Multa quidem arte opus est, ut qui laborant Christiani, ultrò sibi persuadeant Sacerdotum curationi sese submittere oportere.* Et Homil. 20. *Qui voluerit, ut decet, uti conscientiæ adjumento ad Confessionem facinorum festinare; medico ostendere ulcus, qui curet, & non exprobret; atque ab illo remedia accipere, & soli ei loqui nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentia; facile sua peccata emendabit; Confessio enim peccatorum abolitio est delictorum.* Quid clarius
11 de usu Sacramentalis, secretæque Confessionis? Ipse Sanctus adeò erat proclivis, ac paratus in audiendis Sacramentalibus Confessionibus, ut solitus esset dicere populo: *Si quando contigerit ex vobis peccare aliquem, accedit ad me dormientem;* nimirum pro Confessione facienda, & reportanda absolutione, teste Metaphraste in vita ejusdem Sancti, quem refert Eminentiss. Card. Baronius *d. Anno 56.*

Sexti sæculi tres testes observat, Sanctum Cæsarium, Sanctum Gregorium Magnum, & Joannem
12 Patriarcham Constantinopolitanum. Sanctus Cæsarius Arelatensis, qui obiit Anno 540. *in Homil. 14.* quæ legitur *to. 8. Bibliothec. Patr.* hortatus peccatores, ut de Dei misericordia non desperent, & ad pœnitentiam recurrant, contra impœnitentes sic loquitur: *Si verò peccata peccatis cœperit addere, & animarum vulnera tegendo, vel defendendo putrescere; quæ confitendo, & pœnitentiam agendo curare noluit, timendum est, ne in illo impleatur illud, quod Apostolus dixit: An ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, &c.* Ergo per Confessionem, utique Sacramentalem, & auricularem vulnera animæ curabantur, ideſt peccata, quæ tegendo putrescebant. Sanctus Gregorius Magnus, qui vixit usque ad Ann. 594. *in Homil. 26. super cap. 20. Joannis,* disserit de necessitate Confessionis Sacramentalis ad similitudinem Lazari revivisentis, quem Christus jubet discipulis solvere à ligaminibus, & inter cætera Sanctus Pontifex ait: *Intuendum est, quòd illos nos debemus per Pastoralem auctoritatem solvere, quos Auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare. Quia nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsa jam cognoscitur Confessione peccati. Unde & huic ipsi mortuo Lazaro nequaquam dicitur, revivisce: sed, Veni foras. Omnis quippè peccator, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur: Sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur.* Et paulò post: *Veniat itaque foras mortuus, ideſt culpam confiteatur peccator; venientem verò foras solvant discipuli, ut Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.* En manifesta demonstratio usus Sacramentalis Confessionis prædicto sæculo sexto. Sed & Joannes, appellatus Jejunator, qui Anno 586. electus fuit Patriarcha Constantinopolitanus, in suo libello Pœnitentiali, sic inducit Sacerdotem loquentem erga peccatorem: *Spiritualis Fili, ego Confessionem tuam primariò, & præcipuè non recipio, nec tibi absolutionem concedo, sed per me Deus: cum secundum multam, quæ exprimi non potest, ejus misericordiam, ita dixit: Quæcumque ligaveritis, aut solveritis super terram, erunt in cœlis illa quidem ligata, hæc verò soluta. Revela igitur, & declara coram Sanctis Angelis; nihilque me cela eorum, quæ à te clam facta sunt, velut si Deo occultà cordium cognoscenti confiteris.* His stantibus, quis negare poterit prædicto tempore in Ecclesia tum Occidentali, tum Orientali usum Sacramentalis, ac secretæ Confessionis peccatorum ad aures Sacerdotum?

Septimi sæculi testis est Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis, qui obiit *Anno* 690. qui reli- 13
quit Pœnitentialem librum, ideſt regulam imponendi Pœnitentias confitentibus peccata sua, de quo Pontificale Damasi in Vitaliano, nec non Venerabilis Beda in libello de remediis peccatorum, in quo distinguit inter crimina publica, & occulta; ac utrorumque Confessionem. Testis est Erbertus Archiepiscopus Eboracensis, qui consimilem tractationem evulgavit, ut notat Ivenim *d. Dissert. 6. quæst. 5. cap. 1. art. 2. §. 6.* ubi hanc ejusdem Erberti formulam Confessionis Sacramentalis transcribit: *Confiteor, quia peccavi nimis in sermonibus vanis, & immundis, & turpibus, & otiosis, ac nocivis. Confiteor alias cordis mei & dolositates, & invidias, detractiones, impatientias, convitia, contentiones, dijudicationes, &c.* Ulteriùs testis est Pipinus Dux Neustriæ Tutor Dagoberti Regis Francorum; de cujus eximia Religione legitur in Vita S. Vironis Scotiæ 14
Episcopi, quòd cùm accederet ad Confessionem Sacramentalem, sibi calceos detrahebat in signum reverentiæ, ac pœnitentiæ simul, ut narrat Surius *die 8. Maji*; & referunt Emin. Card. Baronius, & ejus Compilator Spondanus, ac Rainaldus *ad Annum Christi 631. num. 8.*

Octavi sæculi sequuntur testimonia Capitularis, 15
seu Instructionis ad Confessiones tum publicas, tum Sacramentales secretas, quas statuerunt pro Sacerdotum, ac plebium doctrina Chrodegangus Episcopus Metensis, & Isacius Episcopus Lingonensis, quorum Decreta de verbo ad verbum transcribit Ivenim, *d. §. 6.* è quibus invincibiliter convincitur, quòd fideles populi confitebantur ad aures Sacerdotum peccata sua fluentibus ejusdem octavi sæculi annis. Concordant, quæ scripsit S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus Zachariæ Papæ *Anno* 745. de Adelberto Gallo hæretico, & hypocrita, qui populis coram se genuflectentibus, ut sua peccata confiterentur, solitus erat dicere: *jam agnosco peccata tua, non est opus alia Confessione*, ut *ad d. Annum* 745. *num* 27. observat Emin. Cardin. Baronius, qui subinde *Anno*

778.

778. *num.* 23. aliud porrigit testimonium, scilicet Albinum Alcuinum Anglum, Bedæ Discipulum, eoque vivente, qui, *Epistola sua* 26. *ad Scotos scripta*, repressit hæresim tunc insurgentem, ac docentem, Confessionem peccatorum non esse faciendam Sacerdotibus, sed soli Deo; undè deducitur certè, quòd ipsa Confessio Sacramentalis eo sæculo erat in usu, dum eam hæretici destruere conabantur.

Noni sæculi eundem usum testatur Epistola
16 Theodulphi Abbatis Floriacensis, ac Episcopi Aurelianensis per eum scripta ad suum Clerum, & relata per Cardin. Baronium *ad Annum Domini* 835. in qua *à num.* 18. *& seqq.* agit de utilitate Sacramentalis Confessionis, quæ sit ad aures Sacerdotis, & hortatur Clerum ad ejus frequentiam. Prædictus Theodulphus est auctor Carminum : *Gloria,*
17 *Laus, & Honor tibi sit Rex Christe Redemptor, &c.* quæ canit Ecclesia in Processione Dominicæ Palmarum, ut notat Eminentissimus Baronius *ad d. Annum* 835. *num.* 4. composita ab eodem Theodulpho, dum Andegavi detineretur in carcere ob conjurationem adversus Ludovicum Pium Imperatorem; cumque ea cecinisset è fenestra carceris, cùm Ludovicus illac transiret, adeò delectatus est versibus illis, ut continuò jusserit eum liberari, & ob prærogativas ejus scientiæ, ac pietatis eundem ad Episcopatum Aurelianensem promoverit. Cæterum Magrius *in Hierolexic. Verb. Palmarum festum* negat, Theodulphum fuisse eorundem carminum auctorem, fretus auctoritate Alcuini, qui *lib.* 1. *de Divin. Offic. cap.* 14. ipsorum versuum mentionem facit, & tamen obiit secundùm Cardin. Baronium *Anno* 804. ac consequenter triginta annis ante prædictam conjurationem; subdens propterea, Theodulphum Episcopum Aurelianensem unà cum cæteris complicibus fuisse è carcere liberatum occasione nuptiarum Lotarii Ludovici filii, ut refert Canisius *tom.* 5. *antiq. lect. part.* 3. Antedictæ Epistolæ junguntur Canones Conciliorum hoc nono Sæculo sub Carolo Magno Imperatore celebratorum, videlicet Turonen. *Can.* 22. Cabilonen. 2. *Can.* 32. *& Can.* 45. Parisien. *lib.* 1. *cap.* 13. & Vormatien. *Can.* 25. in quibus ex professo agitur de Sacramentali Confessione peccatorum ad aures Sacerdotum facienda; & partim reprehenditur incuria, vel insciti Sacerdotum in ipsis Confessionibus excipiendis, partim redarguitur pigritia populorum in eis frequentandis, ut quilibet legere possit in iisdem Canonibus, quos transcribunt Ivenim *d. art.* 2. §. 6. & Gonzalez *in Comment. ad cap. Omnis utriusque sexus. num.* 7. *de Pœnitent. & Remission.*

Decimi sæculi sufficiat testimonium Radulphi
18 Flaviacensis, qui floruit circa Annum 910. & scripsit in Leviticum libros viginti; & libros 14. in Epistolas Divi Pauli. Hic *lib.* 3. *in Levit. cap.* 7. ad illa verba: *Qui non potest offerre oves, offerat similam*; sic loquitur: *Quid est similа? Nisi latentium cogitationum, & criminum, quibus peccator sibi soli notus est, per Confessionem expositio intelligitur. Quod in potestate habet, faciat. Similam offerat, & mala, quæ apud se celabat, per Confessionem Sacerdoti prodat; supra quippe diximus, cogitationum subtilitatem per Similam designari.* Igitur decimo sæculo crimina sua fideles Sacerdotibus Sacramentaliter confitebantur.

Undecimi Sæculi adhibendus testis Sanctus Pe-
19 trus Damianus S. R. Ecclesiæ Cardinalis Episcopus Ostiensis, qui vixit temporibus Gregorii VI. & successorum ejus, usque ad Gregorium VII. ad quos omnes Epistolas dedit; fuitque Vir Sanctus, & devotus; ac pœnitentiæ, & austeræ vitæ amator ardentissimus; qua de causa post multiplices instantias obtinuit facultatem dimittendi dignitatem, & Episcopatum, ac se recipiendi in eremum, ut fusiùs scribunt Emin. Cardin. Baronius *Anno* 1061. *& seqq.* & Cardin. Bellarminus *de Scriptorib. Eccles. Anno* 1060. Hic itaque Sanctus *Serm.* 58. *de S. Andræa* hæc ait: *Quartus gradus est Confessio oris: hæc purè facienda est, quia non est pars peccatorum dicenda, & altera reticenda.* Addatur quod legitur apud Surium *die* 19. *Maji* de S. Dunstano Archiepiscopo Cantuarienſi inter ejus miracula *Anno*
1048. patrata: Dæmonem scilicet invasisse Juve- 20
nem Monachum, cujus lingua concurrentium ad illum videndum manifestabat occultissima peccata; at eorum, qui ad Sacramentalem Confessionem recurrebant, & redibant, non poterat peccata confessa manifestare. Erat igitur usitata Sacramentalis Confessio peccatorum sæculo undecimo.

Duodecimi Sæculi intrant duo testes omni ex- 21
ceptione majores. Unus est Sanctus Bernardus Abbas Claravallensis, Vir planè Apostolicus, & non minus gloria miraculorum, quàm sapientiæ splendore illustris, qui floruit Anno 1130. & obiit Anno 1153. ætatis suæ sexagesimo sexto. Hic *in Sermone ad Milites Templi cap.* 12. ita loquitur: *Quid de Bethphage dicam, ubi, & Confessionis Sacramentum, & Sacerdotalis ministerii mysterium continetur? Et quidem verbum in corde peccatoris operatur salutiferam contritionem: verbum verò in ore noxiam tollit confusionem, nè impediat necessariam Confessionem. Non absolvant (Sacerdotes) etiam compunctum, nisi viderint confessum.* Alter testis est Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, qui eodem tempore floruit, hoc est *Anno* 1145. quo Gratianus, & sicut iste collegit Canones, & Canonistarum quasi Magister fuit; sic ille collegit sententias Sacrorum Theologorum, & Magister Sententiarum, ac Theologorum Scholasticorum dici meruit, & composuit quatuor libros Sententiarum, glossas Psalmorum, & Epistolarum. Porrò tantus Auctor *in lib.* 4. *dist.* 17. multa scribit de Confessione, quæ illius usum pro sæculo XII. demonstrant; hæc verò tantùm observet studiosus, *Sicut enim* (ait) *præcepta est nobis interior Pœnitentia; ita & oris Confessio, & exterior Satisfactio, si adsit facultas. Unde nec verè pœnitens est, qui Confessionis votum non habet.*

Decimi tertii sæculi non est opus testibus, dum in 22
eo, nimirum anno 1225. habitum est Oecumenicum Concilium Lateranense IV. sub Innocentio Papa III. in quo editus est Canon *Omnis utriusque sexus*, qui legitur *in Decretali lib.* 5. *tit.* 38. *de Pœnitent. & Remission.* in quo dispositum, & omnibus fidelibus fuit intimatum, *quòd omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad Annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in Anno proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam pro viribus studeat adimplere.*

Nec dicant sectariorum aliqui, tunc primùm institutam fuisse ab Ecclesia Romana Confessionem Sacramentalem. Quia cùm in dicto Concilio interfuerint Archiepiscopi septuaginta, inter quos Patriarchæ duo, Constantinopolitanus scilicet, ac Hierosolymitanus, pluresque Prælati Ecclesiæ Orientalis; item Episcopi quadringenti, & duodecim; ac etiam Abbates, Prælatique Regulares octingenti, & ultra; ut notat Illustriss. Baptaglinus *in Hist. Univers. Concilior. Ann.* 1215. *num.* 6. quomodo fieri

potuit, ut nullo contradicente ederetur ille Canon, si anteactis sæculis Confessio Sacramentalis, & auricularis in utraque Ecclesia Latina, & Græca non fuisset usitata, & de Præcepto? Sed circumscriptis tot, & tantis testimoniis, quæ hucusque recensita sunt, clarè constat ante editionem hujus Canonis Confessionem Sacramentalem in usu fuisse ob Bullam ejusdem Innocentii Papæ III. intimationis Cruciatæ ad redimendam Terram Sanctam, incipien. *Ad liberandam*, quæ in Bullario est XII. *& ultima*; concedens Indulgentiam euntibus ad militandum, vel adjuvantibus hoc bellum, contritis tamen, & confessis peccata sua. Ergo ante editionem Canonis *Omnis utriusque sexus* recepta erat in praxi per totam Ecclesiam Sacramentalis Confessio peccatorum.

Decimi quarti tandem, ac decimiquinti, & sexti
23 sæculorum non egemus testibus; quandoquidem extant plurimi, iique eximii Ecclesiæ Doctores tam Scholastici, quàm Canonistæ, qui de Sacramentali, auricularique secreta Confessione peccatorum tractant, ejus usum, ac necessitatem demonstrantes; quales sunt Angelicus Doctor Sanctus Thomas ac Seraphicus S. Bonaventura, qui floruerunt *Anno* 1265. & scripserunt *super* 4. *Sentent. dist.* 17. Joannes Duns Scotus *Anno* 1300. Durandus *An.* 1320. Mayron, Liranus, & Paludanus eodem tempore, Joannes Andræas Canonistarum Coriphæus *Anno* 1330. & Baldus *Anno* 1390. Antonius de Butrio, & Franciscus Cardinalis Zabarella Patavinus *Anno* 1410. Nicolaus Abbas Panormitanus, & S. Antoninus Archiepisc. Florentinus *Anno* 1440. & omissis Fælino, Sandæo, Cardinali Cajetano, Sylvestro, ac Tabiena Summistis *Anno* 1500. ac aliis multis; confirmatur constans praxis totius Ecclesiæ Catholicæ, ac fidelium confitendi Sacerdotibus secretè
24 peccata, & ab iisdem absolutionem recipiendi tum per Bullam XVII. Sixti Papæ IV. incipien. *Licet ea.* datam *die* 9. *Augusti Anno* 1478. in qua damnatus fuit tanquam hæreticus Petrus de Osma Hispanus, qui scriptis impugnaverat eandem Sacramentalem Confessionem; asserens solam cordis contritionem sufficere ad delenda peccata; tum per aliam præcedentem Bullam Martini Papæ V. incipien. *Inter cunctas diei* 22. *Februarii* 1438. per quam consimilem errorem inter cæteros Joannis Wicleff anathe-
25 matizavit, juxta Decretum Concilii Constantiensis *sess.* 8. *tom.* 4. *Concilior pag.* 269. tum demum per definitionem Concilii Trident. *de Confessione cap.* 5. *& de Pœnitent Sacram. Can* 6. *in sess. XIV.* quæ habita fuit sub Julio Papa Tertio *die* 25. *Novembris* 1551. ubi statutum fuit, *Anathema esse, negare necessitatem Sacramentalis Confessionis, vel dicere, modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum.*

DECISIO XVIII.

ARGUMENTUM.

Inquiritur, an in Casu necessitatis, absente Presbytero, licitum sit confiteri peccata coram Laico? Proponuntur Auctoritates, Rationes, & Exempla pro opinione affirmativa. Resolvitur disputatio sub distinctione; ex qua desumuntur responsiones ad argumenta contraria. Docetur, quid esset antiquitùs Reconciliatio publica Pœnitentium? Horum quinque gradus demonstrantur; & ostenditur, quo tempore cessaverit usus Pœnitentiæ publicæ, & qua de causa?

SUMMARIUM.

1 Alterutrum *significat* ad invicem.
2 *Canones dicentes confiteri posse Laico.*
3 *Glossæ idem asserentes.*
4 *Magister Sententiarum ejusdem opinionis. Declaratus, num.* 27.
5 *Rationes suadentes, Confessionem fieri posse Laico.*
6 *Exempla hoc idem confirmantia. Et num.* 30.
7 *Angli milites peccata sua ad invicem confitentur.*
8 *Diabolus in obsesso, qui manifestabat peccata adstantium.*
9 *Laico confiteri non licet ad habendam absolutionem: secus ad excitandam contritionem; vel habendum consilium; & num.* 13.
10 *Sacerdos qui non est, non potest absolvere à peccatis.*
11 *Lutheri error circa absolutionem in peccatis.*
12 *Laicus audiens Confessiones puniendus est in S. Officio Inquisitionis.*
14 *Laico confiteri nullo modo expedire videtur.*
15 *Laicus audiens Confessionem an sit obligatus ad sigillum?*
16 *D. Jacobus* cap. 5. vers. 16. *declaratur.*
17 *S. Augustinus* in cap. 1. de Pœnit. dist. 6. *exponitur.*
18 *Confessio coram Laico non est de præcepto: est repetenda coram Sacerdote.*
19 *Titulus coloratus non prodest pro absolutione data à Laico.*
20 *S. Augustinus* in cap. Sanctum de Consecr. dist. 4. *declaratur.*
21 *Reconciliatio publica. Pœnitentium quomodo, & à quibus fieret?*
22 *Antiquitas Orationum Ritualis Romani in commendatione animæ.*
23 *Laicus an possit absolvere ab excommunicatione?*
24 *Cap Fures,* 13. q. 2. *declaratum.*
25 *Contritio sola quando sufficiat pro recipienda S. Eucharistia.*
26 *Glossæ errantes circa Confessionem peccatorum.*
28 *Differentia inter necessitatem Baptismi, & Confessionis.*
29 *Attritus potest fieri contritus ex Dei auxilio absque Confessione.*
31 *Canones Pœnitentiales antiqui.*
32 *Pœnitentium publicè olim gradus quinque.*
33 *Pœnitentiæ publicæ usque ad quem sæculum fuerunt in usu?*

SEd hic dubitare aliquis posset, an in casu saltem necessitatis, deficiente Sacerdote, licitum sit pœnitentibus confiteri Laico peccata sua? Affirmativa sententia probatur Auctoritate, Ratione, & Exemplis. Siquidem Auctoritas desumitur.

Primò ex Epistola Divi Jacobi *cap.* 5. *vers.* 16. ubi ait: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.* Sed in his verbis nullam mentionem facit de Sacerdote. Ergo confessio fieri potest etiam Laico. Tan- 1
tò magis, quia *alterutrum* in jure significat *ad invi-*

invicem; ut in Authentico, collatione prima, titulo secundo, *De non eligendo secundò nubentes.* §. *Illud quoque dudum.* Et Collatione tertia titulo quarto *De Mandatis Principum.* §. *Deinde conveniens est.* Et ibi Glossa *in Verb. Alterutris.* Igitur si ad invicem est confitendum: etiam Laicis fieri potest confessio.

Secundò *ex cap.* 1. *de Pœnitent. dist.* 6. ubi S. Au-
2 gustinus sic scribit: *Tanta vis Confessionis est, ut si deest Sacerdos, confiteatur proximo. Sæpè enim contingit, quòd pœnitens non potest confiteri coram Sacerdote, quem desideranti nec locus, nec tempus offert. Et si ille, cui confitebitur potestatem solvendi non habet, fit tamen dignus venia ex desiderio Sacerdotis qui socio confitetur turpitudinem criminis.* Ergo deficiente Sacerdote licitum erit confiteri Laico peccata.

Tertiò *ex cap Sanctum est.* 46. *de Consecrat. dist.* 4. ubi idem S. Augustinus narrans, quòd in periculo naufragii pœnitens quidam dedit Baptismum uni petenti, subdit, quòd statim ipsemet pœnitens, *ne periculosè vitam finiret non reconciliatus, petiit ab eo ipso, quem baptizaverat, ut eum reconciliaret, ut factum est.* Sed reconciliatio pœnitentis fit per Confessionem criminum. Ergo hæc Laico fieri potest. Concordat S. Cyprianus *lib.* 3 *Epist.* 17. in qua præcipit, ut Laicus reconciliet Pœnitentem, si Presbyter non adsit.

Quartò: *ex cap. Fures* 13. *q.* 2. quod repetitum est *in cap.* 2. *extr. de Furtis.* ubi ex Concilio Triburiensi sic legitur sancitum: *Fures, & latrones si in furando, aut deprædando occidantur, visum est, pro eis non orandum. Si comprehensi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, Communionem eis non negamus.* Itaque si fieri potest confessio etiam Diacono; ergo non Sacerdoti possumus confiteri peccata.

Quintò ex Glossa *in Can. Unum Orarium.* 3. *in Verb.*
3 *Quia facilè.* 25. *dist.* ubi cùm textus dicat, quòd peccata venialia facilè dimittuntur, Glossa dicit: *Quia etiam Laico possumus ea confiteri, quamvis habeatur copia Sacerdotis: sed mortalia non confitebimur, nisi Sacerdoti, dummodò possit haberi ejus copia; alias Laico possumus ea confiteri.* Huic consentit alia Glossa *in cap. A nobis.* 28. *extr. de Sent. Excommunic.* ubi *in Verb. Non potuerit*, docet, quòd in casu necessitatis extremæ Laicus potest absolvere ab excommunicatione Episcopo reservata. Ergò multò magis à peccatis.

Sextò ex Magistro Sententiarum, qui *lib.* 4 *dist.* 17.
4 *E.* Quærit: An sufficiat confiteri Laico? & ibidem respondet, requirendum esse Sacerdotem: *Si tamen defuerit Sacerdos, proximo, vel socio est facienda Confessio.* Porrò præter has auctoritates videntur adesse plures rationes. Nam

Septimò, Pœnitentia est Sacramentum necessita-
5 tis sicut est Baptismus. Sed in casu necessitatis quilibet Laicus potest baptizare, *cap. in necessitate* 21. *de Consecrat. dist.* 4. Concil. Florentin. sub Eugenio IV. in Decreto circa Sacramenta *de Ministro Baptismi*; Et Concil. Trident. *sess.* 7. *de Baptismo, Can.* 4. Ergo etiam Laicus potest audire Confessionem Pœnitentium; imò etiam fœmina; ut docet Hostiensis *in tit. de Pœnit. & Remiss.* §. *Cui confitendum. Vers. Septimo tempore.*

Octavò: Confessio peccatorum instituta est, ut per eam pœnitens erubescat; siquidem erubescentia habet magnam partem remissionis; & fit venia criminis, *cap. Quem pœnitet.* 88. *de Pœnitent. dist.* 1. Sed pœnitens magis erubescere potest confitenda peccata sua homini Laico, quàm Sacerdoti. Ergo tanquam utilis potest Confessio fieri Laico.

Nonò: Confessio ad hoc ordinatur, ut homo eruditur ab homine, & cognoscat gravitatem peccatorum, recipiatque remedia eorundem. *cap. Quidam.* 90. *de Pœnitent. ead. dist.* 1. Sed hæc omnia possunt non rarò meliùs exequi homines Laici, & in Lege Dei optimè instructi, quàm rudes Sacerdotes. Ergo.

Decimò: Potest evenire casus mortis, in quo pœnitens sit tantùm attritus, & nesciat elicere actum contritionis, adeòut indigeat Confessione, ut ex attrito fiat contritus. Sed talis non fieret, deficiente Sacerdote, si non posset Laico confiteri. Ergo ne pereat, & ne damnationem incurrat æternam, poterit Laico confiteri. Hæ, & aliæ rationes considerantur pro hac opinione affirmativa à S. Thoma *in Supplem.* 3. *par. qu.* 8. *art.* 1. à S. Bonavent. *in* 4. *Sent. dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 1. à Gregorio de Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *qu.* 10. *punct.* 1. à Suarez *in* 3. *part. D. Thomæ tom.* 4. *disp.* 24 *sect.* 1. *num.* 7. ab Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Sacram. Pœnitent. disp.* 18. *num.* 6. novissimè ab Eminentiss. Cardin. de Lauræa, *eod. tract. disp.* 19. *art.* 1. & 2. Quibus rationibus adduntur sequentia exempla; videlicet:

Undecimò: Ernestus Alemanniæ Dux, Luitpoldi filius, Anno 1015. mortaliter vulneratus sagitta, 6
casu emissa inter venandum, supremumque vitæ diem è lethali vulnere sibi instare præsentiens, Laico homini; Sacerdote deficiente, peccata sua confiteri voluit, ut è Ditmari *Chronic. lib.* 7. refert Eminentiss. Cardin. Baronius, & cum eo Spondanus *ad d. Annum* 1015. *num.* 4. nec non Paulus Aringhius *in Triumpho Pœnitent. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 12.

Duodecimò: Narrat Æneas Sylvius (postea Romanus Pontifex nominatus Pius II.) quòd Henricus V. Angliæ Rex Anno Christi 1415. ingressus 7
cum exercitu Galliam, captis aliquot locis, Gallisque prælio victis; at non multò post ab iisdem undique cinctus pollicetur, se, si cum exercitu incolumi dimittatur, restituturum loca, quæ de iis cœperat. Negantibus Gallis, noctu (ita enim impetraverat inducias) vocatis ducibus, neque fugere, inquit, commilitones, neque pacem ex hostibus consequi possumus. Sola nos arma tueri possunt. Non est, cur tantum exercitum formidetis. Justam causam justus Deus adjuvabit. *Ite,* (notet Lector) *& alter alteri vestra peccata confitemini, pusillumque terræ ob memoriam Sacramenti Eucharistiæ Salvatoris alter alteri porrigite; crastina die liberabit nos Dominus ex manibus inimicorum.* Sic dimissa concione, peractis quæ jusserat, curare milites corpora præcipit. Orto die commissum est prælium; ceciderunt Gallorum millia quatuor, genere illustri, omnes captivos Henricus in Angliam duxit. Ita Æneæs Sylvius, relatus à Nauclero *in sua Chronolog. ad Annum Salvatoris* 1415. quam repetit Gobat *in Theologia Experim. tract.* 7. *num.* 1. ubi ait, observandos supradictos milites *Confessarios sanè mirificos, sagatos, non togatos; conjugatos, non cælibes; magnam partem vel Alphabetarios dumtaxat, vel etiam Analphabetos; omnes sine Sacerdotali non solum corona, sed etiam charactere.*

Tertiodecimò: refert Joannes Jonvillius in *Histor. Gallica,* quòd exercitu S. Ludovici Francorum Regis à Saracenis profligato, & illis in navim stricto ense ingressis, milites Christianos ad invicem sua peccata confessos fuisse; ut latiùs Ivenim in *Histor. Dogmat. de Sacramentis Dissert. cap.* 4. *art.* 2.

Quartodecimò: Non injucundum est aliud exemplum, quod *ex lib.* 3. *cap.* 2. *Historiar. Memorab. Cæsaris Heisterbachensis, Ordinis Cistercien sis* ponit

Henri-

Henricus G. Germanus in suo *Magno speculo Exemplorum dist. 6. Exempl.* 17. scilicet de quodam milite, suspectum habente amicum suum de adulterio cum propria uxore; qui ad se certificandum duxit
8 illum ad Ecclesiam, in qua erat obsessus, cujus dæmonium improperabat adstantibus peccata, de quibus non essent confessi. Adulter ingressurus Ecclesiam cum milite, timens se à dæmonio accusari de adulterio; simulavit necessitatem naturæ, & intravit vicinum stabulum tanquam ventrem exoneraturus; at pedibus cujusdam Laici ibi existentis prostratus, confessus est coram eo peccatum suum; orans, ut sibi injungeret pœnitentiam. Quo facto exivit, & cum milite eum foras expectante introivit Ecclesiam; & eodem milite interrogante, ac provocante dæmonium, ut diceret quidquid sciret de amico suo ibi adstante; respondit latino Sermone; *Nihil scio; in stabulo justificatus est*: undè deducitur, proficuam sibi fuisse Confessionem coram Laico in stabulo factam.

His tamen non obstantibus contrarium est omnino tenendum; ideoque pro resolutione quæsiti oportet distinguere circa finem, ob quem aliquis faceret suam Confessionem Laico; nam vel ita confiteretur ad obtinendam absolutionem suorum peccatorum ab eodem Laico; vel tantummodò ad excitandam cordis contritionem per illam verecundiam, ac erubescentiam confitendo peccata sua Laico; sivè etiam tantummodò ad recipiendum consilium, vel auxilium ad deferenda illa peccata. Pri-
9 mo modo nunquam licitum fuit, neque esse potest confiteri peccata Laico; ea ratione, quia absolutio Sacramentalis à peccatis pendet à clavibus Ecclesiæ, quas habere non possunt Laici, cùm illas Dominus contulerit tantùm Sacerdotibus, quales erant Apostoli, dum eis dixit *Jo.* 20. 23. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur*
10 *eis &c.* & post Apostolos illis, qui ab Episcopis Apostolorum successoribus ordinantur Sacerdotes; & sic qui non habet ordinem Sacerdotalem non potest absolvere à peccatis. *cap. Sacerdos, cap. Placuit. De Pœnit. dist.* 6. Glossa *in cap. Pastoralis* 11. §. *Præterea. Verb. Præterquam in mortis articulo.* Et ibidem Barbosa *in Collect. DD. num.* 17. *De Offic. Ordin.* alia Glossa *in cap* 2. *in Verb. ligare. De Pœnit. & Remiss. in* 6. & ex Canonistis Navarrus *in cap* 1. *de Pœnit. dist.* 6. *à num.* 74. *& seqq.* & est sententia Theologorum tum veterum, tum modernorum; ut videre est apud S. Thomam, & Scotum *in* 4. *Sent. dist.* 17. & alios, quos citat, & sequitur Emin. Cardin. de Lugo *de Pœnitentiæ Sacram. disp.* 18. *n.* 1. P. Macedo *de Clavibus Petri lib* 4. *cap.* 5. Mastrius *in* 4. *Sent. disp.* 5. *num.* 509. & Emin. Card. de Lauræa *eod. tractatu de Pœnit. disp.* 19. *art.* 1. *&* 2. Idcircò si quis confiteretur Laico peccata sua, ut ab illo reciperet absolutionem, incideret in hæresim Luthera-
11 nam; docebat enim Lutherus, quòd *in Sacramento Pœnitentiæ, ac remissione culpæ, non plus facit Papa, aut Episcopus, quàm infimus Sacerdos: imò ubi non est Sacerdos, æque tantùm quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset*; ut legitur *in Bulla* 40. Leonis Papæ Decimi, in qua damnantur errores ejusdem Lutheri §. 1. *n.* 13. & notat Salelles *de S. Inquisit. lib.* 3. *c.* 18. *regul.* 288. *n.* 100 & eundem errorem confutavit Sac. Trident. Concilium *sess* 14. *cap.* 6. in illis verbis: *Declarat Sancta Synodus falsas esse, & à veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes clavium ministerium perniciosè extendunt, putantes verba illa Domini*: Quorum remiseritis &c. *ad omnes Christi fideles indifferenter, & promiscuè contra institutionem hujus Sacramenti ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata*: ac proindè *ead. sess.* 14. *Can.* 10. Anathema esse voluit, qui assereret, *non solos Sacerdotes, sed omnes Christianos esse ministros absolutionis.*

Imò si quis non promotus ad Sacrum Presbyteratus ordinem audiret Confessiones, & præsume- 12
ret absolvere pœnitentes à peccatis; esset puniendus tanquam hæreticus in Officio Sanctæ Inquisitionis *per Bullam* 21. Gregorii XIII. & si quos haberet ordines, ab iisdem ritè degradatus, tradendus esset Curiæ sæculari debitis pœnis plectendus *per Bullam* 81. Clementis VIII. de qua meminit Quaranta *in Verb. Ordo.* Barbosa *in Collect. DD. in cap. fin. num.* 2. *De Clerico non ordin. ministr.* & Julius Chartarius *in Decis. Criminalib. decis.* 13. *num.* 3. *&* 9. latè Lezana *in Consult. Variis cons.* 21. *num.* 55. ubi Criminalistas cumulat. Quòd si Laicus prædictus tanquam Sacerdos proferret absolutionis formam super pœnitente confitente coram eo peccata sua, fieret irregularis, Emin. Card. de Lugo *d. disp.* 18. *num.* 14. Thesaurus *de Pœnis part.* 2. *Verb. Absolutio cap.* 1. ubi reddit rationem, quia hæc facere præsumentes redduntur vehementer suspecti de hæresi.

Quòd si quis vellet confiteri Laico, tantummodò ad contritionem cordis excitandam, vel ad habendum consilium, seu auxilium in casu necessitatis, vel in periculo mortis, absente Sacerdote; id
fieri posse concedunt Scholastici antiqui ob vere- 13
cundiam, quam patitur pœnitens in illa Confessione, & per quam solvit aliquam partem pœnæ debitæ pro peccato, ut ajunt S. Thomas *in Supplem.* 3. *p. q.* 8. *art.* 2. *& in* 4. *Sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 4. S. Bonaventura *in ead. dist.* 17. *art.* 1. *q.* 1. ubi allegat S. Bernardum super Canticum dicentem: *Vir perfectus tantus est veritatis amator, quòd vellet, omnes nosse sua mala; dum tamen eis non esset occasio mali, sed boni.* Et Durandus *in eundem* 4. *Sentent. dist.* 17. *q.* 11. At moderni tum Theologi, tum Canonistæ negant, hisce temporibus licitum esse confiteri Laico, quamvis in periculo vitæ, absente Sacerdote; tum quia parùm prodest talis Confessio, quæ non habet vim faciendi de attrito contritum, ut benè observat So- 14
tus *in* 4. *d dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 1. §. *caterum*, tum etiam quia multùm nocere potest, si illam audiens sit garrulus, nesciusve servandi secretum, ac tenendi peccata audita sub sigillo, ex quorum publicatione plura pericula insurgere possunt, & famæ, & vitæ. Gregorius de Valentia *tom.* 4. *disp* 7. *quæst.* 10. *punct.* 1. *Vers. Quamvis.* Et Reginaldus *in Praxi Fori Pœniten. lib* 1. *num.* 8. ubi ita scribit: *Tertia propositio est, non esse licitum, nec salutare consilium confiteri non Sacerdoti, ne quidem in articulo mortis, nisi is sit persona prudens, secretique tenax, & quæ profutura sit, nec obfutura. Hujus priorem partem Navarrus in cap.* 1. *de Pœnit dist.* 6. *à num* 79. *probat*; *quia non magis licet detrahere sibi, quàm detrahere alteri, quod summa iniquitas est. cap. Summa iniquitas.* 6. *q.* 1. *sicut non licet magis vitam suam, quàm alienam in discrimen vocare. At confiteri tali Laico, qui non prodesset, aut non esset servaturus secretum, nihil aliud esset, quam sibi detrahere.* Concordant novissimè Gobat *d tract.* 7. *num.* 19. & Jo. Sancius *in Select. disp.* 46. *num.* 22.

Hinc disputant Moralistæ, an talis Laicus, qui audiret Confessionem alicujus pœnitentis in casu ne- 15
cessita-

15 cessitatis, esset obligatus ad sigillum? Et quamvis plures teneant negativam opinionem, quos refert Diana *part. 5. tract. 11. resol. 14. & part. 11. tract. 11. resol. 13.* quæ repositæ sunt in Opere Coordinato *tom. 1. tract. 8. resol. 34. & 35.* probabilior tamen est opinio affirmativa, quam amplectitur ibidem ipse Diana, hanc reddens rationem, quia sigillum introductum fuit, & in venerationem Sacramenti, & in favorem pœnitentium; favores autem sunt ampliandi, itaut non solùm intelligantur de Confessione Sacramentali, sed etiam de illa, quæ fit ad modum Sacramentalis Confessionis. Notat tamen ipse Diana ibidem, quòd quatenus etiam negativa opinio amplecteretur, & Laicus prædictus non esset obligatus ad sigillum Sacramentale; nihilominus teneretur maximo secreto naturali, quod nulla de causa deberet infringere, sed potiùs mortem subire; neque Judex posset adstringere eundem Laicum, ut judicialiter manifestet, quod à dicto pœnitente audivit; scilicet quia illa peccata, quæ ipse ita confessus est, non pertinent ad forum externum alicujus Judicis; sed solummodò ad conscientiæ forum internum; à quo nulla inquisitio, seu probatio desumi potest. Onuphrius *in tract. de Sigillo sect. 3. q. Unica, dub. 5.* Et nos *infra Decis. 40.*

Superest, ut contrariis auctoritatibus, rationibus, & exemplis supra allegatis respondeamus. Quare

Ad primum circa illa verba D. Jacobi *cap. 5. Vers.* 16 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra,* plures dantur responsiones à Scholasticis, & Scripturistis, quæ tamen omnes in hanc veritatem conspirant, Apostolum intellexisse de Confessione mortalium peccatorum facienda Sacerdotibus. Idcircò S. Thomas *in Supplem. 3. part. quæst. 8. art. 1.* ita respondet: *ad primum ergo dicendum, quòd Jacobus loquitur ex præsuppositione divinæ institutionis; & quia divinitus institutio præcesserat de Confessione Sacerdotibus facienda, per hoc quod eis potestatem remittendi peccata in Apostolis dedit, ut patet Joan 20. ideò intelligendum est, quòd Jacobus Sacerdotibus Confessionem esse faciendam monuit.* S. Bonaventura *in 4. dist. 17. art. 1. quæst. 1. in resolutione* ait, aliam esse Confessionem generalem, quæ fit, dum dicitur *Confiteor*, aliam specialem, dum specificè exponuntur propria peccata. Prima fit omnibus ad invicem eam repetentibus. Secunda solis Sacerdotibus audientibus. Emin. Card. de Lauræa *de Pœnitent. disp. 19. num. 10.* ita respondet: *Verba illa* (Confitemini alterutrum, &c.) *ad omnes quidem directa sunt, ut confiteantur; at non omnibus, sed ministris idoneis; voluit enim iis verbis Apostolus docere, quòd non sufficiat homini Confessio peccatorum facta Deo: sed est necessaria Confessio facta hominibus, illis scilicet, quibus à Domino dictum est: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Ita Alensis 4. p. q. 19. art. 1.* Tirinus verò in Commentario Epistolæ ejusdem Sancti Jacobi *cap. 5. Vers. 16.* verba illa ita explanat: *Non soli Deo, ut quidam suadent, sed & alterutrum confitemini peccata vestra, nempè homines hominibus vestri similibus, puta illis, quibus tanquam propriis ministris cura, & potestas absolvendi demandata est à Christo, nempè Sacerdotibus, juxta illud 1. Petr. 4. Unusquisque sicut accepit gratiam, alterutrum illam administrantes. Sic vulgò dicimus, docere invicem, curare invicem, sustentare invicem, sacrificare pro invicem; nimirum doctores docete rudiores, medici curate egros, divites sustentate pauperes, Sacerdotes sacrificate pro Laicis. Similia enim verba exponi debent appositè ad subjectam materiam, gratiam, & officium cujusque. Ita exponit locum hunc Concilium Senonense Decret. 10. Beda, Bernardus, Hugo Victorinus, Alcuinus, & alii apud Henricum Canisium tom. 1. antiquar. lect. Turrianum in lib. 2. Constitut. & Serarium.*

Ad secundum respondet Magrius *in Hierolex. Verb. Confessio Sacramentalis, col. 2.* ita dicens: *Existi-* 17 *mo textum Augustini adulteratum fuisse, nam ex eodem Doctore de Pœnit. dist. 1. cap. 44. contrarium constare videtur, ubi inquit Ergo sine causa dictum est: Quæ solveris in terra, soluta erunt in Cœlo. Ergo sine causa claves datæ sunt Ecclesiæ Dei. Frustramus Evangelium Dei, frustramus verbum Christi, si promittimus, quòd ille negat. Igitur Confessione, & satisfactione à peccatis mundamur, sed Confessio Sacerdoti, & non Laico facienda est. De Pœnit. dist. 1. Can. 36. Insuper D. Augustinus non poterat contra D. Ambrosii ejus magistri documenta in rebus tanti momenti asserere; ajebat siquidem ille, Jus hoc solis permissum est Sacerdotibus, de Pœnit. dist. 1. Can. 51.* Cæterùm, esto, quòd verba illa contenta *in cap. 1. de Pœnit. dist. 6.* sint Divi Augustini, quæ etiam leguntur *in cap. Quem pœnitet. 44. de Pœnit. dist. 1.* dicendum est, ibi Sanctum Doctorem intellexisse de Confessione facienda Laico, non ad obtinendam ab eodem absolutionem Sacramentalem; sed ad magis excitandam cordis contritionem, & ut ipsa humilitate, atque erubescentia Confessionis commoveatur, flectaturque magis Dei misericordia erga peccatorem; eòque certiùs criminum remissio, non per Laici aliquod ministerium, seu opus, sed ab ipso Deo solo impetretur; ut bene observat ex Theologis Gregor. de Valentia *d. tom. 4. disp. 7. q. 10. punct. prim. Vers. Altero modo,* & ex Canonistis Navarrus *in Comment. ad d. cap. 1. de Pœnit. dist. 6.* ubi duo notabilia dicit: unum *num. 75.* quod talis confessio facienda Laico in casu necessitatis, absente Sacerdote, nunquam fuit, aut esse potest de Præcepto, sed tantùm de consilio; alterum *num. 83.* 18 Quòd si facta fuerit Laico talis Confessio, nihilominus, si superveniat Sacerdos, eidem iterùm ipsamet Confessio est facienda; & ab illo absolutio Sacramentalis ministranda; quod novissimè repetit Bissus *in Hierurgia Sacra. Verb. Minister Sacramentorum. §. 15.* subdens §. 16. adeò esse verum, quòd Laicus, & qui non habet ordinem Sacerdotalem non potest absolvere à peccatis, ut neque possit suppleri ab Ecclesia ratione tituli colorati; itaut si ille, qui audi- 19 vit Confessionem, & absolvit, censeatur Sacerdos per communem errorem, & non sit talis, nunquam valida sit absolutio, quia Confessarius debet esse Sacerdos de jure Divino. *Quintanadven. tom. 1. tract. 1. singul 11. num. 4.* & sic error communis, aut titulus coloratus nihil proficeret pro validitate absolutionis Sacramentalis.

Ad Tertium pariter respondetur, procedere de reconciliatione per humilem Confessionem pœnitentis, non per absolutionem Sacramentalem à Lai- 20 cis impertitam. Siquidem quo *ad cap. Sanctum. de Consecr. d. 4.* sic punctualiter respondet Bonacina *tom 3. De Censuris in Bulla Cœnæ disp. 1. q. 22. punct. 2. n. 10.* Neque obstat *cap. Sanctum. dist. 4. de Consecr. Respondetur enim primò ibi referri factum, non tamen approbari. Secundò ibi sermonem esse de reconciliatione à Pœnitentia publica, non verò de absolutione, juxta glossam ibidem, V. Pœnitentia.* Quo verò *ad Epistolam 17.* D. Cypriani præcipientis, ut in articulo mortis Laicus reconciliet pœnitentem, si Presbyter non adsit; respondet Eminentiss. Card. de Lauræa *de Pœnitentia d. disp. 19. num. 19.* eam intelligi *de re-*

21 *conciliatione publica per communionem cum fidelibus, ne talis moreretur excommunicatus, non autem de reconciliatione per absolutionem à peccatis.* Quem sensum amplectitur etiam Albaspina *in notis ad Nicænam Synodum*, ut refert Magrius *Verb. Viaticum in princ.* & nos diximus supra *Decis. XVI. num.* 23. Itaque tempore S. Cypriani permissum erat ab Ecclesia, ut Laici in casu mortis, deficiente Presbytero, reconciliarent publicos pœnitentes, recipiendo illos in communionem fidelium; quæ reconciliatio fieri solebat solemniter à Presbyteris, & ab Episcopis in feria quinta Cœnæ Domini per recitationem multarum precum, & orationum; quæ leguntur in Codice Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ, nongentis annis vetustiore, (nuper impresso Romæ in Typographia Angeli Bernabo *Ann.* 1680.) *lib.* 1, *tit.* 38. *in Quinta feria hebdomadæ majoris*, ubi inter reliquas orationes extat illa, quæ incipit, *Deus miseri-*
22 *cors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, &c.* nempè eadem illa, quæ legitur in Rituali Romano sub *Ordine Commendationis animæ*, secunda post Litanias breves: undè discant Curati animarum venerationem, & devotionem debitam ipsis precibus, & orationibus ob earum antiquitatem, cùm essent usitatæ ab Ecclesia ante nongentos abhinc annos. Nec mirum sit, quod antiquitus in casu necessitatis Laici reconciliarent publicos pœnitentes, quia probabilis est opinio Doctorum, (quos cumulat Sayrus *in Thesauro Cas. conscientiæ lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 3. &
23 Bonacina *tom.* 1. *de Censur. in Com. disp.* 1 *q.* 3. *punct.* 3. *num.* 1.) quòd Laicus possit absolvere moribundum ab excommunicatione, absente Sacerdote; quod docent Sylvester *Verb. Absolutio* 1. *num.* 8. & 9. S. Antoninus 3. *p. tit.* 27. *cap.* 4. *Casu* 7. & alii, à quibus non dissentit Sanchez *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 13. *in fine*, & Volpi *in Resol. Moralib Verb. Censura, resol.* 22. *num.* 14.

Ad Quartum *ex cap. Fures.* 13. *q.* 2. duas dat responsiones idem Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp.*
24 19. *num.* 15. & 16. Una est, quòd in illo textu intelligitur communio cum fidelibus, idest absolutio ab excommunicatione, quæ dari poterat à Diacono in articulo mortis, ut dictum est supra de Laico. Altera est, quòd intelligendo etiam de Communione Eucharistica, sensus sit, *si vulneratus moribundus Presbytero, vel Diacono confiteatur, idest, ostendat, se velle confiteri, si posset, vel minister adesset, Eucharistiam potest accipere*; quam Diaconus poterat ministrare, certificatus de contritione eorundem furum vulneratorum; nam, ut scripsimus in Decisionibus *de Eu-*
25 *charistia Decis. LI. num.* 7. ad recipiendam Eucharistiam sufficit contritio in tribus casibus; Primus est in casu mortis, si Sacerdos haberi non possit, cui moribundus confiteatur; Secundus est, si Sacerdos teneatur celebrare, & non possit abstinere absque scandalo; Tertius est, si quis non communicando incurreret infamiam, gravéve detrimentum, & deficeret Confessarius, juxta doctrinam Tamburini *de Expedit. Commun. cap.* 1. §. 6. & § 10. ubi DD. & Eminentiss. Card. de Lauræa *De Eucharistia disp.* 25. *num* 158.

Ad Quintum respondetur, non esse credendum dicto illius glossæ; quæ sæpè sæpiùs ponit multos
26 errores præcipuè circa Confessionem Sacramentalem, qualis est iste, quòd possint Laici absolvere; & quòd confessio non obliget Græcos, ut ipsa glossa ait *in cap.* 1. *de Pœnit. dist.* 5. & quòd Confessarius non absolvat, sed declaret absolutum, ut *in cap. Quodcumque* 24. *q.* 1. de quibus, & aliis erroribus advertit Magrius *in Hierolexic. d. Verb. Confessio Sacramentalis.* Et Barbosa *in d. cap. Quodcumque num.* 13. Veritas enim est, (ut explicatum est supra,) quòd Confessio non potest fieri Laico, ut absolvat, sed ut coadjuvet contritionem ob erubescentiam.

Ad Sextum; dicendum est, quòd in hoc eodem sensu sit locutus Magister Sententiarum; & ita sit 27
intelligendum, ut notant ibidem omnes Scholastici ipsius expositores.

Ad Septimum respondetur, magnam esse disparitatem inter necessitatem Baptismi, & necessitatem Confessionis Sacramentalis. Baptismus est absolutè necessarius parvulis, qui in casu mortis non 28
possunt elicere votum illum suscipiendi, ut salventur, ideò Christus concessit, ut omnes possint baptizare in casu necessitatis, sivè Laicus, sivè Fœmina, deficientibus Presbyteris. At Confessio Sacramentalis non est absolutè necessaria, quia in defectu Sacerdotum pœnitentes possunt salvari per actum contritionis, cum voto confitendi coram Sacerdote, si ejus copiam habuerint; ut bene disserit Emin. Cardin. de Lauræa *de Pœniten. d. disp.* 19. *num.* 8. Dictum autem Hostiensis est satis insulsum, nisi condiatur ob magnam prudentiam, & sanctitatem alicujus mulieris, coram qua quis se accusaret de propriis peccatis ad excitandam contritionem, sed nunquam, aut rarissimè.

Ad Octavum satis est responsum ex supradictis, quia erubescentia illa bona est; at eam debet comitari prudens circumspectio; ne ex manifestatione occultorum criminum coram Laico scandala exoriantur; itaut magis expediat, ut pœnitens erubescat coram Deo, & se conterat in corde suo cum voto confitendi Sacerdoti, si ejus copiam haberet.

Ad Nonum, non impugnatur Confessio facta Laico prudenti, ut ab eo pœnitens erudiatur; potest enim aliquando esse utilis ob hunc finem; sed non ut absolvatur, quia Laici nunquam absolvere possunt à peccatis.

Ad Decimum respondet antedictus Emin. Card. de Lauræa. *d.* 19. *num.* 18. quòd pœnitens solùm 29
attritus dici non potest sine remedio, quia ex Dei auxilio semper parato aptus est conteri in corde suo, scilicet odio habere peccata sua, & ea detestari, quatenus sunt offensa Dei, & sic salvari cum voto confitendi Sacerdoti, si posset.

Ad exempla successivè relata respondetur, ea esse admiranda, non imitanda, si ad effectum obtinendi absolutionem Sacramentalem illæ Confessiones fa- 30
ctæ fuerint. Jam ostendimus, laicos non posse absolvere à peccatis, cùm sint incapaces clavium Ecclesiæ, quas Christus dedit Sacerdotibus tantùm; idcircò Laici, de quibus in antedictis exemplis, si absolvere tentassent, peccatum mortale commisissent, nisi eos ignorantia, vel bona fides excusasset, ut ait Gobat *d. tract.* 7. *num.* 21. Cæterùm ab his exemplis colligere debemus, quanta sit differentia nostrorum temporum cum antiquis circa pœnitentiam, & dolorem de peccatis. Tunc enim, qui non poterant habere Sacerdotem, cui confiterentur culpas suas, eas etiam Laicis cum dolore cordis manifestabant; nunc autem, oh quanti! non unum, sed plura lustra sinunt decurrere absque Sacramentali Confessione. Ulteriùs in præteritis sæculis rigorosæ pœnitentiæ imponebantur pro peccatis; nam, ut legitur in canonibus pœnitentialibus, (qui le- 31
guntur apud Gratianum *post tertiam part. Decret.* &

apud

apud Reginald. *lib.7. à num.54.*) pro culpis carnalibus, septem annis pœnitere oportebat, pluries in hebdomada jejunando in pane, & aqua, induendo cilicium, & alias austeritates amplectendo, de quibus *in cap. Prædicandum 22. q.1. & cap. Hoc ipsum. 33. q.1.* quæ augebantur nimis pro peccatis contra naturam *cap. Hoc ipsum. 32. q.2. cap. Clerici de Excessib. Prælator.* Idem practicabatur pro perjurio, & pro homicidio. *cap. Quicunque 6. q.1. cap. Miror. 50. dist.* Et multò magis pro blasphemia. *cap. Statuimus. De maledicis*; imò pro fraudibus in pondere, vel mensura. *cap. Ut mensuræ. De Contrahend. Empt.* Nunc autem pro prædictis enormitatibus quid injungant Confessarii pœnitentibus nesciunt; adeò detrectat quilibet assumere pœnalitates; & vix bini, vel terni Rosarii recitatio committitur, quam etiam multi negligunt adimplere.

Sed & illud notabile, ne deplorabile dicam, quod antiquitùs pro supradictis peccatis publicis, idest publicè, ac scandalosè commissis, opus erat assumere pœnitentiam publicam, vel solemnem, septem saltem annis duraturam; & quinque erant gradus publicè pœnitentium; nunc autem omninò recessit ab aula usus publicæ pœnitentiæ. Hi erant prædicti gradus, ut refert Magrius *in Hierolex. Verb. Hyemantes.* Primus *hyemantium*, seu *flentium*, *ac lugentium*, qui cilicio induti, & extra januam Ecclesiæ prostrati lacrymis implorabant veniam de commissis scandalis à fidelibus Ecclesiam intrantibus. Secundus erat *Audientium*, eorum scilicet, qui commorati multò tempore inter hyemantes permittebantur ingredi januam Ecclesiæ, stare in Narthece, idest statim intra januam cum Catechumenis, & ibi audire Verbum Dei, & Missam usque ad consecrationem, à qua expellebantur. Tertius erat *Substractorum*, qui vocabantur ante consecrationem coram Episcopo, vel Presbytero celebrante, & coram eo prostrati recipiebant manuum impositionem præviis orationibus ad implorandam super eis Divinam miserationem. Quartus erat *Consistentium*, eorum videlicet, qui assumpti ex prædictis gradibus consistebant in Ecclesia ad totam Missam; sed non admittebantur ad oblationem, neque ad communionem Eucharistiæ. Quintus tandem gradus erat *Participantium*, & hi erant, qui completa pœnitentia per totum tempus à jure statutum, & recepta reconciliatione, ac Sacramentali absolutione, ad Sacram Synaxim admittebantur. Ecce, quanto sudore, pavore, humiliatione, & mortificatione olim opus erat pro obtinenda remissione culparum publicè, ac scandalosè commissarum. Hæ publicæ pœnitentiæ viguerunt duodecim in-
32 tegris sæculis, ut ex Cabassutio *de Notit. Eccl. dissert. 8. in fine* refert Illustrissimus Episcopus Sarnelius *Epistolar. Ecclesiastic. tom. 2. Epist. 9.* & ab eo tempore commutari cœperunt in expeditiones adversus infideles, pro recuperatione Terræ Sanctæ, ut legitur in Concilio Claromontensi, habito sub Urbano Papa II. Anno 1095. de quo ibidem Eminentiss. Cardin. Baronius, ac Spondanus; & in quo legitur secundus Canon conceptus his verbis: *Quicunque pro sola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione ad liberandum Ecclesiam Dei Jerusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur.* Hac nostra ætate non est qui cogitet amplius de recuperatione Terræ Sanctæ, quam pacificè Turcæ retinent; & nullus est, qui verè experiatur in seipso, quod de Sancta Paula Romana scripsit S. Hieronymus, teste Stephano Menochio *Hist. Miscell. part. 3. §. 286. Affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis. Longus risus perpeti fletu compensandus.* In hac Civitate Patavina usus publicarum Pœnitentiarum floruit per totum Sæculum XIII. ut constat ex libro vetusto existente in Archivio Reverendissimi Capituli Ecclesiæ Cathedralis, inscripto, *Ordo Divinorum Officiorum, &c.* in quo tum in feria 4. Cinerum, tum in feria 5. Cœnæ Domini agitur de modo reconciliandi publicos Pœnitentes. Utinam etiam hodie qui scandalosam vitam agunt, hunc saluberrimum usum *saperent, & intelligerent, ac novissima providerent*, ut legitur in Cantico Moysis *Deuter. 32. 43.*

DECISIO XIX.

ARGUMENTUM.

Præmissa erudita declaratione tum Clavium materialium ex auro, ex argento, & ex ferro; tum Naturalium, Industrialium, & Spiritualium, ex metaphora sic appellatarum, disputatur de CLAVIBUS ECCLESIÆ datis à CHRISTO, tam pro foro externo, quàm pro foro interno. Ostenditur, Claves fori externi esse duas, Scientiæ scilicet, & Jurisdictionis. Utramque fuisse in D. Petro, ac in Apostolis, & nunc esse in Papa, & in Episcopis. In Papa cum prærogativa infallibilitatis, & absque ulla restrictione locorum, vel personarum, ob ejus Primatum. In Episcopis cum dependentia à Papa, à quo illas recipiunt pro suis Diœcesibus tantùm; prout etiam Cardinales, Abbates, ac Prælati Regulares pro suis solùm subditis, non etiam Abbatissæ. Declarantur duæ Claves fori interni, Scientiæ, & Potentiæ. Quomodo hæ transeant in simplices Sacerdotes? & Triplex earundem Clavium effectus. Quæ omnia Juribus, Historiis, & Auctoritatibus DD. plenè comprobantur.

SUMMARIUM.

1 *Clavis quid sit, & undè dicta?*
2 *Clusius quis esset?*
3 *Clavium quis auctor? Earum usus antiquissimus.*
4 *Claves aliæ materiales, aliæ metaphoricæ.*
5 *Claves aureæ de corpore B. Petri sumptæ, Regibus donabantur.*
6 *Claves argenteæ pro custodiendis rebus Sacris; & præcipuè Sanctissima Eucharistia.*
7 *Clavis ferrea S. Ædis Lauretanæ miraculosa: ac S. Bellini Episcopi Patavini.*
8 *Moniales S. Petri de Padua laudatæ.*
9 *Claves metaphoricæ, quæ & quot sint?*
10 *Claves naturæ octo, quæ sunt in manu solius Dei.*
11 *Claves industriales duæ, aliæ musicales, aliæ fabriles. Et quæ, ac quot sint?*
12 *Claves spirituales quæ, & quot sint? quibus aperiuntur scrinia Divinæ Misericordiæ.*

13 *Claves Ecclesiasticæ datæ à Christo quæ, & quot sint? Et cur sic dictæ?*

14 *Claves Dei, Christi, Ecclesiæ quomodo inter se differant?*

15 *Claves Ecclesiæ aliæ sunt pro foro externo, aliæ pro foro interno. Probatio, quòd datæ sint claves pro foro externo.*

16 *Claves fori interni esse in Ecclesia, probatio.*

17 *Claves fori externi quæ, & quot sint? Et quibus sint concessæ?*

18 *Episcopus qui est eligendus, debet esse Doctor, & iterùm examinatur coram Papa.*

19 *Clavis scientiæ fuit cum infallibilitate in Petro, & Apostolis, & est in Romanis Pontificibus, non autem in aliis Episcopis; & cur?*

20 *Concilia Generalia, absente Papa, non habent infallibilitatem in definiendo. Eam habent, Papa præsente, vel confirmante ipsa Concilia.*

21 *Hæretici negant infallibilitatem in Papa. Exempla, sed vindicata.*

22 *Clavis Jurisdictionis pro foro externo quid sit? & Quotuplex?*

23 *Clavis Jurisdictionis data est à Christo tum Petro, tum Papæ cum duabus ampliationibus, & quæ hæ sint?*

24 *Clavis Jurisdictionis data est Apostolis à Christo cum duabus limitationibus. Quæ sint?*

25 *Apostoli non erant exempti à Jurisdictione Petri, sed erant subditi Petro.*

26 *Episcopi recipiunt clavem Jurisdictionis à Papa cum duabus conditionibus. Et quæ sint?*

27 *Papa an possit auferre Episcopis Jurisdictionem? Objecta. Resolutiones.*

28 *Clavis Jurisdictionis Cardinalium, Abbatum, & Prælatorum Regularium. An etiam Abbatissarum?*

29 *Abbatissæ quæ possint in Moniales?*

30 *Claves fori interni duæ, una Scientiæ, alia Potentiæ.*

31 *Sacerdotes habent Claves fori interni, sed cum duobus requisitis. Et quæ?*

32 *Sacerdos prohibitus celebrare cur validè consecret? prohibitus audire Confessiones, invalidè absolvat?*

33 *Sacerdotes simplices non possunt absolvere à Venialibus, aut ab aliàs confessis.*

34 *Clavium fori interni effectus triplex: Delere culpam, pœnam æternam, & minuere temporalem. An verò infallibiliter? Distingue, ut hic.*

QUia dictum est in præcedenti Decisione *num.* 9. illicitum esse confiteri Laico, ea præcipua ratione, quòd absolutio Sacramentalis pendet à Clavibus Ecclesiæ, quas Laici habere non possunt; idcircò in præsenti agendum est de iisdem Ecclesiæ Clavibus, ac pro earum plena intelligentia sex sunt examinanda.

Primò: Quid, & quotuplex sit Clavis?

Secundò: Quæ, & quot sint Claves Ecclesiæ?

Tertiò: Quæ, & quot sint Ecclesiæ Claves pro foro externo, quibusvè sint datæ?

Quartò: Quæ, ac quot sint Claves pro foro interno?

Quintò: Quibus sint datæ Claves fori interni?

Sextò: Quisnam sit effectus harum Clavium, & an sit infallibilis?

Quo ad Primum. Clavis est instrumentum, quo ostia, arculæ, & id genus multa clauduntur, & aperiuntur; & dicitur à *clam*, quia quæ celare volumus, claudere solemus. Calepin. *in Verb. Clavis*; vel à verbo *claudo*, ut advertit Vossius *in Etymolog. Linguæ Latinæ, eod. Verb.* quod etiam profertur *cludo*, AV in V converso, undè Janus Latii Rex, inter Deos à gentilibus relatus, cujus Templum à Romanis aperiebatur tempore belli; claudebaturque solemni ritu tempore pacis, dicebatur *Clusius*, quasi *Clusis* à Templo clauso; nec non *Patulcus* ab ejusdem Templi patentibus januis, juxta id, quod innuit Ovidius *lib.* 1. *Fastor.* in illis versibus: 1 2

Nomina ridebis: modò namque Patulcius idem,
Et modo pacifico Clusius ore vocor.
Scilicet alterno voluit rudis illa vetustas
Nomine diversas significare vices.

Auctorem clavium quemdam Theodorum Samium scribit Polidorus Virgilius *lib.* 3. *cap.* 14. *de Inventor. rer.* sed antiquiorem earum usum esse constat ex Scriptura Sacra, in qua tempore Aodi, annis scilicet mille, quadringentis, & ultra ante adventum Christi, legitur, quòd servi Eglonis Regis Moab interfecti à prædicto Aodo, *tulerunt clavem, & aperientes* (cœnaculum) *invenerunt Dominum suum in terra jacentem mortuum. Judic.* 3. 25. Imò, quia ingresso Noë in Arcam, *inclusit eum Dominus de foris, Genes.* 7. 16. probabile est, talem inclusionem per manus Angelorum clavi firmatam fuisse, ut notat Aresius *tom.* 3. *lib.* 4. *Impress.* 34. *num.* 6. Certum est autem, quòd Romani utebantur clavibus, quarum traditione transferebatur dominium rerum sub ipsis existentium in accipientem. *l. Clavibus. De Contrahen. Empt.* Imò uxoribus primùm domum ingredientibus mariti claves dabant, ut scirent, se in eorum bonis societatem acquirere. Tholosan. *in Syntagm. Jur. Univ. lib.* 9. *cap.* 15. *num.* 14. subdens ibidem ex Cicerone *Orat.* 2. *contra Anton.* quòd in casu divortii per eosdem maritos claves domus ab uxoribus auferebantur. 3

Claves autem sunt in duplici genere; siquidem aliæ sunt materiales, & aliæ metaphoricæ. Claves materiales sunt illæ, quibus, ut dictum est, ututuntur homines ad claudendas, & aperiendas domos, arculas, scrinia, & similia; & hæ fieri consueverunt vel ex auro, vel ex argento, vel ex ferro. De clavibus aureis, super sepulchrum S. Petri Apostolorum Principis collocari solitis, & indè ob devotionem Regibus, ac Dynastis per Romanos Pontifices transmitti, testis est Divus Gregorius Magnus, qui *Epist. lib.* 6. *Indict.* 15. *Epist.* 23. narrat mortem cujusdam Longobardi unam hujusmodi clavem auream frangere præsumentis, subdens, quòd Rex Longobardorum *pro eodem miraculo aliam clavem auream fecit, atque cum ea pariter ad sanctæ memoriæ decessorem suum transmisit, indicans quale per eam miraculum contigisset.* Ulteriùs idem Sanctus Pontifex *lib.* 7. *Ind.* 2. *Epist.* 126. Recaredo Regi Hispaniarum scribens ait: *Clavim verò parvulam à Sacratissimo Beati Petri Apostoli corpore, pro ejus benedictione, vobis transmisimus; in qua inest ferrum de catenis ejus inclusum, ut quod collum illius ad martyrium ligaverat, vestrum ab omnibus peccatis solvat.* Frequentiam verò clavium aurearum, quas olim fideles ad sepulchrum ejusdem S. Petri Apostoli mittebant, ut earum vice alias sibi salubres reportarent, narrat etiam S. Gregorius Turonensis *lib.* 1. *de Gloria Martyr. c.* 28. his verbis: *Multi claves aureas ad referan-* 4 5

dos

dos cancellos sepulchri B. Petri Apostoli faciunt, qui ferentes pro benedictione, priores accipiunt, quibus infirmitates tribulantium medeantur.

Claves ex argento fabricatæ antiquitùs pro custodiendis rebus Sacris adhibebantur. Hujus rei
6 testimonium præstat Buscherius apud Torrigium *in Cryptis Vaticanis*, quem refert Bagata *de Admirandis Orbis Christi. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 3. *num* 6. ita dicens: *Cùm ad sepulchrum Principis Apostolorum oraret S. Servatius Episcopus Tungrensis, ab eodem Divo Apostolo mirabiliter clavem argenteam, quam secum semper ferret, accepit. Hanc tempore sterilitatis devotè per campos ferentes incolæ mirabilem continuò experiuntur.* Tungri, est urbs Belgii in Brabantia à Leodio, & Trajecto parùm distans, ut notat Ferrarius *in Lexico Geograph. eod. Verb.* nostris Temporibus claves argenteæ sunt in usu apud Parochos, & alios Ecclesiarum Rectores, quibus utuntur pro custodia Sanctissimæ Eucharistiæ, ferreis clavibus omninò proscriptis; juxta Decreta Episcopalia in Visitatione hujus Diœcesis Patavinæ ubique evulgata; adinstar Synodalium Constitutionum, quas in exemplum omnes Antistites sumere decet, Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Caroli Barberini Abbatis Farfensis, Anni 1685. nec non Fabii Chisii Episcopi Albanensis Anni 1687. *ad Titul. De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento*; quibus addenda Synodus Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Pauli Vallaressi Episcopi Concordiensis Anni 1697. *eod tit cap.* 20.

Ex ferro claves sunt innumeræ pro profanarum
7 rerum usu, nec non Religiosarum; at ex his duas tantùm mirabiles referam. Unam scilicet ostioli Sacræ Ædis Lauretanæ hærentem apud Sabinos in cœnobio Benedictinorum, cui est à Fara cognomentum; de qua Petrasancta *in Miracul. perpet. cap.* 3. ita disserit: *Puerperas juvat, ut eniti prolem valeant fœlici puerperio, doloribus aut prohibitis, aut certè mitigatis. Quod causa est, cur frequenter ex Sabina in Urbem ad fœminas Principes perferatur, quando eis imminet partus.* Idem refert Bagata *d. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 6. Alteram, de qua testis ocularis ego sum spatio annorum supra sexaginta, est Clavis ferrea S. Bellini Episcopi Patavini ab immemorabili tempore custodita apud Illustrissimas Moniales S. Petri hujus urbis Antenoreæ, quæ mirabilis est in sanandis canum rabidorum morsibus. Præfuit S. Bellinus huic Paduanæ Ecclesiæ sæculo duodecimo; & pro defensione bonorum Mensæ Episcopalis, & Ecclesiasticæ libertatis palmam martyrii obtinuit, à rabidis canibus discerptus, eos Thoma Capivaceo impio Cive instigante in Sanctum Antistitem Anno 1148. ut ad dictum Annum observat Sertorius Ursatus Eques *in Histor. Patav part.* 1. *lib.* 4. Cubiculi hujus Sancti clavis ferrea remansit apud prædictas DD. Moniales S. Petri; quas nobilitate
8 conspicuas, & inconcussa religiositate eximias, paterna charitate sua, multorumque bonorum largitate decoraverat; ideòque ob merita ejusdem Sancti sanitatem reportant, qui rabidorum canum morsus passi sunt, contactu prædictæ Clavis; quæ etiam in fugandis febribus, dum ea infirmi signantur, mirabiliter effulget. Hanc mirabilem opem habere etiam Claves Templi ejusdem Martyris S. Bellini, quindecim millibus passuum Rhodigio distantis, narrat Cœlius Rhodigin. *lib.* 17. *cap* 28.

9 Metaphoricæ Claves sunt quædam virtutes ex Dei ordinatione, ac hominum etiam industria provenientes, quæ hoc nomen ex metaphora sortitæ sunt, aut ab auctoritate Scripturæ Sacræ, vel communi usu loquendi; metaphora enim nihil aliud est, quàm quædam similitudo transferens nomen aliquod proprium unius rei ad significandum aliquid aliud; ut dum dicimus, *Prata rident*, quando scilicet bene florent, ex similitudine hominum ridentium ob hilaritatem cordis; vel *Segetes sitiunt*, quando patiuntur siccitatem, ex similitudine hominum sitientium, ut doctè declarat Eminentiss. Card. de Lauræa *de Pœnitentia disp.* 18. *num.* 1. Igitur Claves Metaphoricæ sunt in quadruplici differentia, Naturales, Industriales, Spirituales, & Ecclesiasticæ.

Claves naturales sunt octo, quas Deus sibi soli reservavit, & stant in manu sua, tanquam virtutes, & effectus præcipui omnipotentiæ suæ. Prima est 10
creationis animarum, & productionis hominum; ideòque dicente Rachele viro suo Jacob: *Da mihi liberos, alioquin moriar. Gen.* 30 2. ipse respondit ei: *Num pro Deo ego sum?* & subindè *Recordatus Dominus Rachelis aperuit vulvam ejus, quæ concepit, & peperit filium Gen.* 30. 23. Secunda est universalis alimoniæ omnium viventium, juxta illud *Psal.* 144. 16. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno; aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Tertia est Clavis pluviarum, de qua *Deuter* 28. 12. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum Cœlum, ut tribuat pluviam terræ suæ.* Quarta est resurrectionis mortuorum, recensita per *Ezechiel.* 37. 12. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris.* Quinta est Clavis linguæ, de qua David *Psal.* 50. 17. *Domine labia mea aperies*, nam, ut habetur *Prov.* 16. 1. *Domini est gubernare linguam.* Sexta est oculorum, & aurium, dicente *Isaia* 35. 5. *Aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt*; scilicet tempore Redemptoris. Septima est Clavis cordium, quæ non aperiuntur absque Dei virtute; ideò de Lydia purpuraria habetur *Act* 16. 4. quòd ejus *Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.* Octava est suprema potestas faciendi, ac disponendi quidquid magis placuerit Divinæ voluntati, juxta illud: *Solus quippè omnia quæcunque voluit, fecit. Apoc.* 3. 7. & vocatur ab Isaia Clavis David, qua *claudit, & nemo aperit. Aperit, & nemo claudit. Isa cap.* 22. *num.* 22. Ita Tirinus *in Genes. cap.* 30. *Vers.* 2. & Salianus *ad Annum Mund* 2289 *num.* 3.

Industriales Claves Metaphoricæ sunt duæ præ- 11
cipuæ, Musicales, & Fabriles. Claves Musicales sunt regulæ, seu præcepta ad discendam musicam, & cantum; & sunt tres *F faut, C solfaut, & G solreut.* Primis duabus utitur cantus planus, seu firmus; omnibus tribus cantus figuratus. Prima clavis est sonus gravis: Secunda acuti, & tertia superacuti. Ita Horatius Scaletta *in Schala Music. cap.* 2. Claves Fabriles sunt catenæ ligneæ, vel ferreæ in capitibus firmatæ fibulis, ad trabium, ac parietum consistentiam, & colligationem; de quibus disputat Vitruvius *lib.* 1. *cap.* 5. an securiores sint illæ, quæ fiunt ex robore, vel quæ compinguntur ex ferro; ut notat *Lexicon Mathematicum* doctissimi Patris Hieronymi Vitalis *Verb. Claves. num.* 64.

Spirituales Metaphoricæ Claves sunt quædam opera bona spiritualia, quæ vim habent aperiendi scrinia Divinæ bonitatis; & obtinendi, ad favorem 12
exercentium illa, divitias Misericordiæ Dei. Inter hæc præcipuum locum obtinent Oratio, Eleemosyna, & Uniformitas divinæ voluntati. De Oratione habemus promissionem Dominicam in illis verbis *Luc.* 11. 9. *Ego dico vobis, petite, & dabitur vobis,*

quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Ecce virtutem aperiendi, quam habet oratio tanquam clavis; & de ea subdit S. Augustinus teste Alphonso Rodriquez *par. 2. Exercit. Perfect. tract. 5. cap. 2. Oratio justi Clavis est Cœli; ascendit precatio, & descendit Dei miseratio.* De Eleemosyna ita scribit S. Jo. Chrysostomus *super Matth. Serm. 9. Eleemosyna amica Deo constitit. Huic cum multa fiducia portæ Cœli aperiuntur.* Quamobrem Cornelio Centurioni facienti eleemosynas multas plebi, aperto Cœlo Angelus dixit: *Eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Act. 10.4.* De uniformitate Divinæ voluntatis testatur B. Gertrudes, cui desideranti, ut Christus habitaret in ejus corde dixit: da mihi clavem cordis tui; idest voluntatem tuam: *ex quo intellexit, quòd si quis desiderat Dominum hospitio recipere, debet illi clavem propriæ voluntatis suæ resignare.* Ita legitur *in ejus select. cap. 5.* & refert P. Carolus Lombardus *in Serm. Dominic. 4. Advent. part. 1.*

Ecclesiasticæ tandem Claves sunt illæ, quas Christus Dominus tradidit Ecclesiæ suæ juxta promissionem Divo Petro factam *Matth. 16. 19. Et tibi dabo claves Regni Cœlorum,* videlicet potestatem absolvendi, seu ligandi à peccatis; per quàm hominibus datur aditus in Cœlum; vel iisdem in ipsum ingressus denegatur, juxta verba immediatè à Redemptore ibidem dicta Petro: *Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Et de his Clavibus, quæ propriè spectant ad tractatum nostrum de Pœnitentiæ Sacramento, in præsenti est specificè differendum, antecedentibus ad ornatum materiæ tantummodò, ut supra, relatis. Igitur

Quo ad Secundum; Si quærimus: *Quæ, & Quot sint Claves Ecclesiasticæ, seu Ecclesiæ?* scire oportet, has claves nihil aliud esse, nisi *potestatem aperiendi, &* 13 *claudendi Regnum Cœlorum; sivè ligandi, aut solvendi homines, ut ingrediantur;* ratio est, quia omnis res, ad quam significandam translatum est nomen aliquod, debet habere similitudinem cum re, à qua facta est translatio; quapter cùm Potestas Ecclesiastica habeat ex Christi concessione jus, & facultatem aperiendi, vel claudendi cœlum hominibus, ut dictum est; ob hanc causam hæc potestas vocatur Clavis; & ita docent S. Thom. *in 4. dist. 18. quæst. 1.* Scotus *ibid dist 19. art. 1.* & cum aliis Emin. Card. de Lauræa *de Pœnitentiæ Sacram. d. disp. 18. art. 1.* ubi *à num. 6. & seqq.* hanc denominationem Ecclesiasticæ potestatis confirmat ex S. Joan. Chrysostomo, qui *Homil. 83.* loquens de S. Petro ait: *Claves Regni Cœlorum ei concessit, totamque potestatem ei commisit.* Ex S. Maximo *in Homil. de SS. Petro, & Paulo* dicente: *Claves illis datas, idest ligandi, & solvendi facultatem, & ad Cœlum introducendi.* Ex venerabili Beda *Homil. in cap. 21. Joan.* sic scribente: *Ecclesia, quæ fundatur in CHRISTO, Claves ab eo Regni Cœlorum accepit in Petro, idest potestatem ligandi, atque solvendi peccata.* Et ex verbis Extravagantis Joannis XXII. incipien. *Quia Quorumdam. De Verb. Signific.* ubi ipse Pontifex ait, quòd *Clavis est potestas, qua Judex Ecclesiasticus dignos admittere valet ad Regnum Cœlorum, & expellere indignos.*

Neque obstat, quòd in Ecclesia Martyrium, Baptismus, Contritio, & alia pia opera, quæ innuimus supra, habeant potestatem aperiendi Cœlum; & tamen hæc non dicuntur Claves, neque homines illa habentes dicuntur uti potestate clavium. Nam respondetur, quòd Clavis potestatis aperiendi Cœlum est triplex, *Una* suprema auctoritatis, & hæc est solius Dei; *altera* excellentiæ, & hæc est Christi; 14 *tertia* ministerialis, & hæc est ipsius Ecclesiæ. Deus habet Claves Cœli ob ejus supremam, & universalem potestatem super omnes creaturas, ac homines; & quibus vult, aperit; & quibus non vult, claudit: nam, ut ait Apostolus *ad Rom. 9. 18. Cujus vult miseretur; & quem vult indurat.* Christus, ut homo & Redemptor habet claves Cœlorum per excellentiam, siquidem ipse est *Rex Regnum, & Dominus dominantium. Apoc. 19. 16. & cap. 1. num. 18. ibid.* sic de se loquitur: *Ego sum primus, & novissimus, & vivus, & fui mortuus; & ecce sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo claves mortis, & inferni.* Ecclesia autem habet claves Regni Cœlorum ministeriales, quas Christus dedit tum Petro, tum Apostolis, quorum successores sunt Episcopi. *cap. Quorum vices. dist. 68.* & ab Episcopis eas recipiunt inferiores Sacerdotes, *cap. Sacerdos, & cap. Placuit, de Pœnit. dist. 6.* Concil. Trident. *sess. 14. cap. 6.* Porrò hi omnes aperiunt Cœlum clavi ministeriali, idest potestate ligandi, atque solvendi, quam receperunt, & habent tanquam ministri Christi, juxta id, quod scribit Apostolus, *1. Cor. 4 1. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et *2. Cor. 3. 6. Qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Et alibi sæpè. Baptismus autem, Martyrium, & alia bona opera non aperiunt Cœlum hac clavi ministeriali; sed per impetrationem, aut deprecationem, ut sic distinguentes differunt ex Canonistis Barbosa in *Collect. DD ad cap. Quodcunque. 24. q. 1. num. 16.* & ex Theologis Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 18. art. 1. num. 11.* Et *art. 6. à num. 137 & seqq.*

Circa secundam partem quæsiti requirentis, quot 15 sint Claves Ecclesiæ? Respondemus, eas esse in duplici differentia; nam aliæ sunt Claves pro foro externo; & aliæ sunt Claves pro foro interno. Extant in Ecclesia Catholica Claves Regni Cœlorum pro foro externo, scilicet potestas regendi in spiritualibus Christi fideles, eosque ligandi censuris Ecclesiasticis, vel absolvendi juxta eorum merita, aut demerita, ut cœlum ingredi valeant, vel ab eo arceantur; & hoc probatur ratione, & auctoritate. *Ratio* est, quia cùm Summus Pontifex, & Episcopi sint Pastores Ecclesiæ, quibus commissa est cura animarum secundum id, quod à Christo dictum est Petro, *Pasce oves meas. Joan. 21. 27.* & quod monebat Paulus consocios suos his verbis: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei. Act. 20. 28.* hæc cura ovium, & gregis rectè exerceri non potest absque virga, idest absque potestate ligandi, & solvendi in foro externo, ubi reperiantur oves errantes, contumaces, & Pastoribus suis inobedientes. *Auctoritas* concessæ hujus Potestatis, & Clavium pro foro externo manifestè habetur in *Matth. 18. 17.* ubi cum Christus docuisset Apostolos modum corripiendi peccantes, subdit, quòd si quis eorum *Ecclesiam non audierit, sit sicut Ethnicus, & Publicanus,* videlicet per Ecclesiasticarum censurarum fulminationem; addendo statim, *Amen dico vobis quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo.* Cum itaque loqueretur Dominus de publicè peccantibus, & contumacibus Ecclesiæ præceptis, dedit claves pro foro externo; potestatem scilicet ligandi eos, & puniendi censuris, ac pœnis Ecclesiasticis, donec resipiscant, & mereantur absolvi; ut be-

ut benè disserit Eminentiss. Cardin. de Lauræa ex Doctrina Scoti, ac Scotistarum *d. tract. de Sacram. Pœnit. disp.* 18. *art.* 2. *à num.* 17. *& seq.* referens sub *num.* 24. praxim Ecclesiæ tàm Occidentalis, quàm Orientalis, quæ conferens *Chartulario*, seu, ut Græci dicunt, *Chartofilaci* Vicariam potestatem Patriarchatus in omni causa, & judicio, inter alia insignia ei consignabat duas Claves, quod notat etiam Eminentiss. Cardin. Baronius *ad Annum Christi* 591. *tom.* 8. *Annal. fol.* 26. & ejus Compilator Spondanus *ad eundem annum num.* 9.

Claves autem pro foro interno, idest potestatem absolvendi à peccatis in Sacramento Pœnitentiæ, 16 nullus est ambigendi locus, reperiri in Ecclesia, tum ob certam ejusdem potestatis concessionem, quam Christus elargitus est Apostolis post resurrectionem suam à mortuis, dum dixit eis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Joan.* 20. 23. tum ob usum clavium, ejusdem scilicet potestatis absolvendi homines à peccatis in foro interno, ac pœnitentiali, quem continuatis temporibus servavit Ecclesia, ut testimonio SS. Patrum, ac Conciliorum probatum est supra *Decis. XVII.* tum etiam quia dari claves fori interni ad absolvendos pœnitentes in Ecclesia decisum est de fide, non solùm in Concilio Florentino sub Eugenio IV. sed postea in Tridentino *de Sacram. Pœnit. sess.* 14. *cap.* 5. ibi: *Dominus noster Jesus Christus è terris ascensurus ad Cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides, & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, qui pro potestate Clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient.* Et successivè *eadem sess.* 14. *cap.* 6. ibi: *declarat Sancta Synodus falsas esse, & à veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, Clavium ministerium perniciosè extendunt.* Ergo sunt in Ecclesia Claves Regni Cœlorum pro foro interno; quas utique recognoverunt, suisque scriptis venerati sunt S. Thomas *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 1. Scotus *eod. lib. dist.* 19. S. Bonaventura, & Alensis, apud Eminent. Card. de Lauræa illos sequentem *d. disp.* 18. *art.* 2. *num.* 13. Quæ verò, & quot sint, dicemus infra in quarto Quæsito.

Quo ad Tertium Quæsitum: *Quæ, & Quot sint* 17 *Claves Ecclesia pro foro externo, & Quibus sint datæ?* Respondetur duas esse Claves. Unam *Scientiæ*, alteram *Jurisdictionis*; & utrasque esse datas à Christo tum Petro, ac Summis Pontificibus in Sede Apostolica succedentibus, tum Apostolis omnibus, atque Episcopis eorum Successoribus, at cum differentia circa utramque Clavem mox explicanda. *Scientia* est Clavis fori externi concessa Summo Romano Pontifici, ac aliis Episcopis ad aperiendum Cœlum fidelibus per doctrinam, explicationem Scripturarum, & decisionem dubiorum vel fidem, vel mores concernentium; quam Clavem in adventu Christi Pharisæi sibi usurpaverant, sed eam malè adhibebant; unde eos reprehendit Christus *Luc.* 11. 52. dicens: *Væ vobis Legisperitis, quia tulistis Clavem Scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis.* Quo loci sic explicat Tirinus: *Clavem Scientiæ, idest potestatem, & munus, interpretandi Sacras Scripturas, quæ clarissimè docent, & viam aperiunt ad Regnum Cœlorum, & indicant me verum Messiam. Ita Tertullianus, & Ambrosius.* Igitur hæc Clavis *Scientiæ* data est in lege gratiæ Petro, & Apostolis, quando iisdem dixit Christus: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Marc.* 16. 15. *& Matth.* 28. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Et hæc Clavis modo residet apud Summum Pontificem, & apud Episcopos Apostolorum Successores; ideoque in Episcoporum ordinatione liber Evangeliorum ponitur super cervicem, & scapulas eorum, littera deorsum inversa, & deindè traditur in manibus eidem ordinato sub hac forma verborum: *Accipe Evangelium, & vade; prædica populo Tibi commisso, potens est enim Deus, ut augeat Tibi gratiam suam*, ad denotandam scilicet hanc Clavem scientiæ, quam vi ordinis Episcopalis accipiunt; &, ut ea salubriter uti valeant, statutum est in Concil. Trid. *sess.* 22. *de Ref. cap* 2. quòd Episcopus, *ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere, antea in Universitate studiorum Magister,* 18 *sivè Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theologia, vel in jure Canonico meritò sit promotus.* Imò, quia Privilegium facit doctoratum, sed non doctorem, ut omnis suspicio fraudis, & insciliæ præcaveatur, decrevit Clemens Papa Octavus, ut quilibet promovendus ad Episcopatum debeat examinari circa Scientiam, quantumvis sit Litteratus; ut disserit Pax Jordanus *tom.* 1. *lib.* 1. *tit.* 19. *num.* 4. *& lib.* 7. *tit.* 1. *num.* 3. Barbosa *de Episc. part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 2. ubi de præcisa obligatione Episcoporum prædicandi Verbum Dei, ex professo agunt, allegantes plurimas SS. Patrum, ac Doctorum auctoritates.

Porrò hæc Clavis *Scientiæ* data fuit per Christum Petro, & Apostolis cum prærogativa infallibilitatis; quæ quidem infallibilitas transivit, & residet in Romanis Pontificibus Successoribus Petri; non etiam in aliis Episcopis, quamvis Apostolorum locum occupantibus. Quòd Petro, & Pontificibus Romanis attributa sit à Christo Clavis Scientiæ 19 cum hac prærogativa, ut errare non possint in decernendis his, quæ ad fidem, vel ad mores spectant, concedunt omnes Doctores Catholici tam Theologi, quàm Canonistæ, quos longa serie cumulant Barbosa *de Jure Eccles. Univ. lib.* 1. *cap.* 2. *à num.* 38. *& seqq.* & Fagnanus *in cap. Majores. num.* 14. *& 15. de Baptismo*, ubi refert S. Thomam ita docentem *in* 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. ea ratione, quia Christus soli Petro, dum eum Summum Pastorem, & Vicarium suum constituit totius Ecclesiæ, dixit: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Luc.* 22. 32. Idcircò quamvis Papa, qui est Vicarius Christi, & Successor Petri, ut homo privatus possit errare, tamen quando diffinit ex Cathedra, tanquam Magister, & caput Ecclesiæ, errare non potest; licèt enim Deus non dederit ei impeccabilitatem in agendo, *cap. Non nos, & ibi Glossa penult. dist.* 4. dedit tamen ei infallibilitatem in diffiniendo, *cap. Hæc est fides.* 24. *q.* 1. *cap. Majores.* 3. *De Baptismo.* Quod latè demonstrant Cardinalis de Turrecrem. *lib.* 2. *de Ecclesia cap.* 19. *& cap.* 110. Card. Bellarmin. *lib.* 4. *de Romano Pontif. cap.* 3. Card. de Lauræa *in Epitom. Canonum Verb. Papa circa res fidei.* Canus *de Locis Theolog. lib.* 6. *cap.* 3. *& seqq. usque ad cap.* 8. Suatez *de Fide disp.* 5. *sect.* 8. Barbosa *d. lib.* 1. *cap.* 2. *à num.* 38. *& seqq.* Fagnanus *in d. cap. Majores. à num.* 13. *de Baptismo.* Novissimè Adden. ad Rotam Romanam *part.* 3 *recent. Decis.* 2. §. 5. *num.* 29. *& plurib. num. seqq.* nec non Jo. Laurent. Lucchesinius *in Opusculo de Infallibilitate Pontificis Maximi*; ubi pius Lector amplissimas auctoritates hujus veritatis videbit.

Aposto-

Apostolis quoque Christus Dominus elargitus fuit hanc Clavem scientiæ cum prærogativa infallibilitatis, ut probat Emanuel à Schelestrate *de Antiquitate Ecclesiæ tom. 2. dissert. 2. cap. 1. num. 10.* Siquidem *Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Luc. 24. 45.* Et iisdem promisit, quòd *Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Joan. 14. 26.* Et rursus apud *Joan. cap. 16. num 13. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et ita tenuerunt SS Patres, & Concilia, ibi allegata; firmatque De Marca Archiepiscopus Parisiensis *In Exercitatione de Singulari Petri Primatu num. 5.* concludens his verbis: *Apostoli à fide deficere à Deo eruditi non poterant.* Cæterùm, quia in Apostolis hæc prærogativa fuit personalis, ideò non transivit in Episcopos eorum successores, quorum penè infinitus numerus erravit in fide, & à fide; nam, ut loquitur Adden. ad Rotam *d. part. 3. Decis 2. §. 5. sub num 41. Si cursim decurramus per omnes Mundi provincias, in quibus Apostoli prædicarunt: deficit Achaja, ubi Andreas: Asia, ubi Joannes: Hierosolyma, ubi Jacobus: India, ubi Thomas: Persia, ubi Simon, & Judas: Æthiopia, ubi Matthæus: utraque Græcia, ubi Paulus: Phrygia, ubi Philippus: Samaria, ubi Matthias: India citerior, ubi Bartholomæus, & sic de singulis aliis locis. Sola Roma, quam Divinus Monarcha pro ejus sempiterno domicilio in terris elegit, cap. Novit. de Judic. cap Fundamenta ejus. De Elect. in 6. Beati Petri prædicatione edocta, pro cujus fidei firmitate rogavit Christus, tanquam columna, saxumque immobile permanet, ac permanebit.*

10 Hinc est, quòd Concilia Generalia, etsi congregata Papæ auctoritate, si Papa in illis non sit præsens, non habent prærogativam infallibilitatis; & Episcopi in eis intervenientes, quamvis habeant Clavem scientiæ, possunt errare, ut advertit Fagnanus *in cit. cap. Majores. num. 29. de Baptismo*; & ibi Cardin. Turrecrem. *in cap. Anastasius. in fin. dist. 19.* & Cardin. Albanus *de Potestate Papæ, & Concilii in 2. part. num. 107.* ideòque Concilium Ephesinum II. licèt universale, & legitima auctoritate congregatum, erravit in diffinitionibus fidei, quas Leo Papa noluit confirmare, & in sequenti Concilio Calcedonensi tanquam hæreticum damnavit, ut plenè demonstrat Luccheninus *in d. Opusculo.* Et alia plura Concilia, in quibus Papa non præsedit, erraruntcirca fidem, ut ostendit idem Cardin. Turrecremata *de Ecclesia libr 3. cap. 58. Vers. Secundo modo*; Et Gryfaldus *in Decis. Fidei Cathol. Verb. Concilium generale*; undè notat Fagnanus *in d. cap. Majores. n. 36.* quòd diffinitiones Concilii Generalis non sunt habendæ pro articulis fidei, nisi in tribus casibus. Primus est, cum Papa est præsens in Concilio. Secundus est, cum Papa committit Concilio, ut talem articulum sic, vel sic definiat. Tertius est, cum Papa, prævia examinatione, Canones Concilii confirmat sua Auctoritate Apostolica, & ab omnibus Christi fidelibus suscipiendos, ac servandos esse decernit; ut frequenter factitatum legitur in Historia Conciliorum, & servatum fuit à Pio Papa IV. in confirmatione Concilii Tridentini, ut in ejus Bulla posita in calce Concilii, quæ incipit: *Benedictus Deus.* Et hoc idem erudito calamo firmat noster Abbas Paulutius, Canonicus Patavinus, & Sacræ Rotæ Romanæ Auditor *in Jurisprudentia Sacra lib. 3. tract. 3. cap 6. in fin. In excursu* per totum; in quo astruit causam inerrabilitatis Conciliorum.

His ita firmatis, non est sub silentio prætereundum, quòd non defuerunt tum priscis, tum præsentibus temporibus hæretici homines, qui impugnarunt infallibilitatem Clavis scientiæ in Summis Pontificibus Romanis, eos de variis erroribus redarguentes in rebus fidei; ut referunt Azorius *Instit. Moral. tom 2. libr. 5. cap. 4. Vers. Tertiò quæritur.* Barbosa *d. libr. 1. cap. 2. à num. 52. & seqq.* Cotonius *libr. 3. Controv. 9. cap 7. num. 208.* novissimè Illustrissimus Baptaglinus *in sua erudita Historia Conciliorum,* vulgari sermone, sed non vulgari ingenio exarata, quam legisse juvabit omnem Ecclesiasticum, tum ob plenam notitiam progressus Religionis ab Apostolis usque ad hæc tempora; tum ob innumeras propè eruditiones Historiam Sacram, ac profanam concernentes. Igitur præfatus Illustrissimus, ac Reverendissimus Episcopus Baptaglinus in ultima editione prædictæ Historiæ Conciliorum loco infra citato refert, & confutat sequentes latratus Aloysii Memburgi, Societatis JEsu desertoris; videlicet: Primò *ad Concil. 3. Apostol.* quòd S. Petrus erraverit in fide, abstinendo Antiochiæ à cibis prohibitis in Lege Mosayca; ideò eum S. Paulus reprehendit, ut *in Epist. ad Galat. cap 2. Vers 11.* Secundò, quòd *Anno* 357. erraverit Liberius Papa, subscribendo Concilium Sirmii, in quo firmata fuerat formula Symboli non exprimentis consubstantialitatem Verbi cum Patre Tertiò, quòd *Anno 553. num. 10.* licèt in Concilio II. Constantinopolitano damnata fuerit Epistola Ibæ Episcopi Edessæ in tribus capitulis, eam Vigilius Papa approbaverit. Quartò, quòd *Anno 681.* Honorius Papa scripserit, & tenuerit hæresim Monotelitarum de unica voluntate Filii Dei. Quintò, quòd *Anno 897.* Stephanus Papa VII. sivè VI. erraverit, decernendo, ut Clerici ordinati à Formoso Papa Prædecessore suo, iterùm ordinarentur. Sextò, quòd *Anno 1197.* Clemens Papa III. seu potius Cœlestinus III. damnatus sit ab Innocentio III. *in cap. Quanto. de Divortiis,* eò quia docuerit, uxorem hæretici ad fidem Catholicam venientem posse alii nubere. Septimò, quòd *Anno 1327.* Joannes Papa XXII. in eum inciderit errorem contra fidem, animas scilicet ab omni peccato purgatas frui non posse visione Dei in alia vita, antequàm veniat finis mundi, & fiat judicium universale. Octavo ad *Annum 1558.* Paulum Papam IV. dum ab eo peteretur annullatio Matrimonii Ducis Memoransi cum Principissa de Piennes, dixisse, sibi cavendum, ne imitaretur Prædecessores suos, qui erraruntcirca indissolubilitatem Matrimonii.

Hæc tamen, & similia objecta, quæ brevitatis gratia omittimus, nullius sunt roboris; quia sunt meræ calumniæ, & impostura à Novatoribus ex odio contra Apostolicam Sedem, ac Romanos Pontifices excogitatæ. Itaque ad primum respondetur, in nihilo erasse Divum Petrum abstinendo à cibis in Lege Mosayca prohibitis; quia cum jam Lex Mosayca esset mortua, nondum erat sepulta; neque peccatum erat, aliquas ejusdem legis ceremonias observare honesto aliquo motivo, ut fecit non semel Paulus, dum circumcidit Timotheum, & dum votum Nazareatus explevit. Cæterum eum Paulus reprehendit, vel ex condicto, ut sic Judæi baptizati removerentur ab observanda Lege Mosayca circa cibos, vel liberiori spiritu, ut Gentiles pariter baptizari scirent, eos non posse adigi ad ejusdem Mosaycæ Legis ritus, præcipuè in cibis observandos. Quidquid fuerit, nullus error, nulla culpa, nullum dogma contra fidem reperiri potest in D. Petro, ut latiùs demonstrat Eminentiss. Card. Baro-

Baronius *ad Annum Christi 51. num. 31.* & ejus compilator Spondanus *ibid. à num. 7.* Ad secundum respondet Emin. Cardinalis de Aguirre *in Defensione Cathedræ S. Petri disp. 28. sect. 2. n. 22.* nullum fuisse errorem contra fidem in illo Sirmii Concilio, licèt enim in Symbolo ibidem firmato non posuissent Patres verbum *Omeusion* ideſt consubstantialem Patri, tamen dixerant *Omousion*, ideſt similem substantiæ Patris, quod satis erat ad denotandam divinitatem Christi; ut confessus est quoque Memburghus, cum esset Jesuita *in Jua Historia Ariana lib. 4. fol. 504. & 505.* Ad Tertium respondetur, Epistolam Ibæ non fuisse invincibiliter hæreticam, sed potuisse recto sensu intelligi, & ab hæresi liberari; ideo Vigilius Papa hac de causa eam approbavit, ut bene demonstrat idem Emin. de Aguirre *disp. 29.* Ad Quartum, negatur, Honorium docuisse unam voluntatem tantum in Christo; quamvis enim obscure egerit de illa quæstione, constat ex ejus dictis tenuisse duas in Christo voluntates, ut latè Eminentiss. de Aguirre *defens. 302. per totam.* At Quintum, cessat suspicio erroris ob reiterationem ordinum, quia non de ordinibus, sed de dignitatibus reiterandis intellexit Stephanus Papa; opinatus, Formosum Prædecessorem suum nullitereas contulisse. Ita Eminentiss. de Aguirre *disp. 30. n. 54. & seqq.* Ad Sextum plures dantur responsiones vindicantes Pontificem ab impacto errore. Una quod non constat de asserta ejus decretali. Altera, quod esto reperiretur, non fuit facta ex Cathedra, sed tanquam ex opinione hominis privati; ideò Innocentius III. *in d. cap. Quanto. de Divor.* ait, *licèt quidam Prædecessor noster aliter sensisse videatur.* Aliud autem est *sentire*, aliud *docere*, & determinare. Manifesta est autem malignitas glossæ *in eodem cap. Quanto. in V. Prædecessor*, ubi arguit de asserto errore Cœlestinum III. allegans ejus decretalem *in cap. 1. de Conversione infidelium*; in qua agit de nullitate Matrimonii ob impedimentum criminis ex homicidio; non autem si conjux fidelis divertat ad hæreticos. Ad Septimum, quia famosa erat disputatio illa, an animæ in Cœlo ante diem judicii universalis fruantur visione Dei, tempore Joannis XXII. videatur Jo: Palatius *in Gestis Pontificum Romanorum*, in Vita ejusdem Joann. XXII. ubi eum defendit à latratibus tum Calvini, tum aliorum impostorum, inter quos Memburgus, ostenditque Pontificem nihil de ea diffiniisse; sed ordinasse Cardinalibus, & Doctoribus suæ ætatis, ut rationes pro utraque opinione colligerent, quibus ponderatis posset quæstionem terminare. At morte præventus Joannes XXII. nihil decrevit, eam autem diffinivit Benedictus XII. ejus Successor, prout in ejus *Constitut. IV in Bullario tom. 1. pag. 185.* Incipien. *Benedictus Deus &c.* Ad Octavum respondetur, Memburgum manifestè calumniari verba Pauli IV. qui nequaquam dixit, Prædecessores Pontifices erasse circa indissolubilitatem Matrimonii; sed cautè esse procedendum circa probationes de facto; ne in eis veritas occultetur, ut potuerit accidisse cum suis Prædecessoribus, ut latius idem Illustrissimus Baptaglinus in prædicta Historia Conciliorum, *Anno 1558. pag. 399. in ultima Editione*; præter supracitatos Auctores Azorium, Barbosam, & alios apud illos, tuentes inerrabilitatem *Clavis scientiæ* in Papa in dogmatibus tum fidei, tum morum, quando ex Cathedra respondet, & definit; prout facit in canonizatione Sanctorum, ac in approbandis Religiosorum ordinibus, & consimilibus diffinitionibus spectantibus ad statum universalem totius Ecclesiæ; in quibus omnibus ex speciali promissione Dei Papa errare non potest; ut optimè disputando concludit Fagnanus *in cap. perniciosam, à num. 56. & seqq. De Offic. Ordin.* nec non *in cap. Venerabili à num. 10. & seqq. de Testibus tom. 3. & in cap. Audivimus. num. 27. 28. & 29. tom. 5. de Reliq. & Venerat. Sanctor.* Et hæc de Clavi scientiæ pro foro externo.

Altera Clavis fori externi est Jurisdictio, ideſt Potestas, & superioritas super aliquos, ratione cujus hi tenentur obedire habenti Jurisdictionem, dum justa præcipit; & dividitur in Ecclesiasticam, & Civilem; ideò duplex est jus, aliud Canonicum, aliud Civile; unde promanant Canones, & Leges, quibus homines diriguntur in causis spiritualibus, & temporalibus. Emin. Card. de Lauræa *de Pœnitent. Sacram. d. disp. 18. art. 5. n. 98.* & Baldellus *in Theologo Morali tom. 1. lib. 5. disp. 1.* nec non *d. lib. 5. disp. 6. n. 2.* ubi differentiam notat utriusque Juris. Jurisdictio Ecclesiastica definitur à Cardin. de Turrecremata *lib. 1. de Eccles. cap. 93.* Ut sit: *Potestas ad regendum populum secundum Legem divinam in ordine ad beatitudinem supernaturalem.* Est autem duplex. Una *Directiva*, quæ exercetur, tradendo Leges, mandata & præcepta; ex quorum observatione aperitur aditus, & ingressus ad Regnum cœlorum. Altera, *Coercitiva*, qua puniuntur inobedientes, & contumaces censuris ac pœnis, ut resipiscant, & ad viam salutis æternæ revertantur; ac prævia absolutione à prædictis pœnis, & censuris, Cœlum, quod illis clausum rat, aperiatur, ob quam causam Jurisdictio Ecclesiæ sortita est nomen Clavis; quæ potest subdividi in duas Claves subalternas, prout duæ sunt species Jurisdictionis; *Prima* dirigendi bonos ad Cœlum per præcepta; *Secunda* puniendi malos per censuras, & alias opportunas pœnas, ad hunc finem, ut utraque aperiatur Cœlum utrisque. 22

Igitur hæc Clavis fori externi, quæ est Jurisdictio Ecclesiastica, data est per Christum Divo Petro, ac ejus successoribus Pontificibus Romanis cum duabus ampliationibus. Item data est per eundem Christum SS. Apostolis cum duabus limitationibus. Tandem post Apostolos voluit Christus, eam transire in Episcopos Apostolorum Successores, sed cum duabus conditionibus. De singulis breviter disseramus.

Divo Petro, ac Pontificibus Romanis ejus Successoribus data fuit hæc Clavis à Christo Domino, juxta id, quod dixit ei, *Matth. 16. 19. Et Tibi dabo Claves Regni Cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Et post Resurrectionem suam à mortuis dicendo eidem Petro, *Joan. 21. Pasce oves meas*; ideſt rege, & curam habeas omnium mearum ovium (animarum scilicet ob finem æternæ beatitudinis creatarum) tradidit ei omnem Jurisdictionem pro foro externo, ad regimen animarum necessariam. *cap. Significasti 4. de Elect. cap. cum instantia 27. in fin. de Censib.* Et ex hac divina concessione resultat prima Ampliatio, videlicet hanc Clavem, Jurisdictionemve traditam Petro, & Romanis Pontificibus ejus Successoribus non esse alicui loco, vel personis restrictam, sed se extendere per mundum universum; & comprehendere quamcunque personam, sive privatam, sive publicam: Principes, 23

Reges, & Imperatores; Episcopos, Patriarchas, Metropolitas; super quibus omnibus Petrus habuit, & Papa habet Primatum; ut infiniti propemodum Scriptores Catholici testantur, confutantes hæreticos tum vetustos, tum modernos, Primatum Sedis Apostolicæ decerpentes; ut videre est apud Emanuelem Schelstratem *de Antiquit. Eccles. tom. 2. Dissert. 2. cap. 6. art. 2. & art. 3.* & Paulum Rubeum *in Addit. ad d. Rotam Romanam part. 3. recent. decis. 2.* ubi Theologos, Canonistas, & Legistas cumulat, potissimum §. 4. *num. 28. & 29.* Azorium *d. part. 2. lib. 4. cap. 10.* Barbosam *de Jure Eccles. Univ. d. lib. 1. cap. 1. num. 18. & 19* atque Lucheſimum in altero Opusculo *de Præstantia Pontificis Maximi* per totum. Secunda ampliatio hujus clavis, seu Jurisdictionis est, quod talis, qualis fuit per Christum Petro elargita, transeat ipso facto in Romanos Pontifices; qui, postquam sunt Canonicè electi, confestim accipiunt à Deo plenitudinem potestatis per universum mundum; idcirco Papa non à Cardinalibus, neque ab alia quavis creatura, sed immediate ab ipso Deo recipit plenitudinem Potestatis, ut ex professo testantur SS. Patres, Concilia, & Canones, quos referunt Azorius *d. lib. 4. cap. 11.* pax Jordanus *d. tom. 1. Prælud. 3. num. 13.* P. Macedo *de Clavibus Petri lib. 1. dissert. 4. cap. 1.* & Schelstrates *d. tom. 2. Dissert. 3. cap. 3. ubi num. 9.* ait: *Longum esset ceterorum Patrum, scriptorumque loca adducere, cum plura sint, quam ut facile enumerare possint: quare omissis singulorum Episcoporum testimoniis, conciliorum generalium acta recensebimus, ex quibus de Orbis universi judicio constabit*, & recensitis Conciliis hanc successoriam plenissimam Potestatem in Sede Apostolica Romana profitentibus; *cap. 4.* Historiis demonstrat, quòd *Romani Pontifices auctoritate Apostolica per Orbem universum usi sint, & curam totius Ecclesiæ semper gesserint*; ac idem probando prosequitur Paulus Rubeus *in addit. ad d. decis. 2. part. 3. recent. §. 5. §. 6. & §. 7.* ad quem studiosus recurrat, si eruditas probationes, & easdem eruditionibus ornatas cupiat videre super amplissima Papæ Jurisdictione, immediate sibi à Deo data.

Apostolis prædicta Clavis, quæ est Jurisdictio pro foro externo, fuit à Christo elargita; sed cum duabus limitationibus. 24 Pro intelligentia sciendum, controversiam esse inter Canonistas, & Theologos, an Apostoli receperint Jurisdictionem immediatè à Christo, vel potius à Divo Petro? Card. à Turrecremata *in cap. Ita Dominus num 9. dist. 19.* & Cardinalis Jacobatius *de Concilio lib. 10. art. 7.* quos citat, & sequitur Fagnanus *in cap. Perniciosam. num. 47. & 48. de Offic. Ordin.* volunt, Claves Jurisdictionis pro foro externo provenisse in Apostolos à Petro, cui tantum à Christo fuerant promissæ, ac datæ. At Scotus *in 4. dist. 19. §. de Quinto*, apertis verbis docet potestatem Jurisdictionis datam fuisse à Christo Apostolis, quando iisdem dixit, quod qui spreverit Ecclesiæ correptionem, *sit tanquam Ethnicus, ac Publicanus*; subdens *Matth. 18. 18. Amen dico vobis quæcunque alligaveritis super terram &c.* Scoto autem adhærent Suarez *de Pœnitent. disp. 24. sect. 1.* Vasquez *in quæst. 93. art. 1. num. 2.* & aliis omissis Emin. Cardin. de Lauræa *de Sacram. Pœnit. d. disp. 18. art. 9. num. 261.* sed cum his duabus limitatio- 25 nibus. Prima est, quod ex concessione illius Jurisdictionis exercendæ per totum Orbem, quò ituri erant prædicaturi Evangelium, non essent exempti ab auctoritate, & superioritate Petri, quem Christus constituerat primum, ac supremum Pastorem Ecclesiæ suæ in illis verbis, *Pasce oves meas, Joan. 21. 17.* ideòque iidem Apostoli erant oves Christi, & eorum Prælatus, ac Pastor erat Petrus; quapropter idem Emin. Cardin. de Lauræa *ibid. num. 270.* ita scribit, *Principium a Petro sumit Ecclesia, & ipse omnibus Superior fuit: potuit enim in Apostolos omnes exercere Jurisdictionem, eisque præcipere, Legesque ab eis observandas condere, & in hoc salvatur Principatus illius respectu Apostolorum.* Secunda limitatio est, quòd Jurisdictio data Apostolis à Christo fuit personalis, seu extraordinaria; & per consequens non transmissibilis in alios Episcopos successoreorundem Apostolorum; adinstar aliarum prærogativarum, quibus Apostoli fuerunt à Christo prædíti, eundi scilicet, & prædicandi per universum mundum, miracula faciendi conficiendi libros Canonicos de doctrina fidei, fundandi novas Ecclesias, & instituendi novos Episcopos; hæc enim omnia ex privilegio concessa per Christum Apostolis, cessarunt per mortem Apostolorum; itaut alii Episcopi in eorum locum succedentes Claves Jurisdictionis teneantur accipere à Papa tanquam à supremo pastore totius Ecclesiæ; ut concludit Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 18. art. 8. num. 243. & 244.* & Pax Jordanus *d. Prælud. 3. num. 20.*

Episcopi autem habent Clavem Jurisdictionis in tota sua Diœcesi tàm directivam, quàm coercitivam, quia possunt judicare, punire, excommunicare, suspendere, interdicere, visitare, & exercere omnes alios actus Jurisdictionales, quos cumulat, & numerat Fagnanus *in cap. Conquerente. à num. 12. & seqq. usque ad num. 40. De Offic. Ordin.* Sed cum duabus conditionibus. Una est, quod eam reci- 26 piant à Papa, quem Christus constituit Monarcham, Principem, & caput totius Ecclesiæ; ideoque sicut à capite derivat omnis virtus in membra, sic à Summo Pontifice Romano procedit omnis jurisdictio in alios Episcopos, ut bene probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Sacram. Pœnit. d. disp. 18. art. 8. à num. 335. & seqq.* & Fagnanus *in cit. cap. Perniciosam à num. 28. usque ad num. 54. de Offic. Ordin.* ubi juribus, rationibus, & auctoritatibus tum Theologorum, tum Canonistarum probat, Episcopos non recipere jurisdictionem immediatè à Christo, sed à Papa; & idem docet Pax Jordanus *in d. tom. 1. Prælud. 3. num. 12. & 13.* Barbosa *de jure Eccles. Univ. lib. 1. cap. 8. num. 19.* ac Emanuel à Schelstrate *à tom. 2. Antiquit. Eccles. Dissert. 4. cap. 3.* Secunda conditio est, quod concessam Episcopis Jurisdictionem Papa non suspendat, non auferat, aut illa eos non privet; siquidem Papa potest totaliter auferre alicui Episcopo omnem Jurisdictionem, ut demonstrat idem Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 18. art. 8. num. 227.* ubi adfert exempla S. Leonis, qui Dioscorum Patriarcham Alexandrinum privavit Patriarchatu; S. Agapiti, qui Antimum Patriarcham Constantinopolis deposuit; Victoris, qui Theodotum, & aliorum plurium, de quibus Eminentiss. Cardin. Bellarminus *lib. 4. de Romano Pontifice cap. 25.* ubi copiosè Barbosa *de Potest. Episc. tit. 1. cap. 1. num. 25.* & Pax Jordanus *d. Prælud. 3. num. 15.* ubi alios allegat.

At objiciet aliquis. Episcopos *posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei Act. 20. 28.* Ergo habent à 27 Deo tum ordinem, tum Jurisdictionem Episcopalem. Igitur sicut Papa non potest auferre Episcopis ea quæ sunt ordinis, *cap. in novo, ubi Glossa in Verb. pars, dist. 21.* Ita neque ea quæ possunt

Jurisdi-

Jurisdictionis. Respondetur, negando consequentiam; ratio est, quia Episcopi recipiunt potestatem ordinis per consecrationem immediate à Deo, à quo institutus est ordo Episcopalis ad regendam Ecclesiam; sed quia voluit, ut Episcopi individualiter deputarentur mediante Papæ approbatione; hac de causa voluit Christus, ut Jurisdictionem reciperent à Papa, non autem eam haberent una cum ordine; ideò Episcopi Titulares, vel qui renunciarunt Episcopatui, ac suspenduntur ab officio, retinent potestatem ordinis, sed remanent sine Clave Jurisdictionis; quam è converso plures Episcopi obtinent ante consecrationem in actu eorum confirmationis; quia hæc Jurisdictio fori externi non pendet à potestate ordinis Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 18. art. 8. num. 227.* Fagnanus *in cap. Statuimus num. 21. De Supplen. neglig. Prælat.* Et sic ad dictam objectionem respondet Jordanus *d. Prælud. 3. num. 16.* Fagnanus *in cit. cap. Perniciosam. num. 50. De Offic. Ordin.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 18. art. 8. num. 244.* subdens, quod Episcopi positi sunt, id est instituti à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei ex generali decreto; cujus executio commissa est Summo Romano Pontifici, prævia deputatione Episcoporum hic, & ubique per eum facienda; & sic à Papa recipiunt Jurisdictionem pro Diœcesi, in qua deputantur, tanquam à Christi Vicario, & Supremo Pastore.

At denuò quis replicabit objiciendo: Apostoli per universum orbem instituebant Episcopos. Ergo iis non à Petro, sed ab Apostolis dabatur jurisdictio. Ulterius, post Apostolos Episcopi eligebantur à Clero. Ergo recipiebat Jurisdictionem ab aliis, & non à Papa. Respondetur ad primum, quod Apostoli eligebant Episcopos tanquam delegati à D. Petro, & de ejus mandato; sic enim commisit illis tanquam Vicarius Christi, & Supremus Pastor Ecclesiæ. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 18. num. 255.* cui subindè per litteras dabatur notitia de electis; & hinc est, quod ipse Apostolorum Princeps scripsit suam primam Epistolam Episcopis *Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bythiniæ*, tanquam ibi electis, & institutis per Apostolos de suo mandato, hortans illos ad rectum regimen animarum, ut in *ead. Epist. cap. 5.* vocans eos *Seniores*, scilicet, (ut ait ibidem Tirinus) *Non tam ætate, quam dignitate Episcopos, & Presbyteros, quibus commissum erat regimen Ecclesiarum illarum.* Subdens *Vers. 2. Pascite qui in vobis est gregem Dei*; scilicet *qui vobis subditus, & commissus est, ut Syrus vertit, nempè singuli particularem Ecclesiam sibi concreditam.* & facit *cap. Omnes d. 22.* in quo Nicolaus II. ita expressit: *Omnes sive Patriarchii cujuslibet apices, sivè Metropoleon Primatus, aut Episcopatuum Cathedras; vel Ecclesiarum cujuslibet ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia.* In Occidente autem Episcopos fuisse missos à D. Petro per omnes Provincias ad prædicandam fidem, constat tum ex missione S. Prosdocimi Patavium, S. Hermacoræ Aquilejam, & S. Apollinaris Ravennam; tum aliorum Septem Episcoporum in Hispaniam, quorum nomina refert (ex Historia Hispaniæ Lucii Marinei) Emanuel à Schelstrate *de Antiquit. Eccles. d. tom. 2. Dissert. 4. cap. 4. num. 2.* Ad secundum respondetur, quòd quando introducta fuit electio Episcoporum à Clero; adhuc Episcopi recipiebant Jurisdictionem à Papa, vel per Confirmationem electorum, quæ petebatur ab Apostolica Sede; vel à Metropolitano, uti ejusdem Sedis Apostolicæ delegato, ut expressum est in Jure Canonico, in quo statutum fuit, quod nullus electus ad Ecclesias Cathedrales possit administrare, nisi recepta confirmatione. Fagnanus *in c. nihil de Elect.* & scribunt Canonistæ ibi; & *in Extrav. Injunctæ eod. tit.* adeò ut à primordio Ecclesiæ usque ad præsentia tempora Episcopi semper receperint Jurisdictionem vel à Sede Apostolica immediatè, vel ab eadem mediantibus Legatis suis, aut Metropolitanis hanc delegatam facultatem ab eadem Sede habentibus. *cap. Quoniam. dist. 100. cap. cum dilectus 32. de Elect. & cap. 2. dist. 64. cap. Presbyteri dist. 24.* Barbosa *de Jure Eccles. d. lib. 1. cap. 9. num. 6.* quam quidem facultatem Patriarchæ Metropolitæ tunc à Papa recipiunt, cum ab eodem Pallium de corpore B. Petri sumptum consequuntur *cap. Nisi. cap. Antiqua de Auctor. & usu Pallii. cap. In novo. dist. 21.* Barbosa *d. lib. 1. cap. 6. num. 35.*

Tandem hæc Clavis Jurisdictionis Ecclesiasticæ directiva, & coercitiva pro foro externo tranlit ex commissione Papæ in manus Cardinalium, qui eam exercent in personas subditas suis titulis Cardinalitiis. Abb. *in cap. His, qui. De Major. & obed.* Joan. Menoch. *in cap. Unic. eod. tit. in 6.* Albanus *de Cardinalatu. q. 46.* & Barbosa *d. lib. 1. cap. 4. num. 38.* nec non in manus aliorum Prælatorum inferiorum, videlicet Abbatum sivè Titularium, sivè Commendatariorum, habentium Jurisdictionem quasi Episcopalem cum Territorio separato, ac populo sibi subjecto; quales sunt Abbates Vangaditiæ, & Nonantulæ, ac similes; Barbosa *d. lib. 1. cap. 17. num. 19. & num. 75.* Item in Abbates Regulares Præsides Monasteriorum, qui Jurisdictionem exercent in suos Monachos *d. cap. 17. num. 72.* Similiter in Vicarios Capitulares, Sede Episcopali vacante, quiex Juris Canonici dispositione, idest ex Summi Pontificis concessione subintrant in Jurisdictionem Episcopalem, donec Ecclesia de novo Pastore provideatur. Sbrozzius *de Offic. Vicar. lib. 2. q. 55. num. 31.* Marchettus *eod. tract. part. 1. tit. 2. num. 13.* Ulteriùs in Priores, Præpositos, Guardianos, & alios Superiores Ordinum Regularium Mendicantium, qui dum à solo Papa approbantur. *cap. Ne nimia. De Religiosis domib. & cap. Religionum eod. tit. in 6.* ab eodem Papa recipiunt Jurisdictionis Clavem pro dirigendis, & coercendis suis Fratribus Professis, ac Novitiis, de qua optimè disserit Lezana *in Summa tom. 1. cap. 18. num. 25. & tom. 4. Verb. Prælatus Regularis. à num. 9. & seqq.* De Abbatissis verò disputabile est, utrum etiam ipsæ habeant Clavem hanc Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Pro negativa facit, quia non possunt excommunicare, aut alias censuras fulminare. *cap. Dilecta. ubi Glossa, & DD. de Majorit. & Obed.* Et fœminæ sunt incapaces Jurisdictionis Ecclesiasticæ *cap. Nova. de Pœnit. & Remiss.* Neque possunt prædicare, aut alios docere. *cap. Adjicimus. 16. q. 1. cap. Mulier. dist. 23.* Prout neque Vota simplicia Monialium dispensare; ut aliis citatis asserunt Lezana *in Summa tom. 1. cap. 26. num. 15.* Pax Jordanus *tom. 1. libr. 5. tit. 4. à num. 24. & seqq.* At è contra pro affirmativa facit, quod Abbatissæ conferunt beneficia subjecta, seu de mensa suorum Monasteriorum, ut faciunthic Patavii Moniales S. Stephani, ac Abbatissa S. Petri, quæ de consensu sui Capituli confert tres Ecclesias Parochiales, duo beneficia simplicia, & duas Mansionarias perpetuas (quarum unam, illam scilicet S. Pauli, habentem redditus annuos Ducatorum centum

tum & ultra, in præsenti ego possideo.) Item Abbatissæ possunt suspendere ab officio beneficiatos negligentes, vel delinquentes à se investitos. *d. cap. dilecta, & ibi Abbas. De Major. & Obed.* Jordanus *d. tit. 4. num. 26.* Tamburin. *de Jure Abbatissar. disp. 32. quæs. 5, num. 3. & quæs. 12. per tot.* Ac etiam possunt Abbatissæ imponere Monialibus præcepta obligantia ad peccatum, etiam mortale, & Moniales tenentur illis obedire; & valent præcipere eis in virtute Sanctæ obedientiæ: & cogere Moniales ad observantiam Regulæ; punire illas propter transgressionem, & inquirere de delictis earum ut latè ostendit Lezana *in Summa d. tom. 1. cap. 26. à num. 8. & seqq. & tom. 3. Verb. Abbatissa num. 14. & 15.* Cæterùm concordantur hæ opiniones cum hac distinctione, quòd scilicet Abbatissæ verè, & propriè Clavem Jurisdictionis Ecclesiasticæ pro foro externo non habeant, sed potestatem dominativam, & jus administrandi, & regendi Monasterium; personas, & bona illius; ut faciunt Paterfamilias; ideò irritare possunt vota Monialium, eas corrigere, hortari, & alia facere, quæ ad tranquillitatem Monasterii spectant, & ad bonum exemplum. Collationes autem beneficiorum non sunt auctorizabiles, id est collativæ spiritualis auctoritatis, quam dat Episcopus; sed ostensivæ materiæ, & formæ, ac personæ, cui jus commune, & sic ipse Papa statuit à principio, ut beneficia acquirantur; & quod dictum est de suspensione beneficiatorum, procedit lato modo de prohibitione humana, non autem de Censura Ecclesiastica, ut plenè demonstrant Lezana, Jordanus & Tamburinus *locis supra cit. & ibi DD. plurimi.* Novissimè Gonzalez *ad d. cap. Dilecta num. 8. & 9. De Major. & obed.* Et hæc de Clavibus fori externi.

Quo ad Quartum: non est sine Controversia apud Theologos, Quæ, & Quot sint Claves Ecclesiæ pro foro interno? Pro intelligentia sciendum has Claves fori interni importare potestatem absolvendi à peccatis in foro pœnitentiali, & secreto, quas Christus reliquit in Ecclesia, ut probatum est supra *num. 16.* de quarum Clavium numero, plures fuerunt opiniones apud Scriptores Ecclesiasticos, ut notat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 18. art. 4. num. 71.* ita scribens: *Alii dixerunt esse unam tantùm, significari tamen numero plurali, quia multos actus causat. Alii dixerunt, esse duas, scilicet ordinis, & jurisdictionis. Alii dixerunt esse tres, scilicet jurisdictionis unam, ordinis aliam, tertiam vero potestatem absolvendi. Alii differunt, esse quatuor, scilicet jurisdictionis, ordinis, idest Sacerdotii, scientiæ, & potentiæ.* Cæterùm his disputationibus omissis verior, & communior sententia est, quod duæ sunt Claves Ecclesiæ pro foro interno, pœnitentiali, & secreto; Una quæ dicitur *Clavis scientiæ*, & altera, quæ vocatur *Clavis potentiæ.* Cùm enim in omni judicio ad bene sententiandum, necesse sit, ut judex bene se informet de meritis causæ, & sciat necessarias circumstantias ejusdem; simulque habeat potestatem ferendi sententiam, vel absolutoriam, vel condemnatoriam; ita in Sacramento Pœnitentiæ, quod exercetur per modum judicii in foro interno, & secreto; opus est, ut Judex, nempè confessarius habeat potestatem interrogandi pœnitentem de speciebus, numero, & circumstantiis criminum; quæ sibi confitetur, ut se instruat ad ritè, & rectè sententiandum vel per absolutionem, vel denegationem absolutionis; & hæc potestas vocatur Clavis *scientiæ.* Subinde, quia habita notitia omnium sciendorum à pœnitente, debet idem Confessarius habere potestatem illum absolvendi à peccatis; & eum obligandi ad recipiendam pœnitentiam, & agendam satisfactionem, quam ei imponere voluerit; hæc secunda potestas est altera Clavis, quæ appellatur Clavis *potentiæ.* Ita ex Scoto, Glossa, Rabano, D. Augustino, & Alensi, Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 18. art. 4. num. 81.* & ante illum Suarez *tom. 4. in 3. part. D. Thomæ disp. 10. sect. 4. num. 6.* Novissimè P. Anton. Volpi in suis Resolutionibus Moralibus *Verb. Ordo Resol. 140. num. 6.* & Cardenas *in Crisi Theologica tract. 6. de Sacram. Pœnitent. disp. 51. num. 11. & 12.*

Quo ad Quintum: Has Claves fori interni, præter Papam in toto mundo, Episcopos in suis Diœcesibus, & alios inferiores Prælatos Territorium, ac subditos habentes, necnon Prælatos Regulares, si Sacerdotes sint, erga sibi subditos, (de quibus Tamburin. *de Triplici Jure lib. 5. cap. 4. §. 2.*) habent etiam simplices Presbyteri cum duobus tamen requisitis. Unum quod completè receperint ordinem Sacerdotalem; alterum, quòd à Papa, vel ab Episcopo sibi delegata sit Jurisdictio pro foro interno. Primum requisitum est, quod Presbyter sit completè ordinatus; sicut enim Apostoli, dum à Christo ordinati sunt Sacerdotes, receperunt duas potestates, unam consecrandi Eucharistiam, quando in cœna eis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem Luc. 22. 19.* alteram post resurrectionem absolvendi à peccatis, quando *Insufflavit & dixit eis; accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Joan. 20. 23.* Ita quilibet Sacerdos in sua ordinatione hanc duplicem potestatem recipit, sed non uno, & eodem actu, vel tempore. Nam primam consecrandi Corpus, & Sanguinem Christi obtinet tangendo patenam, & calicem, cum hostia, & vino; & hæc dicitur potestas in corpus verum; alteram consequitur post missam Episcopi per impositionem ejus manuum in capite; & hæc est potestas absolvendi à peccatis, quæ appellatur potestas in corpus mysticum Christi; necesse est igitur, ut completè ordinetur, id est, ut utraque potestas in ordinatione sibi ab Episcopo conferatur; siquidem per primam, deficiente secunda non posset absolvere à peccatis, sed tantùm consecrare, prout facere potuissent Apostoli à tempore cœnæ usq; ad antedictam insufflationem Christi, & per secundam deficiente prima neque consecratio, neque absolutio à peccatis esset valida, quia prima potestas est conditio, sine qua non valet secunda. Utraque igitur potestas est presbytero conferenda in ordine Sacerdotali, ut dicatur completè ordinatus. Tamburin. *de Triplici Jure lib. 7. cap. 5. §. 2.*

Alterum requisitum est, Quod Sacerdoti ultra ordinem Sacerdotalem, attribuatur Jurisdictio, quamvis enim antiquitus multi DD. opinarentur, quod quilibet Sacerdos completè ordinatus posset valide absolvere quemcunque coram se confitentem, etsi illicitè, ut ex Scoto refert Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 18. art. 7. num. 168.* hæc opinio damnata fuit tum in Concilio Florentino *in Decret. Eugenii IV.* tum in Tridentino *sess. 14. cap. 7.* ubi Sacra Synodus declaravit, *Nullus momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet Jurisdictionem.* Ordinariam autem Jurisdictionem pro foro interno habent Episcopi, Prælati erga subditos

subditos suos, ac Parochi; delegatam vero alii simplices Sacerdotes, dum ab Episcopo approbantur ad Confessiones, & iisdem impertitur Jurisdictio, ut possint absolvere pœnitentes à peccatis, ut dixi supra *Decis. XV. n.* 28. ex Gobat *tract.* 7.
32 *n.* 43. & Squillant. *de Oblig. & Privil. Episcop. part.* 3. *cap.* 39. *n.* 1. Et hæc est causa, propter quam Sacerdos, si prohibeatur ab Episcopo celebrare, & celebret; validè consecrat, quamvis illicitè faciat; at non approbatus ad confessiones, vel prohibitus, ne eas audiat; si de facto absolvat, invalida, ac nulla est absolutio; quia scilicet, potestas consecrandi data est ei absque ulla conditione in ordine Sacerdotali; at potestas absolvendi elargitur sub restrictione obtinendi priùs jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam, qua non obtenta (excepto casu periculi mortis, in quo Ecclesia concedit ipsam Jurisdictionem omnibus Sacerdotibus) invalidè Sacerdos absolvit, ut plenissimè demonstrat per Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 18. *art.* 7. *per tot. & disp.* 19. *art.* 9. *n.* 201. & doctissimus Mastrius *in* 4. *Sent. disp.* 5. *quæst.* 19. *art.* 1. *& à n.* 510. *& seqq.* Et in sua Theologia Morali *disp.* 21. *q.* 8. *art.* 1. *à num.* 200. *& seqq.* ubi bene advertunt Jurisdictionem, vel ordinariam, vel delegatam esse necessariam ex veriori opinione in simplici Sacerdote etiam pro ab-
33 solutione à venialibus, vel à mortalibus aliàs confessis, quæ opinio hodie est omninò tenenda; quia contraria damnata est ab Innocentio XI. in Decreto circa Communionem quotidianam dato Romæ *die* 12. *Februarii Anni* 1679. relato à Cardenas *in Crisi Theolog. tom.* 2. *Dissert.* 2. *cap.* 6. *art.* 9. *n.* 416. & per me transcripto in meis Decisionibus *De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decis. X. ad num.* 11. ut dixi supra *Decis. XV. num.* 30.

Quo ad sextum, & ultimum: Si quærimus, Quisnam sit effectus harum Clavium fori interni? & an sit infallibilis? respondetur tres esse effectus.
34 *Primus* est remissio, & deletio culpæ; licèt enim Magister Sententiarum, & alii antiqui Theologi asseruerint, culpam à solo DEO remitti, & deleri; Sacerdotem verò proferendo verba absolutionis tantummodo declarare culpam fuisse à Deo remissam, hæc opinio non est vera; imò est à Concilio Tridentino reprobata; quandoquidem *sess.* 14. *Can.* 9. definivit, quòd: *Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata, &c. Anathema sit.* Et veritas prædicti primi effectus est manifesta, tum quia Christus instituendo hoc Sacramentum dixit Apostolis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Joan.* 20. & non, *quorum pronunciaveritis fuisse remissa peccata*; tum quia Sacramenta efficiunt, quod significant. Sed Sacramentum Pœnitentiæ, per formam absolutionis significat, Sacerdotem tanquam Judicem absolvere pœnitentem. Ergo verè eum absolvit à culpa, & introducit gratiam in ejus animam, tum etiam quia nisi Sacerdos esset, qui absolvendo deleret culpam, in nihilo differret à Sacerdotibus Legis antiquæ, qui Leprosos non liberabant à Lepra, sed liberos esse declarabant; undè ait S. Jo. Chrysostomus *lib.* 3. *de Sacerdotio c.* 4. *Nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatos probare, sed purgare prorsùs concessum est.* Ad rationem verò, quòd soli Deo competat dimittere peccata: respondetur, intelligendam esse quo ad supremam, & principalem potestatem; ad Sacerdotem verò spectat ministerialiter, & tanquam ministrum Dei, ad hoc ab ipso Deo judicem constitutum, ut fusiùs docent, ac probant Gonet *tom.* 5. *disp.* 12. *art.* 3. *num.* 31. Mastrius *in* 4. *d. disp.* 5. *quæst.* 13. *art.* 1. *à num.* 364. *& seqq.* & Eminent. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 18. *art.* 10. *per totum.* Secundus effectus est remissio, ac deletio pœnæ æternæ, cùm enim pœna æterna annexa sit, & cohæreat culpæ mortali sequitur necessariò, quòd qui delet culpam, deleat etiam reatum, ac pœnam æternam. Et ita docent S. Thomas *in* 4. *dist.* 18. *q.* 1. *art.* 3. *& dist.* 22. *art.* 1. Scotus *ibid. dist.* 19. §. *ad quæstionem motam.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 18. & Mastrius *ead. disp.* 5. *num.* 368. Tertius effectus est, remissio alicujus partis pœnæ temporalis, quæ remanet solvenda Divinæ Justitiæ post deletam culpam, & remissam æternam pœnam; adeòut si deleta culpa per contritionem cum voto Sacramenti, remaneat solvenda pœna temporalis in Purgatorio centum annorum; si actualiter suscipiatur Sacramentum Pœnitentiæ, per absolutionem Sacramentalem, quam virtute clavium profert Sacerdos super eodem pœnitente, deletur aliqua pars ejusdem pœnæ, & diminuitur dictus numerus centum annorum. Hoc probatur ex illis verbis Concilii Tridentini *sess.* 6. *cap.* 14. in quibus assignans disparitatem effectus Sacramenti Baptismi, ac Sacramenti Pœnitentiæ, inquit, in hoc, & non in illo esse necessariam satisfactionem; *Non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur; sed pro pœna temporali, quæ, ut Sacræ Litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit dimittitur.* Itaque si non tota semper dimittitur, aliqua pars semper dimittitur. Ulteriùs Claves delent pœnam temporalem, quia dum Sacerdos earum virtute injungit pœnitentias faciendas in hac vita, eum liberat à pœnis aliàs solvendis in Purgatorio, ut bene prosequitur Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 18. *art.* 12. Mastrius *d. num.* 368. & Gonet *d. tom.* 5. *disp.* 13. *art.* 3. *num.* 31. ubi subdit, quòd pœnitentia Sacramentalis ultra deletionem pœnæ temporalis, ex peccatis jam condonatis relictæ, ex opere operato causat augmentum gratiæ habitualis; nec non auxilia quædam supernaturalia ad faciliùs præcavenda peccata in futurum. Utrùm autem hi effectus Clavium sint infallibiles? Respondetur affirmativè, dummodò clavis scientiæ non erret circa species, aut circumstantias mutantes illas; vel clavis potentiæ pariter non erret in absolvendo à peccatis reservatis, super quibus Sacerdos non habeat jurisdictionem. In his duobus casibus cessarent prædicti effectus, quia judicium esset invalidum; & Sacramentum nullum. At ubi validitas Sacramenti, & absolutionis est salva, prædicti effectus sunt infallibiles, etsi Confessarius in aliquo peccaret circa clavem scientiæ, vel potentiæ, imponendo scilicet, vel majorem, vel minorem pœnitentiam; vel non interrogando exactè omnes circumstantias, de quibus infra Decis. XXV. ut latissimè demonstrat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 18. *art.* 12. in quo Eminentia sua concludit tractatum de Clavibus Ecclesiæ.

DECISIO XX.

ARGUMENTUM.

Exponitur effectus Clavium Ecclesiæ quo ad Indulgentias, quarum vetustissimo usu probato, ostenditur, plenissimam potestatem eas elargiendi esse in Papa, limitatam autem in Cardinalibus, Episcopis, Archiepiscopis, Abbatibus, ac aliis Prælatis Regularibus; nullam verò in Conciliis, Vicariis, Capitulis, ac Parochis. Novem observationes scitu dignæ circa facultatem Episcoporum impertiendi Indulgentias, & harum publicationes etiam ab aliis, quàm ab Episcopo, ex consuetudine fieri posse, auctoritate Rotæ Romanæ demonstratur.

SUMMARIUM.

1 *Etymologia Indulgentiæ.*
2 *Indulgentiæ definitio; ac ejus declaratio.*
3 *Pœnæ luendæ in hac vita ex Dei decreto, ut Pestis, Fames, Bellum, non tolluntur per Indulgentias.*
4 *Thesaurus Ecclesiæ quinam sit? & quomodo conflatus?*
5 *Indulgentiarum concedendi Potestas data est à Christo.*
6 *Hostes indulgentiarum quinam fuerint?*
7 *Antiquissimi usus Indulgentiarum probationes.*
8 *Testis inimici depositio ad favorem adversarii sui facit maximam probationem.*
9 *Abbas Papadopoli laudatus.*
10 *Papa potest quascunque Indulgentias concedere cuicunque.*
11 *Causa rationabilis requiritur pro Indulgentiis elargiendis.*
12 *Papa quo modo concedat Indulgentias pro defunctis?*
13 *Clausula* per modum Suffragii *quid significet?*
14 *Cardinales concedunt Indulgentias, & quales?*
15 *Legati, seu Nuncii Apostolici quas Indulgentias impertiant?*
16 *Indulgentiarum concessio est actus Jurisdictionis, non Ordinis.*
17 *Oratio piissima composita à S. Francisco Xaverio.*
18 *Episcopi quas, & quot Indulgentias possint elargiri? circa quorum facultatem dantur novem observationes.*
19 *Abbates, ac Prælati Regulares an possint concedere Indulgentias?*
20 *Concilia, Vicarii, Capitula Sede vacante non concedunt Indulgentias.*
21 *Indulgentiarum Papalium publicatio a quibus facienda?*

SEd hìc non impropriè aliquis postulabit; Utrùm Claves Ecclesiæ, de quibus supra dictum est, se extendant etiam ad Indulgentias, adeòut omnes, qui illas habent, & adhibent tam in foro externo, quàm in foro interno, possint Indulgentias concedere?

Pro sponsione duo sunt præmittenda. *Unum* est, quòd Indulgentia, quæ ex nominis etymologia significat nimiam quandam licentiam, seu facilem propensionem impunè agendi contra jus, sivè naturalem amorem parentum in filios, aut moderatam remissionem alicujus delicti, seu pœnæ ex liberalitate, vel misericordia factam; ut differit Gobatus *in Quinario tract. 4. de Indulgent. num. 12.* relata tamen ad Claves Ecclesiæ ita definitur: *Indulgentia est relaxatio pœnæ temporalis, debitæ pro peccatis actualibus jam dimissis, & aliquando dimittendis, concessa à Prælato Ecclesiæ per applicationem Thesauri Ecclesiastici.* Ita ex Valentia *tom. 4. disp. 7. q. 20. punct. 1.* Gobatus *in Quinario d. tract. 4. num. 13.* Dicitur *Relaxatio* prævia compensatione, quæ fit Divinæ Justitiæ cum meritis Redemptoris, Beatæ Mariæ Virginis, ac aliorum Sanctorum repositis in thesauro Ecclesiæ, pro pœna, quàm recipiens Indulgentiam debuisset exsolvere pro suis culpis eidem Divinæ Justitiæ usque ad integram satisfactionem. Dicitur relaxatio *pœnæ*, non autem *culpæ*; quia Indulgentiæ nunquam remittunt, aut relaxant culpam. Quòd si alicubi legatur, eas remittere peccata; intelligendæ sunt *quoad pœnam*; vel eas absolvere *à culpa, & à pœna*; idest, quòd eas recipientibus conceditur facultas, ut à Confessario possint absolvi à quacunque culpa etiam reservata. Gobat *d. tract. 4. num. 16. & 17.* ubi DD. & Lezana *tom. 3. Verb. Indulgentia. num. 2.* Dicitur *Pœna Temporalis*, non autem *Æterna*, quia hæc remittitur vel per Confessionem Sacramentalem, vel per contritionem cum voto confitendi; ut dictum est in *præced. Decis. XIX. num. 34. Vers. Secundus effectus.* Dicitur debitæ *pro peccatis actualibus*, videlicet commissis post baptismum; nam patrata ante baptismum, prout etiam originale, delentur quo ad culpam, & quo ad totam pœnam in ipso salutari Lavacro. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Baptismo disp. 16. art. 2. num. 21. & 22.* Dicitur *jam dimissis, & aliquando dimittendis*; quia regulariter ad obtinendas indulgentias oportet, ut præcedat remissio culparum vel per contritionem, vel per actualem earumdem Sacramentalem Confessionem, ut ferè in omnibus concessionibus Indulgentiarum præscribitur; etsi aliquando sufficiat solum propositum confitendi, ut demonstravi supra *in Decis. VIII. à num. 8.* & per consequens probabile sit, quòd possit peccator sibi acquirere satisfactionem per Indulgentias etiam nondum dimissis peccatis, juxta opinionem Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœnitent. disp. 13. art. 10.* à qua non dissentiunt Suarez *eod. tract. disp. 10. sect. 2.* & Eminentiss. Cardin. de Lugo *disp. 7. num. 95.* relati à Gobato *in Quinario d. tract. 4. num. 18.* ubi *num. 19.* subdit, pœnam temporalem, quam remittit Indulgentia, esse illam, quam vel Confessarius injunxerat peccatori, vel in Purgatorio pœnitens erat purgaturus; nam pœnæ ob hominum scelera luendæ ex DEI decreto in hac vita, nempè Bellum, Pestis, Fames; non tolluntur per Indulgentias. Eminentiss. Card. de Lugo *disp. 37. sect. 9.* quod intelligendum est primariò, & secundùm proprium effectum; secus est secundariò, & secundùm causam, quatenus per eas moventur homines ad relinquenda peccata; & sic Deus removet dictas pœnas. Dicitur *concessa à Prælato Ecclesiæ*: scilicet vigore clavium tum ordinis, tum Jurisdictionis in foro externo; ut infra explicabimus, loquendo singillatim de omnibus Prælatis. Tandem dicitur *per applicationem*

1 2 3 4

4 *nem Thesauri Ecclesiastici*; qui quidem Thesaurus est ingens, & inexhaustus cumulus meritorum, & satisfactionum tum Christi Domini, tum Deiparæ Matris, tum etiam aliorum Sanctorum, quorum sanctæ actiones longè plus pœnæ expiarunt, quàm eorundem Sanctorum aut peccata, aut peccatilla fuerint promerita; qui quidem Thesaurus servatur in acceptatione, & memoria divina, & erogatur in utilitatem membrorum Ecclesiæ. *Extravag. Unigenitus. De Pœnitent. & Remissionib.* Valentia *d. disp. 7. quæst. 20. punct. 1.* Gobat. *d. tract. 4. n. 21.* Tirinus *in Indice Controv. Fidei Controv. 24.* & Cornel. à Lapide *in Epist. ad Coloss. 24.*

Alterum præmittendum est; in Ecclesia relictam
5 esse potestatem à Christo concedendi Indulgentias, per illa verba *Matth. 18. quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo.* Et per ea quæ dixit Petro *Matth. 16. Tibi dabo Claves Regni Cœlorum.* Earumque usum usque ab initio practicatum fuisse, ut ex testimonio SS. Patrum, ac Conciliorum demonstrant Valentia *d. tom. 4. disp. 7. q. 20. punct. 2.* Tirinus *d. Controv. 24.* & in Commentar. *2. Cor. 2. Vers. 10.* Passerinus *de Indulgentiis quæst. 3.* Arsdekin *in Theologia Tripart. tom. 2. tract. 2. cap. 8.* novissimè Gaspar Ivenin. *in Commentar. Historico Dogmat. de Sacramentis tom. 2. Dissertat. 14. quæst. 1. cap. 1. & 2.* ubi doctè advertit, quòd priscis temporibus Indulgentiæ, quibus remittebantur pœnæ debitæ pro peccatis, dicebantur, *relaxationes, remissiones, donationes, condonationes*; adeòut nomen Indulgentiæ cæperit usurpari à Gregorio Papa VII. in suis Epistolis. Hostes autem Indulgentiarum fuerunt hæretici Waldenses *Anno 1170.* deinde Wiclefus, & Joannes
6 Hus, quos damnavit Concilium Constantiense *sess. 15.* At impetum fecit in illas Martinus Lutherus Frater Augustinianus *Anno 1517.* ob abdicatam, quam ejus Religio faciebat, collectam eleemosynarum, & demandatam Dominicanis, pro fabrica Basilicæ S. Petri de Urbe, ut latè in Annalibus Odoricus Raynald. *d. Anno 1517.* & Eminentiss. Cardin. Pallavicinus *in Histor. Concil. Tridentin.* Lutherum postea secuti sunt Zuinglius, & Joannes Calvinus, ac eorum sequaces; quos omnes damnavit Sacrosancta Synodus Tridentina; ut legitur in Decreto de Indulgentiis *post sess. 25.* his verbis: *Cùm potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitùs sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: Sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum, Christiano populo maximè salutarem, & Sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit: eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.* Idem firmatum fuerat *An. 1342.* à Clemente Papa Sexto *in citata Extravag. Unigenitus. De Pœnit. & Remiss.* in qua post enarratam copiosissimam Sanguinis effusionem à Christo Domino in Cruce factam, ut thesaurum meritorum suorum Ecclesiæ suæ relinqueret, subdit: *Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per beatum Petrum Cœli Clavigerum, ejusque Successores suos in terris Vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum; & propriis, ac rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis, pro peccatis debitæ, tam generaliter, quàm specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) verè pœnitentibus, & confessis misericorditer applicandum.*

Et ad probandum, quòd usus Indulgentiarum in 7
Ecclesia Catholica sit antiquissimus, juvat allegare attestationem moderni Hæretici, seu Apostatæ, scilicet *Gregorii Leti*, qui in Historia sua Gebennensi *ad Annum 594. pag. 244.* referens constructionem Ecclesiæ Cathedralis, quam Episcopus Genevæ tunc in ea civitate moliebatur, subdit, quòd ipse *mandò per tutta la Diocese Predicatori, acciò esortassero i popoli à voler contribuire personalmente alla perfezione d'una tal' opera, publicando in oltre in nome del Papa di Roma molte indulgenze à quei, che di propria mano vi lavoravano, ò che col loro denaro vi spedivano operarii.* Ecce quòd undecim ab hinc sæculis Summus Pontifex elargiebatur Indulgentias fidelibus populis, ut testatur supradictus fidei Catholicæ adversarius: notum est autem Jurisperitis, quòd depositio testis inimici, loquentis ad favorem sui adversarii, facit maximam probationem. Fa- 8
rinacius *de Testibus quæst. 53. num. 67.* ubi DD. cumulat. Roman. *consil. 104. num. 6.* & Rota *post libr. 3. Consil. Criminal. ejusd. Farinacii decis. 291. num. 7. & 12.* Porrò præter Eminentissimos Cardinales Bellarminum, ac Baronium, qui plenè probant, in Ecclesia Catholica Indulgentias semper in usu fuisse, inter Scriptores modernos Canonici Juris professores hanc veritatem tutantur tum Emanuel Gonzalez *in Commentar. ad cap. Nostro 15. de Pœnitent. & Remission.* ubi *num. 7.* Indulgentiarum exempla refert plurium Summorum Pontificum antiquorum, etiam S. Gregorii Magni; tum
Illustrissimus Abbas Papadopoli in hoc nostro pu- 9
blico Gymnasio Patavino Sacrorum Canonum Interpres, qui in suis eruditissimis *Prænotionibus Mystagogicis Resp. I. sect. 9.* validissimis argumentis Indulgentias à Photianis calumniis vindicat; & earum usum vetustissimum Synchorochartiis, idest, diplomatibus Græcorum Antistitum confirmat, & sub *num. 9.* allegat testimonium Paschalis Papæ primi (qui Sedem Apostolicam conscendit anno 817.) ita scribens: *Indulgentiam pro mortuis largiri solitos Romanos Pontifices multò ante Bonifacium VIII. testatur non liber aliquis obnoxius, expositusque corruptelæ; sed perenne incorruptum, nullique dolo subjectum, patensvè saxum, quod hodieque visitur Romæ in Sacello D. Zenonis ad D. Praxedis. In eo Paschalis I. potestatem affirmatè, palamque facit ei, qui in Sacello D. Zenonis divinum Sacrificium celebraverit, celebrandumque curaverit, eripiendæ lustralibus è pœnis, quas dicimus Purgatorias, animæ Patris, vel Matris, alteriusvè, qui fortè libuerit.*

His ita præmissis, ac prænotatis, potestas Clavium Ecclesiæ se extendit utique etiam ad Indulgentias; quas quidem concedere possunt, & valent sequentes Hierarchæ, eadem Claves in suis manibus retinentes. Primò quidem Papa, qui jure divino tanquam Christi Vicarius habet potestatem concedendi Indulgentias tum partiales, tum plenarias omnibus Christi fidelibus, ubivis locorum 10
degentibus, juxta promissionem Divo Petro per Christum factam in illis verbis: *Matth. 16. 19. Tibi dabo Claves Regni Cœlorum*; & juxta commissionem universi gregis in illis *Joan. 21. 18. Pasce oves meas*, ideòque Clemens VI. *in cit. Extravag. Unigenitus*, ut mox retulimus sub *num. 62.* dixit: *Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum Cœli Clavigerum, ejusque Successores suos in terris*

terris Vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum. Porrò circa hanc Summi Pontificis ta-
11 cultatem elargiendi Indulgentias Doctores Classici notant duo. Unum, quòd in eis concedendis debet intervenire honesta, ac rationabilis causa; siquidem Papa non est dominus thesauri Ecclesiastici, sed solùm dispensator, ideò eum elargiri tenetur in ædificationem, non in destructionem. Gobat *d. tract. 4. de Indulgent. n. 86.* subdens *num. 90.* quòd causa potest esse vel præterita, vel præsens, vel futura; quia, ut docet Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Pœnitent. disp. 27. num. 86.* & Coninck. *tom. 2. in 3. part. disp. 12. num. 34.* potest Pontifex impertiri Indulgentiam alicui benemerito de Ecclesia sine injunctione ullius operis, eo fine, ut excitet alios ad similia merita. Tunc autem causa dicitur honesta, rationabilis, ac proportionata pro concessione indulgentiæ, quando magis conducit ad honorem Dei, attentis circumstantiis temporis, locorum, ac personarum; siquidem proportio causæ non est metienda arithmeticè, sed moraliter; & in dubio præsumendum est pro ejus sufficientia. Fumus *Verb. Indulgentia num. 11.* Gobatus *d. tract. 4. quæst. 28. à num. 93. & seqq.* Cotonius *in suis Controversiis Illustr. lib. 2. Controv. 11. num. 26. & seqq.* Suarez *in 3. part. D. Thom. tom. 4. disp. 53. sect. 3.* in qua latè de
12 hac causæ proportione disputat. Alterum notabile est, quòd Papa non potest concedere Indulgentias defunctis directè, immediatè, & principaliter, sed tantùm per modum suffragii, & docet S. Thom. *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 3. quæst. 2.* Eminent. Cardin. Bellarminus *de Indulg. cap. 4.* & de Lugo *de Pœnitent. disp. 27. num. 62.* etsi contrarium scribat Navarrus *de Jubilæo, & Indulg. notabil. 22.*
13 *num. 33.* Quid autem significet hæc clausula per *modum Suffragii*, obscurè Doctores explicant. Alii volunt significare, quòd effectus non sit infallibilis, sed pendeat à libera acceptatione Dei; sicut quando pro Cajo ad tiremes à Rege damnato, quis offert Regi mille aureos pro ejus liberatione. Ita Laymani *lib. 5. tract. 7. cap. 7. num. 3.* Alii, quòd ipse Papa non remittit pœnas defuncti per viam absolutionis tanquam Judex, prout facit cum vivis, sed offerendo pretium æquivalens Deo ex thesauro Ecclesiæ, ut ipse Deus pœnam remittat. Ita Eminentiss. Cardin. Toletus *lib. 6. cap. 26.* Suarez, & Coninck, quos citat Gobat. *d. tract. 4. num. 478.* Alii ajunt, illam phrasim *per modum Suffragii* innuere, quòd Papa non immediatè, & directè, sed mediante pia actione alicujus viventis, & eam defunctis applicantis, eosdem defunctos liberat à pœnis; itaut ipse Papa elevet ipsam piam actionem ex thesauro Ecclesiæ, ut non solùm sit satisfactoria ex opere operantis, sed etiam ex opere operato pro suffragandis defunctis. Ita Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp. 27. num. 70.* Gobat. *ubi supra num. 481. & 482.* ubi clariùs loquitur, & dicit, illa verba *per modum Suffragii* significare, quòd Papa liberat animas à Purgatorio mediantibus Indulgentiis non per modum *absolutionis*, sed per modum *solutionis*, quatenus non exercet in illas potestatem *Judiciariam*, sed *Oeconomicam*, quam habet à Christo in Thesaurum Ecclesiæ, ex quo tanquam Pastor universalis animarum extrahit pretium, & applicat ipsum defunctis, in satisfactionem Divinæ justitiæ pro pœnis, quas luere deberent in Purgatorio; & idem scribit Reginaldus *in Praxi lib. 7. num. 152.* Castropalaus *part. 4. tract. 24. punct. 10.* & plenè Passerinus *de Indulgentiis quæst. 113. & quæst. 114.* Igitur primus, & principalis dispensator Indulgentiarum est Papa, cui soli concessum est dare Indulgentias plenarias ob plenitudinem potestatis, quam à Deo habet, *cap. Cum ex eo. De Pœnitent. & Remiss. cap. Quocunque 24. qu. 1.* Barbosa *de Episc. alleg. 88. num. 5.* Lavorius *de Indulgentiis part. 2. cap. 11. num. 28. & seqq.* Gonzalez *in cit. cap. Nostro n. 6. de Pœnit.* Gobat. *d. tract. 4. de Indulgent. nu. 53.* & Passerinus *eod. tract. de Indulgentiis. quæst. 3. num. 39. & quæst. 85. num. 615. & 616.*

Secundo loco post Papam habentes potestatem concedendi Indulgentias sunt Sanctæ Romanæ Ec- 14
clesiæ Cardinales. Diana *part. 5. tract. 2. resol. 6.* Quæ in Opere Coordinato reposita est *tom. 9. tract. 7. resol. 46.* ubi ex Præposito, Gamachæo, Soto, Corduba, ac Paludano notat, quòd ipsi Cardinales concedere possunt Indulgentias centum dierum; & hoc idem videmus in praxi, dum Eminentissimi Præsules hujus Ecclesiæ Patavinæ, concionem publicam facientes ad populum, vel visitantes Parochias, impertiunt centum dies de Indulgentia. Utrùm verò hanc facultatem habeant ex Privilegio, vel à sola consuetudine, est altercatio inter Doctores, quos citat Diana *ubi supra*, Gobat. *d. tract. num. 55.* & Passerinus *de Indulgent. quæst. 85. num. 628.* concludentes, ipsam ab eis haberi ex utroque capite, ob tacitum consensum Summi Pontificis; ideòque Cardinales Indulgentias concedunt centum dierum in suis Titulis, quamvis non sint Sacerdotes, cùm hæc facultas sit annexa eorum dignitati. DD. quos cumulat, & sequitur Emin. Cardin. Brancatius in Opusculo *De Benedictione Diaconali pag. 296. Vers. Non obstat secundò.*

Tertio loco elargiri possunt Indulgentias Legati Pontificii, seu Nuncii Apostolici in tota Provin- 15
cia, ad quam sunt deputati, Glossa *in cap. fin. De Offic. Legati.* Sylvest. *Verb. Indulgentia num. 11.* Gambatus *de Offic. Legati lib. 8. tit. de Indulgent. num. 8.* & Passerinus *de Indulgent. quæst. 85. n. 628.* ubi dicunt, eosdem Legatos posse concedere Indulgentias centum dierum, ac unius anni, non solùm pro una, aut pluribus vicibus, sed etiam perpetuas, tametsi non sint Sacerdotes; ea ratione quia talis concessio non est actus ordinis, sed jurisdictio- 16
nis, ut ex doctrina S. Thomæ *in 4. dist. 20. art. 4. quæst. 2.* & Navarri *in tract. de Indulgent. in 31. notabil. num. 3.* sustinet Fagnanus *in cap. Accedentibus. num. 11. de Excessib. Prælator. tom. 7.* Sed an hæc potestas in Legatis sit ordinaria, vel ex speciali commissione Pontificis, digladiantur inter se Theologi, ac Canonistæ; & verior videtur opinio Suarezii *in d. tom. 4. disp. 55. sect. 3. nu. 22.* asserentis esse ex commissione particulari Papæ, quod approbat Gobatus *d. tract. 4. n. 56.* ubi notat Anno 1666. à Nunciis Apostolico Lucernensi fuisse concessam indulgentiam ducentorum dierum; à Nunciis autem Apostolicis Viennensi, & Colonensi undecim mensium fidelibus degentibus sub earum Nunciaturis, toties quoties, genibus flexis, devotè hi recitaverint coram imagine S. Francisci Xaverii sequentem Orationem, ab eodem Sancto compositam; & per eum Indianis persolvendam ex motivo sinceræ in Deum Charitatis tra- 17
ditam. Hæc est Oratio:

O Deus

O Deus, ego amo te:
Nec amo te, ut salves me,
Aut quia non amantes te
Æterno punis igne:
Tu, tu, mi JESU, totum me
In Cruce amplexus es.
Tulisti Clavos, Lanceam,
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores, & angores,
Ac mortem, & hæc propter me,
Ac pro me peccatore.
Cur igitur non amem te,
O JESU amantissime?
Non ut in Cœlo salves me,
Aut ne in æternum damnes me,
Nec præmii ullius spe:
Sed sicut tu amasti me,
Sic amo, & amabo te,
Solùm quia Rex meus es,
Et solum quia Deus es.

Transcribit hanc precationis formam ipse Gobat. *d. tract.* 4. *de Indulgent. num.* 438. ubi pluribus rationibus demonstrat, ritè, ac rectè processisse prædictos Nuncios Apostolicos, impertiendo tot Indulgentiæ dies, eam toties, quoties recitantibus; ipsamque, tanquam limitatione temporis concessam perdurare, donec vel à Papa, vel à Nunciis Successoribus retractetur.

18 Quarto loco potestatem impertiendi Indulgentias habent Episcopi, circa quos ex concordi Theologorum ac Canonistarum doctrina novem sunt notanda. *Primum*, quod Episcopi non habent hanc facultatem à Deo, sed à Papa, qui ideo potest illam restringere, limitare, ac in toto auferre. Fagnanus *in cap. cum ex eo, num.* 16. *De Pœnit. & remissionibus*. Gonzalez *in cap. Nostro num.* 6. *eod. tit.* Gobatus *de Indulgentiis tract.* 4. *num.* 62. & Passerinus *eod. tract. num.* 615. ubi plurimos DD. cumulat. *Secundum*, quod à Jure taxata est facultas Indulgentiarum Episcopis, itaut non possint concedere, nisi Indulgentiam centum dierum in die Dedicationis Ecclesiæ, in ejusdem verò die anniversario quadraginta dierum tantùm; prout in aliis piis causis, aut occasionibus eundem numerum quadraginta dierum excedere non valeant. *d. cap. ex eo de Pœnitent.* Barbosa *de Episc. alleg.* 88. *num.* 14. Passerinus *num.* 617. Idcircò Episcopi, dum visitant Parochias, concedunt fidelibus Indulgentiam quadraginta dierum, idem quando prædicant, vel quando concurrit alia pia, & honesta causa, concernens augmentum divini cultus, vel devotionis, puta fabrica alicujus Ecclesiæ, sustentatio hospitalis, aut erectio alicujus spiritualis confraternitatis. Fagnanus *in cit. cap. Cum ex eo. num.* 14. Gobatus *ubi antea num.* 58. referens, quod Ordinarius Constantiensis Anno 1665. Congregationi quinque Vulnerum Christi, in illa civitate Constantiæ erectæ, elargitus fuit Indulgentiam 40. dierum, consequendam in quinque festivitatibus ab eadem Congregatione sibi electis, annuatim, & in perpetuum; prævia oratione ad Deum pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ, hæresum extirpatione, & Christianorum Principum concordia &c. Unde constat, in his, & similibus casibus licitum esse Episcopis totidem Indulgentias concedere; etsi id non faciant, forsitan quia facilis est recursus ad Summum Pontificem, à quo ampliores, ut usus docet, obtinentur. *Tertium*, quod notat DD. est, quod si Episcopi excedant prædictum numerum dierum, Indulgentiæ nullæ sint ipso Jure quo ad excessum tantùm *cap. Indulgentiæ: & ibi Glos. in Verb. Non obtinent. De Pœnitent. in* 6. Fagnan. *in d. cap. Cum ex eo. num.* 15. & Gobatus *d. tract.* 4. *de Indulgent. num.* 65. ubi alios DD. adducit. *Quartum*, quod Episcopi non possunt concedere Indulgentias lucrandas ab alienis subditis, vel applicandas defunctis; quia sunt actus Jurisdictionis, qui in solos subditos extenduntur. *cap. Quod autem. ubi Abb. num.* 2, *de Pœnitent. & remiss.* Fagnanus *in cap. A nobis num.* 25. *de Sent. Excommunic.* Passerinus *de Indulg. num.* 620. Gobatus *d. tract.* 4. *num.* 62. *& seqq.* addentes, quòd vagi & peregrini reperti in loco, in quo Ordinarius concedit Indulgentiam, ex præsumpto consensu suorum Episcoporum, eam possunt adipisci, prout etiam Religiosi, quamvis exempti; quod etiam docet Pax Jordanus *tom.* 1. *libr.* 5. *tit.* 15. *num.* 49. & alii multi. *Quintum*, quod non implicat, si Episcopus successor elargiatur alicui Ecclesiæ, vel Confraternitati Indulgentiam 40. dierum, quamvis consimilem perpetuam concesserit Prædecessor Episcopus. Gobatus *ubi proximè num.* 61. & Passerinus *num.* 619. At *Sextum*, speciali observatione dignum est, quod Episcopi licitè, & validè uti possunt sua potestate concedendi Indulgentias etiam in anno Jubilæo, quia tunc Papa suspendit illas concessas ab Apostolica Sede; non autem elargiendas, vel elargitas ab Episcopis. Gobatus *d. tract.* 4. *num.* 66. *in fine*, & Pax Jordan. *d. libr.* 5. *tit.* 16. *num.* 52, ac etiam quia eo anno suspenduntur Indulgentiæ plenariæ, non autem temporis limitati. Donatus *Rerum Regular. tom.* 1. *tract.* 16. *quæst.* 6. *num.* 7. quod lector notare non omittat. *Septimum*, quod Episcopus censuris irretitus invalidè concedit Indulgentias, non etiam si in peccato mortali tantum reperiatur. Passerinus *num.* 626. alios allegans. *Octavum*, quod Episcopus potest delegare hanc suam facultatem impertiendi Indulgentias vel suo Vicario, vel alii Clerico; non autem Laico, sed per commissionem particularem, & expressam. Passerinus *num.* 625. Tandem *Nonum*, & ultimum est, quod quæcunque hucusque dicta sunt de Episcopis, habent locum etiam in Archiepiscopis, non solum in eorum propria Diœcesi, sed etiam in tota Provincia; tum quando per eam ambulant visitantes, tum etiam quando domi suæ residunt, ut ex probabiliori opinione firmant DD. quos citat & sequitur Barbosa *d. alleg.* 88. *num.* 15. *&* 16. Suarez. *d. disp.* 55. *sect.* 3. *num.* 21. Passerinus *de Indulg. num.* 627. & Gobatus *eod. tract. num.* 57.

Quinto loco retinetur potestas elargiendi Indulgentias à Prælatis inferioribus Episcopo, habentibus Jurisdictionem quasi Episcopalem, ac subditos, quales sunt Abbates cum Territorio; & Superiores Regularium; non quidem de Jure, à quo talis facultas expressè est eis ablata. *cap. Accedentibus* & ibi Fagnanus *num.* 7. *de excessib. Prælator.* Sed vel ex Præscriptione, vel ex privilegio, aut speciali commissione Papæ. Gonzalez *in cit. cap. Nostro num.* 6. *de Pœnit. & Remiss.* Hinc Rota *part.* 11. *recent. decis.* 373. (quæ etiam habetur inter illas Bichii *Decis.* 459.) *num.* 21. *&* 22. approbavit, quod Abbas Montis Cassini pluries concesserit Indulgentias Monialibus Terræ Tagliacotii; & quod Provinciales Ordinum Mendicantium concedant 19

suis subditis in fine visitationis Indulgentiam plenariam, testatur ex Casarubio *numer.* 16. Gobatus *d. tract. 4. de Indulgent. num.* 74. ac Roderiquez *QQ. Regul. tom. 2. quæst. 86. art. 1. Vers. secundò dico.* Et ratio est manifesta, scilicet quia Prælati inferiores acquirere possunt ea, quæ sunt Jurisdictionis Episcopalis non solùm privilegio, sed etiam præscriptione. Fagnanus *in cit. cap. Accedentibus. de Excessib. Prælat. num.* 4. Hinc omnes Abbates Regulares posse concedere Indulgentiam 40. dierum, quoties Missam solemnem celebrant, ex privilegio Apostolico, demonstrat Tamburin. *de Jure Abbatum tom. 2. disp. 9. quæs. 2.* & aliquando etiam Indulgentias plenarias suis subditis elargiri, probat Miranda *tom. 2. Manual. Prælat. quæst. 9. art. 2. conclus. 2.* Et idem posse Superiores Mendicantium, habetur in compendio eorum Privilegior. *Verb. Indulgentia plenaria quo ad fratres.* §. 16. Ac ulteriùs Prædicatores Minorum, & aliorum Ordinum de eorundem Privilegiis participantium posse elargiri Indulgentias suis auditoribus plurium centenorum dierum, ac diversorum annorum advertit Bordonus *Variar. Resolut. part. 1. resol. 7. num.* 31.

Sextò, è contra, ex hucusque dictis deducitur,
20 nullam potestatem concedendi Indulgentias habere Concilia sivè Generalis, sivè Provincialia, prout neque Vicarios Episcopales, neque Capitula Sede Episcopali vacante, neque Parochos; licèt enim Jurisdictionem Ecclesiasticam obtineant; attamen, quia neque à Jure communi, neque ex speciali commissione Papæ concessa unquam fuit supradictis facultus Indulgentias impertiendi, eas elargiri minimè possunt. Fagnanus *in d. cap. Accedentibus num. 16. & 17. de Excess. Prælat.* S. Thomas *in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 4. quæs. 1.* Gobatus *d. tract. 4. num. 71.* Barbosa *d. allegat. 88. numer. 21.* & Passerinus *de Indulg. num. 632.* ubi alios plurimos congerit, ac *num. seq. 633.*

Tandem observandum venit, quòd Indulgen-
21 tiæ, quæ impetrantur à Papa, publicari non possunt, nisi ab Episcopo loci, unà cum duobus de Capitulo ex decreto Concilii Tridentini *sess. 21. de Reform. cap. 9.* per quod decretum excludi quoscunque Regulares, notant Bonacina *tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 30. num. 9.* Barbos. *alleg. 105. num. 69.* asserens, Regulares subjectos esse Jurisdictioni Episcopi circa publicationem Indulgentiarum, prout testantur plures DD. ibi citati; ac Nicolius in Flosculis *V. Indulgentia num. 9.* & in suis Lucubrationibus Canonicis *lib. 1. tit. 31. num. 13. de Offic. Ord. pag. 72.* Nihilominùs Roderiquez *QQ. Regul. tom. 2. quæst. 98. art. 1.* & Pellizzarius *in Manuali Regular. tom. 2. tract. 8. cap. 5. num. 217.* asserunt, quòd Regulares possunt publicare Indulgentias obtentas pro seipsis tantùm absque alia licentia Episcopi, quia Concilium Tridentinum *d. sess. 21. cap. 9.* loquitur de Indulgentiis concessis pro populo. Imò, quod magis est, quando Superiores Regulares soliti essent de per se, & independenter ab Episcopo publicare Indulgentias pro populo in Ecclesiis suis, vel sibi subjectis, absque scrupulo possent continuare in dictis publicationibus auctoritate Rotæ Romanæ, quæ *part. 17. recent. decis. 87. num. 22.* firmat, in publicatione Indulgentiarum attendendam esse consuetudinem. Et hæc satis dicta sint circa Claves Ecclesiæ respectu ad Indulgentias.

DECISIO XXI.

ARGUMENTUM.

De Necessitate examinis conscientiæ ante Confessionem. Quanta debeat esse diligentia in eo faciendo. Exempla Virorum felicis, ac debilis memoriæ. Peccata linguæ, cogitationum, & omissionum difficilè reperiri in discussione conscientiæ. Quando sit valida confessio, omisso examine. Utrùm valeat confessio facta non voce, sed exhibitione chartæ continentis peccata pœnitentis, genuflexi coram Sacerdote.

SUMMARIUM.

1 *Examen conscientiæ quid sit? quomodo faciendum?*
2 *Examen conscientiæ quare præmittendum Confessioni?*
3 *Memoriam insignem quinam habuerint? Et qui infelicem?*
4 *B. Alberti Magni memoria deperdita. Ejus cadaveris prodigia.*
5 *Memoriæ felicitas, vel debilitas undè proveniat?*
6 *Sensus quatuor interni an dentur in homine?*
7 *Diligentia in examine Conscientiæ vel exactissima, vel mediocris, vel modicissima. Quæ sufficiat? Et quando?*
8 *Bonacina notatus circa examen Conscientiæ.*
9 *Confessariorum obligatio interrogandi pœnitentes rudes, ac idiotas.*
10 *Casus infirmi, qui statim confessus incidit in phreneſim, & in ea obiit.*
11 *Examinis conscientiæ fructus, & affectus.*
12 *Peccata, quæ in conscientiæ examine vix reperiuntur, quæ sint.*
13 *Omissionum peccata quæ, & quam periculosa.*
14 *Judicia Dei severissima tria. Et quæ.*
15 *Confessio sine examine Conscientiæ quando sit valida, vel invalida.*
19 *Scribere peccata an oblivioſus teneatur.*
20 *Legens Chartam confessionis alterius peccat mortaliter. Ea Judex uti non potest in foro externo.*
21 *Confessio per exhibitionem chartæ cum peccatis an fieri possit. Hinc indè opiniones. Et num. 22.*

QUoniam in *Decisione XIII. num. 1.* diximus, materiam proximam Sacramenti Pœnitentiæ esse tres illos actus Pœnitentis. *Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem*; ibique explicuimus *Contritionem*, tanquam dolorem perfectum, & in sequenti *Dec. XIV.* declaravimus *Attritionem*, quæ est dolor imperfectus; subindè aggressi sumus explicationem secundi actus in *Decis. XV.* in qua abundè disseruimus de essentia, ac definitione *Confessionis*, post quam opus fuit de quibusdam dubiis, eam attingentibus tractare; videlicet *Decis. XVI.* an Confessio possit fieri publicè, vel debeat esse secreta. *Decis. XVII.* An confessio ad aures Sacerdotis semper fuerit in usu. *Decis. XVIII.* Utrùm absente Sacerdote possit fieri coram Laico non habente Claves à Christo datas Ecclesiæ, *Decis. XIX.* Quæ sint hæ Claves, & quibus sint datæ tam pro foro externo, quàm pro foro interno. At *Decis. XX.* quomodo eædem se extendat ad Indulgentias. Igitur nunc, reas-

reassumentes eundem secundum actum Pœnitentis, nempè Confessionem; (quam in *d. Decis. XV. num.* 32. requirere quatuor conditiones notavimus, videlicet, ut sit *Diligens, Integra, Fidelis, & Obediens*;) opus est, ut de *diligentia* agamus, quæ consistit in examine conscientiæ, de quo quinque sunt videnda.

Primò: Quid sit examen conscientiæ, & qua de causa sit Confessioni Sacramentali præmittendum?

Secundò: Quanta debeat esse Pœnitentis diligentia in examine suæ conscientiæ?

Tertiò: Quæ sint peccata, quæ ut plurimùm non reperiuntur in conscientiæ examine?

Quartò: An sit valida Confessio facta sine præcedenti examine?

Quintò: An qui labilem memoriam habet, teneatur scribere sua peccata?

Quo ad Primum. Examen conscientiæ est *discussio actionum vitæ nostræ in particulari, facta earum comparatione cum divinis præceptis, ut corrigamus ea quæ in illis mala esse deprehenderimus.* Ita Reginald. *in Praxi Fori Pœniten. lib. 4. n. 5.* ex qua definitione colligitur methodus servanda à pœnitente, qui vult examen facere suæ conscientiæ, ut scilicet examinet seipsum super observatione præceptorum tum Dei, tum Ecclesiæ, ad hoc ut cognoscat, quæ peccata commiserit in eorum transgressione; & de quibus se accusare in Confessione debet. Ulteriùs facienda erit reflexio ad septem peccata capitalia; discurrendo per ipsa; facilis enim est lapsus in illa, quando exactam sui ipsius custodiam homo non habet. Quòd si quærimus qua de causa præmittendum sit examen conscientiæ Confessioni Sacramentali? dicendum est, ob duas causas. Unam, quia hoc examen est præceptum in Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. in illis verbis: *Oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri.* Et post alia plura ibidem: *Constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut postquam quisque diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur.* Alteram, quia cum per peccatum Adæ homines fuerint spoliati donis gratuitis, & vulnerati in naturalibus; hoc, inter alia vulnera, quisque experitur, infirmitatem memoriæ, & deficientem reminiscentiam; undè signanter scripserit Erasmus *in Apoph. Memoria hominum adeò labilis est, ut ægrè reperias duos, qui quæ simul audierunt, eodem modo referant.* Non inficior, multos fuisse viros prodigiosæ memoriæ; nam, ut differit Plinius *lib. 7. cap. 24. Cyrus Rex omnibus in exercitu suo militibus nomina reddidit. L. Scipio populo Romano; Cineas Pyrrhi Regis Legatus Senatui, & equestri ordini Romæ postero die, quam advenerat. Mitridates duarum, & viginti gentium Rex, totidem linguis jura dixit.* Et alios plures refert ex probatis auctoribus Schottus *in Physica Curiosa lib. 3. cap. 35.* quorum alii totam Scripturam Sacram memoriter recitabant; alii multa millia vocabulorum tam recto, quàm retrogrado ordine proferebant; & eosdem, ac consimiles memorat etiam Menochius *in Storeis part. 3. cap. 59.* quibus addendus Marcus Monachus in Ægypto, qui feliciter in memoria retinebat utrumque testamentum, vetus ac novum, ut in ejus vita notat Hieronymus à Basilica Petri *in Ephemerid. Sacris, die 5. Martii pag.* 82. Quamvis è contra plurimos fuisse memoria destitutos legamus, quos recenset idem Schottus *d. cap. 35.* inter quos Messala Corvinus, qui ex ægritudine, non tantùm propinquorum, & servorum, sed & proprii nominis est oblitus; nec non Cornelius Jansenius (ille qui Commentaria egregia in Sacram Scripturam edidit) nam & ipse factus senex omnium litterarum perdidit reminiscentiam: cui similis fuit B. Albertus Magnus, de quo Bagatta *in Admirand. Orbis Christ. tom. 2. lib. 6. cap. 1. num.* 17. hæc habet: *Cum Albertus Magnus admodum senex de more profiteretur publicè, memoria lapsus est; cumque aliquandiù reticuisset, & omnes obstupescerent, resumpto tandem animo fari cœpit, & hujus causam exposuit; nempè hoc sibi imminentis mortis præsagium; cùm enim dum esset adolescens à B. Virgine miraculosè scientiam obtenuisset, ab eadem signum futuræ mortis habuit, futurum scilicet, cùm instaret sibi obitus, ut dum profiteretur, subitò in memoriæ lapsum incurreret. Auditoribus igitur, his dictis, valedato, & ex eo loco abiens, ad mortem se paravit.* De eodem autem Magno Doctore non est tacendum, quòd idem Auctor *d. lib. 6. cap. 2. n. 8.* subdit videlicet, *Cum sepulchrum ejus faisset apertum post multum temporis ab obitu ipsius, repertum est cadaver ejus non supinum, sicut fuerat collocatum, sed genibus innixum in modum supplicis, & preces ad Deum facientis.* Prout etiam addendum id, quod ponit *d. lib. 6. cap. 3. n.* 102. hoc est, post ducentos annos à die obitus integrum, & incorruptum repertum fuisse corpus ejusdem B. Alberti Magni. Quæ sint obiter dicta circa defectum memoriæ, ac reminiscentiæ.

Porrò scisitanti, undè proveniat tum fœcunditas, tum debilitas memoriæ? respondetur potest tripliciter, nempè Philosophicè, Medicè, ac Moraliter. Secundùm Philosophos, quia memoria est tanquam charta, in qua imaginativa scribit ea, quæ audit, vel intelligit. At sicut scriptor aliquando ita leviter, seu velociter scribit in papyro, ut completa scriptura vix litteræ videntur, & cum difficultate leguntur; aliquando verò tam appositè, ac studiosè in ipsa charta litteras format, ut deindè facillimè semper legantur; pari modo imaginativa hominis aliquando ita levis, aut velox est in imprimendis rebus in memoria; ut earum ægrè homo recordetur; nonnunquam autem eas imprimit tanto studio, & attentione; ut fœcunda sit, & abundans memoria in reminiscendis illis. Ita Alexander Tassonius *Cogitat. diverf. lib. 6. quæf.* 1. Secundùm Medicos, quia hi sequentes communem Thomistarum opinionem, quòd homo, præter quinque sensus externos ad intelligendas species, habeat etiam quatuor sensus internos, nempè Sensum communem, Phantasiam, Æstimativam, ac Memoriam. Colleg. Compluten. *lib. 3. de Anima disp. 14. quæst. 1. & seqq.* autumant (inquàm) Medici, in cerebro humano esse quatuor sinus, seu cellulas, in quibus residet prædicti interni sensus; & quoniam humiditas juvat memoriam, siccitas eam destruit, hinc cellula memoriæ, existens in occipite, quia in juventute habet multum humiditatis; in senectute remanet in siccitate, operatur, ut Juvenes polleant memoria, Senes autem careant. Maurus *in Arist. tom. 4. De Memoria, & Reminisc. cap. 2.* & Mastrius *in lib. de Anima. disp. 5. num.* 288. & 291. Cæterùm, quia Scotistæ negant existentiam prædictorum quatuor internorum sensuum, ut docet Maurus *d. disp. 5. art. 5.* & volunt memoriam esse potentiam Animæ rationalis, quæ reminiscitur rerum, ac specierum absq; usu internorum sensuum, organorumve cerebri, ut probat idem Mastrius *de Anima disp. 6.*

num. 88. auctoritate Evangelii *Luc.* 16. ubi anima Epulonis à corpore separata recordabatur fratrum suorum, & Abraham Lazari, sine ministerio materialis cerebri, ejusvè cellularum, ideò Medica responsio parùm adducit ad veritatem. Moraliter respondet Aresius *in tract. de tribulat. sent.* 27. *n.* 28. quòd naturaliter homo obliviscitur delectationes, & retinet in memoria tribulationes; idque exemplificat in Patriarcha Jacob dicente Pharaoni: *Dies peregrinationis vitæ meæ parvi, & mali. Genes.* 47. 9. habuerat enim multas felicitates, nuptias Rachelis, armenta plurima, benedictionem Angeli, visionem schalæ summum Cœlum attingentis; & de his, ac aliis non recordatur; sed tantummodo afflictionis ob deperditum filium Joseph. Quidquid sit, labilis est memoria nostra; & diligenti examine opus est, ut ritè, & rectè accedamus ad Sacramentum Pœnitentiæ, nos ipsos de peccatis nostris accusaturi; ut integra sit Confessio, & pareamus præcepto Sacrosancti Concilii Tridentini, de quo *in d. sess.* 14. *cap.* 5.

Quo ad Secundum, in quo quæritur: *Quanta debeat esse Pœnitentis diligentia in examine suæ Conscientiæ?* Respondetur, dari non posse Regulam ge-
7 neralem pro omnibus pœnitentibus, sed juxta eorum diversitatem meriti oportere diligentiam. Igitur dicendum est, aliquando requiri examen exactissimum, aliquando mediocre, aliquando modicissimum. Opus est exactissimo conscientiæ examine in duobus casibus; *Primò*, dum ab ultima Confessione defluxit longum tempus, puta unius, vel plurium annorum. *Secundò*, quando pœnitens absque Dei timore vixit; pluribus negotiis illicitis se immiscuit; & fuit *abominabilis homo, bibens quasi aquam iniquitatem. Job.* 15. 16. In his duobus casibus manifestum est unicuique, præmittendum esse exactissimum conscientiæ examen circa omnia præcepta Dei, & Ecclesiæ; & circa omnia peccata capitalia; ut species, numerum, ac circumstantias peccatorum cognoscere, & confiteri pœnitens possit, ut omnes Theologi advertunt. Collegium Salmanticens. *de Sacramentis in genere tract* 6. *cap.* 6. *num.* 4. Mastrius *in* 4. *lib. Sent. disp.* 5. *num.* 478. & in *Theologia Morali disp.* 21. *n.* 177. Gobatus *in Theolog. Exper. tract.* 6. *num.* 486. & Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 5. Quapropter cautè est legendus Bonacina *de Sacrament.*
8 *Pœnitent. disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 1. *num.* 3. scribens, quòd *qui mediocrem præstitit diligentiam in indagandis, & inquirendis propriis peccatis, non teneatur majorem inquisitionem adhibere etiam si probabiliter conjiciat fore, ut facta prolixissima inquisitione occurrerent aliqua peccata ejusdem rationis, cum iis, quæ tunc in mentem venerunt.* Siquidem si in hoc examine peragendo ea diligentia, & inquisitio ab unoquoque adhibenda est, quam faceret circa negotium arduum, quod ipsi multùm cordi esset, ut explicuit Scotus *in* 4. *dist.* 17. *q. Unic. art.* 2. vel quam adhiberet in aliis rebus magni momenti discutiendis; ut ex Coninck, & aliis firmat Collegium Salmanticen. *d. lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 4. & Mastrius *d. disp.* 5. *num.* 478. Quis est homo, qui in propria lite, concernente amissionem magnæ partis suorum bonorum, postquam perquisiverit, & repererit aliquas scripturas ad se defendendum; si probabiliter opinetur alias reperire, non perseveret in inquirendo illas? Vel quis negotiorum gestor, redditurus rationem exactarum pecuniarum domino suo, si post diligentem inquisitionem expensarum per eum factarum, probabiliter conjiciat, majorem diligentiam adhibendo, fore ut alias expensas jussu Domini factas reminiscatur; non insistet in inquisitione, ut diminuat in computis debitum suum? Ubi igitur in confessuro concurrit diuturnitas temporis ab ultima Confessione, vel implicatio in pluribus vitiis, vel negotiis illicitis, opus est exactissimo examine conscientiæ, ut benè dispositus accedat ad Pœnitentiæ Sacramentum, ut doctè disserit Segnerius *in Christiano Instructo. part.* 3. *serm.* 16. *num.* 4.

Mediocre conscientiæ examen sufficit in Pœnitentibus illis, qui pluries confitentur in anno; & morigeratam vitam ducunt; itaut hi facta reflexione ad latebras conscientiæ per horæ circiter quadrantem, satis censeantur se examinasse; & non teneantur ad ultra, ut ex Eminentiss. Cardin. de Lugo *disp.* 16. *num.* 591. ac ex Suarezio *disp.* 22. *sect.* 11. deducit Gobatus *d. tr.* 6. *nu.* 490. & 491. ubi hæc duo carmina notat:

Ultra posse meum non lex me justa coegit;
Nec putat esse reum, qui totum posse peregit.

Modicissimum conscientiæ examen sufficit in duobus casibus. *Primò*, quando pœnitens est timoratus & solitus frequenter confiteri; hic enim si mortaliter peccaret, ob oculos certè peccatum semper haberet. Tamburinus *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 3. *cap.* 8. *num.* 9. & Gobatus *d. tract.* 6. *n.* 488. *Secundò*, quando pœnitens accedit ad Confessarium doctum, & pium, à quo scit, se esse interrogandum de peccatis, & his interrogationibus adjutum conscientiam suam integrè esse expiaturum. Com-
9 munis est enim Theologorum sententia, quòd Confessarii nacti pœnitentem non satis paratum, teneantur examinare illum, & proponere species peccatorum, ab ipso quidem probabiliter admissorum; ut reminiscatur, & confiteatur, ut latè Gobat. in *Theol. Experim. tract.* 7. *n.* 331. & 332. Reginaldus *libr.* 2. *cap.* 2. *à num.* 13. & *seqq.* ubi probat hanc obligationem Confessariorum interrogandi pœnitentes, potissimùm rudes, & idiotas non bene paratos per textum *in cap.* 2. §. *Diligens. de Pœnit. dist.* 6. & *in cap. Omnis utriusque sexus.* §. *Sacerdos. de Pœnit. & Remiss.* Navarrus *in Comment. ad cit.* §. *Diligens. num.* 7. & *in Manuali cap.* 5. *num.* 2. Angelus *in Summa. Verb. Interrogationes in princ.* qui tenent, Confessarios non supplentes cum suis interrogationibus ignorantiam, vel defícientiam examinis pœnitentium, peccare mortaliter; idemque plenissimè probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Sacramento Pœnitent. disp.* 21. *art.* 3. *per tot.* Et quamvis aliquando possint Confessarii dimittere pœnitentem absque absolutione, si eum non examinasse conscientiam suam comperiant; melius tamen est, cum charitate eos interrogare, eorumque defectum supplere, præcipuè si sint rustici, vel artifices patùm industrii circa discussionem propriæ conscientiæ, aliàs vel deterriti inconfessi stabunt; vel absque meliori dispositione ad alium Sacerdotem ibunt, à quo forsan invalidam absolutionem reportabunt.

Referam, quod mihi accidit in primordio mei Sacerdotii, in quo Parochi valdè senis hujus no- 10
bilissimæ Ecclesiæ S. Petri de Padua vices supplebam. Revertebar à Palatio Episcopali domum hora prima noctis, hyemali tempore, & quendam Parochianum obvium habui, qui dixit mihi, filium suum annorum 22. circiter infirmari. Volui statim eum invisere; & reperi ardentissima febre eum laborantem;

rantem; quem solatus interrogavi, à quo tempore non esset confessus peccata sua? Respondit, à biennio, & ultra. Cùm hoc audissem, vehementem in corde inspirationem habui, ne inde discederem, nisi ejus Sacramentalem Confessionem audirem; ad quam blando, sed serio sermone illum excitavi. Se excusabat, quia examen conscientiæ non fecerat. Subjunxi, si doleas medullitus de peccatis cum proposito emendationis; ego, te interrogando, examine supplebo. Annuit infirmus, & spatio duarum horarum exomologesim piè complevit, & à me fuit absolutus; hortatusque ad intensum Sacri Viatici, & extremæ Unctionis desiderium, si infirmitas illa esset ad mortem. Petii domum, cœnavi, & cubitum ivi; At media nocte vocor ab ejusdem infirmi genitore, ut revertar ad illum, nam phreneſi comprehensum in lecto retinere non poterat. Accessi, eumque inveni extra mentem, sibillantem, & cantantem, neque me cognoscentem; & facto manè, Oleo Sancto munitus in eadem phreneſi expiravit. Millies humillimas Deo gratias egi, quo me inspiraverit, antecedenti vespere ejus Confessionem excipere; ne anima illa periret. Discant Parochi, ac Confessarii moras rumpere, & suis interrogationibus supplere, ubi Confessiones peccatorum audiendi occasio venit.

Revertendo ad materiam examinis conscientiæ, fructus, & effectus ejusdem examinis est, ut eo ad-
11 hibito, cum enarrata diligentia, juxta qualitatem pœnitentium supra expressam, confessio est formaliter integra, ac valida, etiamsi ex defectu memoriæ tacerent unum, vel plura mortalia, ut declarat Concil. Trid. *cit. sess.* 14. *cap.* 5. his verbis: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, universim eadem Confessione inclusa intelliguntur*; & advertit Gobatus *d. tract. 6. num.* 336. *& seqq.*

Quoad Tertium. Si quærimus, *quæ sint peccata quæ ut plurimum non reperiuntur in conscientiæ examine*? Respondetur, ea esse trium generum, *lin-*
12 *guæ, malarum cogitationum, & omissionum.* Peccata *linguæ* sunt detractiones; detractio autem est ablatio famæ alterius. Reginald; *lib.* 24. *num.* 68. quæ quidem juxta doctrinam Soti *lib.* 5. *de Justit. & Jure. quæst.* 10. *art.* 1. *in fin.* committitur octo modis, his versibus contentis:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatque remissè.

Quorum versuum, seu modorum detrahendi famam explicationem lector reperiet apud Toletum *in Summa lib.* 5. *cap.* 64. *& seqq.* apud Summam Dianam *Verb. Detractio*; & apud eundem Reginaldum *d. lib.* 24. *cap.* 4. *quæst.* 1. *&* 2. Porro quis novit invenire species, numerum, & circumstantias detractionum, quas per integrum annum, ex gr. à die ultimæ Confessionis protulerit; cum verba ex ore obloquentium, ac detractorum exeant absque ulla reflexione, & tanquam velocissimæ sagittæ ex arcu, ut ait Regius Psaltes *Psalm.* 10. 2. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde*? Appellatione autem *peccatoris* per Antonomasiam intelligitur; detractor, lingua sua famam proximi lædens, juxta illud *Psalm.* 108. 1. *Quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. Locuti sunt adversum me lingua dolosa.* Idcircò periculosissima sunt hæc peccata linguæ, ob difficultatem ea reperiendi in examine conscientiæ atque illa confitendi; & eorum causa plurimi damnantur; undè ait *Ecclesiast.* 28. 3. *Attende, ne forè labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium; & sit casus tuus insanabilis in mortem.* peccata malarum cogitationum pariter in examine conscientiæ non adinveniuntur, tum ob eorum multiplicitatem; quam innuit Salvator in illis verbis: *Matth.* 15. 19. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ*; hæc enim omnia crimina solo desiderio, & interno affectu committi possunt & à malè cordatis hominibus committuntur, tum ob difficilem emendationem ex habitu, & consuetudine præbendi consensum iisdem, unde ait Concilium Trid. *d. sess.* 14. *cap.* 5. loquens de malis cogitationibus: *Nonnunquam animam gravius saucient, & periculosiora sunt iis, quæ manifestè admittuntur.* Propterea plurimæ Confessiones invalidæ sunt, quia de peccatis malarum cogitationum homines non se accusant; & ideo non se accusant; nam ad eas non reflectunt in examine conscientiæ, neque audiunt Prophetam dicentem: *Convertimini de viis vestris malis, & de cogitationibus vestris pessimis. Zacch.* 1. 4.

De peccatis autem omissionum imperfectissimum est examen conscientiæ; siquidem ad ea homines non reflectunt, cum non consistant in facere, 13
sed in omittere; & ut ait Sanctus Thomas 1. 2. *qu.* 71. *art.* 5. *in corp. Ipsum non facere, quod quis facere, tenetur peccatum est.* Duo sunt genera culparum omissionis; unum contra justitiam, alterum contra charitatem. Peccata omissionis contra justitiam præcipuè sunt in illis de quibus competit prælatio, ac regimen aliorum; hinc Pastores Ecclesiarum peccant omittendo visitationes earumdem, convocationes synodales, non audiendo Vicarios suos distribuendo beneficia in immeritos, & benemeritis non dando; non inquirentes scandala, & peccata plebis, nec corrigendo inconfessos, ac malè viventes; non curantes de injustitiis, aut negligentiis suorum ministrorum; & alia proprii muneris officia non adimplentes. Parochi similiter plura peccata omissionis solent contrahere, & non advertere ad illa; non prædicando; non docendo populum doctrinam christianam; neque Sacramenta, nisi in solemnioribus diebus administrantes. Itidem Patres familias non corripientes filios pravos, uxores vaniloquas. Judices non punientes delicta. Advocati causarum meritis non studentes. Procuratores earum expeditionem non sollicitantes. Medici infirmorum curam parùm satagentes; hi enim omnes peccata censentur contra justitiam directivam, distributivam ac vindicativam ex omissione; ut bene advertit Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in* 3. *Sent. tom.* 2. *De Virtutibus in genere disp.* 22. *art.* 17. §. *Unic. & disp.* 24. *art.* 7. ubi probat Superiores distribuentes officia, vel beneficia indignis, vel minus dignis omissis dignioribus, teneri ad restitutionem, quia peccatum omissionis commirtunt contra distributivam justitiam: quod etiam docuerunt S. Thomas 2. 2. *qu.* 62. *art.* 2. & ibi Cajetanus, Guttierez *Canonic. QQ. libr.* 1. *cap.* 11. *num.* 55. Vasquez. *in Opusc. de benefic. cap.* 2. §. 3. *num.* 117. & Diana alios cumulans, *part.* 4. *tr.* 4. *res.* 210. Quæ sedem occupat in opere Coordinato *tom.* 8. *tract.* 7. *resol.* 54. Igitur si hæc verba sunt, prout verissima à DD. esse censentur, nonnè peccata omissionis difficilè reperiuntur in conscientiæ examine? Utique difficilè; nam, ut experientia comperimus, plurimi sunt, qui frequenter omissionis peccata committunt, & rarò illa confitentur; teste Segnerio *in Christ. In-*

struct. part. 1. *Serm.* 5. *num.* 13. Peccata autem omissionis contra charitatem committuntur à divitibus non facientibus de bonis superfluis eleemosynam egenis, ut plenè disseruimus *supra Decis. X.* circa quod omissionis peccatum satis sit notare dictum S. Bernardini Senensis *de Christ. Relig. Serm.* 11. 14
Tria, scilicet, esse Dei tremenda Judicia, & severissimas punitiones, *Unam* ab initio mundi contra Superbiam Angelorum, quos præcipitavit in tartara; *alteram* contra luxuriam hominum, quos extinxit universali diluvio; *tertiam*, quam faciet in fine mundi ob peccata omissionis contra charitatem; quando abjiciet à se damnatos, dicens, *esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Matth.* 25. 42.

Quo ad Quartum Quæstum: *An sit valida confessio facta sine præcedenti examine?* Respondetur, 25
distinguendos esse duos Casus. *Primus* est, quando ex defectu examinis confessio non est integra, & fuit omissum unum, vel plura peccata; & in hoc casu absque difficultate Confessio non est valida; ac omnino venit repetenda: quia integritas quo ad numerum, ad species & ad circunstantias illas mutantes, 11
est de essentia confessionis, ut ostendemus infra *Decis. XXIII.* & definitum est in *cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss.* In Concilio Florent. *in Decret. Eugenii IV.* & in Concilio Tridentino *d. sess.* 14. *cap.* 5. Emin. Card. de Lauræa *de Pœnitentia disp.* 12. *art.* 1. *num.* 11. *& seqq.* Et deficiens integritas neglecto examine conscientiæ censetur venire ob gravem culpam pœnitentis, & facit Confessionem nullam, ut omnes DD. testantur; & in puncto resolvit idem Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 12. *art.* 9. *num.* 197. *Secundus* casus est quando nullum prorsus factum fuit examen conscientiæ, nihilominus confessio fuit integra, & nullum fuit omissum peccatum; & in hoc casu, quem à nullo auctore propositum inveni, nisi ab ipso Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 12. *art.* 9. §. 2. *num.* 203. Respondet Eminentia sua, Confessionem esse invalidam, ac prorsus repetendam. Ratio responsionis est, quia licet talis pœnitens absque præcedenti examine confessus sit omnia peccata commissa, non est confessus peccatum mortale ab eo patratum, accedendo ad Confessionem non præmisso diligenti examine, quod sub præcepto & sub Pœna peccati mortalis est Præmittendum ex decreto Concilii Tridentini *d. sess.* 14. *cap.* 5. Nec excusari potest, quod confessus sit cum integritate, quæ est finis Præcepti, à quo ordinata est præcedens discussio conscientiæ; nam per accidens integritaliter fuit confessus, at quantum ad se ipsum se exposuit periculo committendi Sacrilegium, & omittendi accusationem alicujus peccati; qui autem exponit se periculo peccandi, peccat; etiamsi per accidens postea impediatur à peccando.

Hæc opinio videtur rigorosa, quia non peccat in legem, qui adimplet substantiam legis, etsi non servet modum à lege præscriptum. Bonacina *de Legibus tom.* 2. *disp.* 1. *qu.* 1. *punct.* 9. *num.* 2. Sed Concilium Tridentinum *in cit. sess.* 14. *cap.* 5. in substantia præcipit integritatem Confessionis, quæ intervenit in hoc secundo casu, quamvis non servatus sit modus præscriptus ad eam consequendam, scilicet diligens examen conscientiæ. Prout etiam in omni lege satis est ejus mentem servare, *l. Scire leges ff. de legib.* Menochius *cons.* 202. *num.* 6. Sed mens Concilii in præcipienda discussione conscientiæ ante Confessionem fuit, ut hæc esset integra, & nullum omitteretur mortale peccatum. Igitur, qui de omnibus peccatis se accusat, & integrè confitetur, licèt conscientiam non examinaverit, validam facit Confessionem. Ulterius cessante ratione legis positivæ, ac ejus fine adæquato in aliquo casu particulari, cessat ipsa lex pro eo casu. Abbas *in cap. Quia in Insulis. num.* 2. *de Regular.* Angelus. *Verb. Lex. num.* 4. *casu* 7. Sà *eod. Verb. num.* 1. *& Verb. Ludus num.* 1. Tamburinus *in Decalog. libr.* 2. *cap.* 1. §. 7. *num.* 38. Diana plures DD. cumulans *part.* 1. *tract.* 10. *resol.* 28. Item *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 96. Nec non *part.* 7. *tract.* 10. *resol.* 33. Quæ omnes repositæ sunt ab Auctore ejus Operis Coordinati *tom.* 6. *tract.* 1. *resol.* 70. 71. & 72. Ergo in prædicto casu, cum pœnitens faciat integram Confessionem, & cesset ratio dimidiationis suarum culparum, ob quam à Tridentino Concilio fuit ordinatum examen conscientiæ, dicendum videtur, validè recepisse Pœnitentiæ Sacramentum; & esse bene absolutum; nec amplius teneri ad novam Confessionem eorumdem peccatorum.

Nihilominus tanti Auctoris (qualis est Eminentiss. Cardin. de Lauræa) non audeo impugnare opinionem; sed tantummodo eam declarare, ut procedat; vel quando longum decurrisset tempus post ultimam antecedentem illius pœnitentis Confessionem; itaut se exposuisset manifesto periculo dimidiandi hanc novam Confessionem, & committendi Sacrilegium, ob non præmissum diligens conscientiæ examen; hæc enim esset culpa mortalis ponens obicem, & impediens gratiam, ac effectum Sacramenti. Vel quando Confessarius neque expressè neque tacitè novisset, ab ipso pœnitente nullam præmissam conscientiæ examinationem; & sic subesset idem periculum faciendi sacrilegam Confessionem. Quandoquidem, è contra, quando Confessarius sciviset, non præcessisse examen, vel quia de hoc interrogasset pœnitentem; (ut facere solent prudentes Ministri hujus Sacramenti) vel quia id sibi persuasisset ex qualitate externa pœnitentis, quia esset vel rusticus, vel idiota, vel manifestus ignorans hujus obligationis; & illum non recusasset audire, animo supplendi suis interrogationibus, & illum juvandi ad integraliter confitenda peccata, idque peregisset; in hoc casu dicendum est, validam fore ejusdem pœnitentis Confessionem ex communi Theologorum doctrina, quòd possit Confessarius supplere non discussæ conscientiæ per suas interrogationes; & ex his validum remanere Sacramentum; ut quilibet legere potest in Reginaldo *libr.* 4. *num.* 12. in Navarro *ad cap. Fratres num.* 75. *de Pœnit. dist.* 5. in Bonacina *de Pœniten. Sacram. tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 1. *n.* 7. ubi plures alios allegat. In Emin. Cardinali de Lugo *eod. tract. de Pœnit. disp.* 16. *num.* 593. ubi commendat Confessarios, qui pœnitentes rudes ac ignaros, coram se accedentes non præparatos, non dimittunt; sed illos adjuvant suis interrogationibus, non absque magno merito apud Deum ob multam patientiam & charitatem in recipiendis talium rudium personarum Confessionibus, ut sciunt, qui in sedibus Confessionalibus morantur.

Quo ad quintum, & ultimum quæsitum, *An qui labilem memoriam habet, teneatur scribere sua peccata?* Respondent communiter DD. negativè, ea 19
ratione, quia hæc diligentia est nimis extraordinaria,

atque

atque expoſita nimis manifeſto periculo infamationis propriæ; & nullum Præceptum reperitur de ſcribendis peccatis, ſed ſolùm de iis rememorandis per diligentem conſcientiæ examinationem. Bonacina *d. tom. 1. de Pœnitent. Sacram. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. punct. 2. §. 1. num. 4.* Caſtropalaus *tract. 23. diſp. Unica. punct. 10. num. 3.* Collegium Salmanticen. *de Sacram. in genere d. tract. 6. c. 6. n. 6.* & Gobatus *in Theol. Experim. d. tract. 6. num. 515. & ſeqq.* ubi addit, quòd ſi quis more priſcorum Anachoretarum velit in Papyro ſuos defectus conſcribere, ut de eis ſecurius poſſit ſe accuſare, non eſt reprehendendus. Data vero hujuſcemodi ſcriptura, duæ ex illa inſurgunt obſervationes. *Una* eſt, quod ſi quis reperiret dictam chartam, & legeret, peccaret mortaliter, etiamſi in ea conſcripta eſſent ſolùm peccata venialia; quamvis fuiſſet etiam lacerata, & foras projecta; & aliquis colligeret, ac combinaret fragmenta, eaque combinata legeret. Gobatus *d. tract. 6. num. 517.* Imò ſi Judex per hanc ſcripturam deveniret in notitiam alicujus flagitii, vique ejusdem extorqueret à Reo Confeſſionem, & procederet ad punitionis Sententiam, teneretur eam reſcindere, & totum proceſſum abolere; ea ratione, quia Confeſſio Sacramentalis, & manifeſtatio delictorum ejus intuitu facta non probat in Judicio. Maſcard. *de Probationib. concluſ. 377. num. 1. & 2. ubi DD.* Et alii plurimi, quos cumulat, & ſequitur Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 111. alias 112.* nec non *part. 5. tract. 11. reſol. 27.* quas ſtudioſus Lector, habens Dianam Coordinatum, reperiret *in tom. 1. tract. 8. reſol. 42. & 43.* Obſervatio *Secunda* eſt, quòd hi, qui ſcribunt peccata ſua in charta, poſſunt genuflexi ante Confeſſarium, ei illam legendam tradere, dicendo, *confiteor omnia, quæ hic ſcripta ſunt,* & ea lecta abſolvi valent, ut ex doctrina Eminentiſs. Cardin. de Lugo *de Pœnitent. diſp. 15. à num. 80. & ſeqq.* docet idem Gobatus *d. tract. 6. num. 520. uſque ad num. 525.*

Cæterum contra talem methodum confitendi ita ſcribit Emin. Card. de Lauræa *diſp. 10. de Pœnitentia art. 5. num. 67. Salva pace, contrarium mihi videtur dicendum.* 1. *Quia ſi hoc aſſeratur, facilè invenietur maxima fidelium copia, & puellarum præcipuè, quæ hac diſpenſatione vellet uti.* 2. *Quia cum notum non ſit, cujus gradus, aut magnitudinis debeat eſſe verecundia, facillimè quibuſque ſibi eam ineſſe exiſtimabit, & paucis poſt annis vocalis Confeſſio non erit in uſu.* 3. *per Doctorem præfatum* ſcilicet Cardin. de Lugo) *num. 86. eſt grave, & mortale peccatum, morem hunc in Eccleſiam inducere; quia contra conſuetudinem communem: Ergo non facile, ſunt admittendi caſus de permittenda Confeſſione per ſcriptum.* Maſtr. quoque *in 4. Sent. diſp. 5. q. 17. n. 472.* ita ſcribit: *Non omnino approbo, licet ſua probabilitate non careat, quod docet* Lugus *diſp. 15. ſect. 5. num. 80. ſufficienter debito ſuo ſatisfacere pœnitentem etiam voce pollentem, qui data priùs ſcriptura Sacerdoti, quam legat, in qua continentur peccata, poſt illam lectam ſubjungit per voces: de his omnibus me accuſo, quia jam ore confitetur, quantum ſatis eſt, neque enim neceſſarium videtur, inquit quod per voces intra Sacramentum explicet omnino peccatum. Hoc, inquam, omnino approbare non poſſum, quia nulli dubium eſt, pœnitentem magis verecundari peccata ſua per voces explicando, quam per ſcriptum, ut enim fert commune adagium,* Littera non erubeſcit. *Cum ergo verecundia ſit pœna à Chriſto intenta in hujus Sacramenti inſtitutione, hæc non eſt minuenda, ſi nullus adeſt neceſſitas, ut eſt in caſu propoſito.* Idem ſentit Reginaldus *lib. 6. num. 81.* ubi allegat S. Thomam *in Quodlibet. 1. art. 10.* docentem, debere pœnitentem propriis verbis peccata ſua confiteri, niſi ſit lingua, aut voce impeditus; cui ego addo textum *in cap. Quem pœnitet. 88. de Pœnit. diſt. 1.* in quo dicitur, quòd in Confeſſione *peccata non per nuncium, non per ſcriptum ſunt manifeſtanda;* quod notatum etiam eſt ſupra *Deciſ. XV. num. 21.* ubi proſcripta fuit hæc methodus confitendi. His bene convenit, quod ex relatione Cæſarii *lib. 5. cap. 29.* refert Magrius *in Hierolexic. Verb. Suſurrium.* Aliquando ſcilicet Dæmonem ex contemptu vocaſſe Confeſſionem Sacramentalem *Suſurrium,* quia cùm fieret per vocem ſecretam ad aurem Sacerdotis, videtur in ejus aures ſuſurrare, undè reſultat confirmatio doctrinæ, quòd Confeſſio abſque magna neceſſitate non eſt facienda ſcripto, ſed voce.

DECISIO XXII.

SUMMARIUM.

Mutorum diverſitas, ac Mutitatis quatuor cauſæ ex fonte Medicinæ extractæ declarantur. Muti an poſſint contrahere matrimonium? Profiteri in Religione? ac alia publica officia agere? ex Jurisprudentum dictis oſtenditur: nec non ex Hiſtoria tum Sacra, tum Profana plurium Mutorum exempla referuntur. Hi quomodo poſſint, ac debeant ſua peccata confiteri? Deciditur, & refertur caſus curioſus, ſed periculoſus Muti ab Auctore reperti in Viſitatione Patavinæ Diœceſis.

SUMMARIUM.

1 *Muti, Aſtomi, Brachiſtomi quinam ſint?*
2 *Muti alii à nativitate; Alii poſt uſum loquelæ ob infirmitatem.*
3 *Mutorum à nativitate quatuor ſpecies.*
4 *Aurium interior ſtructura declarata.*
5 *Auditus Organum in quibus conſiſtat?*
6 *Muti cur alii ingenioſi; alii ſemiſtolidi?*
7 *Muti ex infirmitate qui?*
8 *Muti an poſſint contrahere Matrimonium? Profiteri in Religione? eligere ſibi ſepulturam? An eſſe teſtes, vel Judices?*
9 *Mutorum exempla in Scriptura Sacra.*
10 *Lingua abſciſſa Catholici articulate loquuntur.*
11 *Leoni Papæ III. oculi, & lingua miraculosè reſtituta.*
12 *Mutus à nativitate, qui futura prævidebat. Alii ſummi ingenii; aleis ludentes; ad invicem diſputantes.*
13 *Muti ſcientes ſcribere, poſſunt ſua peccata in ſchedula Confeſſario exhibere. Sed an ſint obligati ita confiteri?*
14 *Muti à nativitate nutibus, ac geſtibus debent confiteri ſua peccata.*
15 *Mutorum trium, quorum Confeſſiones Auctor audivit in Viſitatione Diœceſis Patavinæ. Unius ex illis acumen mentis; & caſus curioſus, ſed periculoſus.*

ATtenta igitur Scotiſtarum doctrina, quòd Confeſſio Sacramentalis ex Chriſti inſtitutione debeat eſſe vocalis; & ex Eccleſiaſtica traditione,

ne, ac'usu fidelium nunquam interrupto, peccata manifestanda sint Confessario per vocem pœnitentis, non autem per exhibitionem Schedulæ, in qua sint scripta ipsa peccata; videndum est, quomodo Muti, & hi, qui linguam impeditam habent, debeant confiteri.

Mutos, & lingua impeditos dari per universum orbem experientia docet, & testantur Historiæ; ut videre est, apud Solinum *cap.* 37. Plinium *lib.* 6. 1 *cap.* 30. Isidorum *lib.* 11. *cap.* 3. à quibus non dissentit S. Augustinus *lib.* 16. *De Civit. Dei.* Verum non solùm reperiri homines mutos, sed etiam *Astomos*, idest ore carentes, nec non *Brachistomos*, qui parvo sunt ore, referunt Scriptores, quos allegat Schottus *in Physica Curiosa lib.* 3. *cap.* 11. §. 3. & præcipuè Plinium *lib.* 7. *cap.* 4. asserentem *Ad extremos fines Indiæ ab Oriente circa fontem: Gangis Astomorum gentem sine ore, corpore toto hirtam, vestiri frondium lanugine, halitu tantum viventem, & odore, quem naribus trahunt.* Cui adstipulantur Solinus in descriptione Æthiopiæ *cap.* 43. ac novissimè P. Nierembergius *lib.* 8. *Histor. Natur. cap.* 1. ubi notat, in Xamocohuyca esse gentes, *quæ membris purgationi excrementorum destinatis careant, ali proprerea solùm odore fructuum, florum, herbarum, quas olfactui, & naribus, non stomacho condiunt.* Sed quidquid sit de Astomis, & elinguibus, quos reperiri in rerum natura credere non posse, ait Schottus *d. lib.* 3. *cap.* 11. §. 3. de mutis hominibus non est dubitandum; circa quos, antequam disseramus de eorum Sacramentali Confessione, tria sunt præmittenda, ac notanda, ex triplici fonte, Medicinæ scilicet, utriusque Jurisprudentiæ, ac Historiæ tum Sacræ tum Profanæ excerpta.

Primum præmissum, ac notandum juxta Medi- 2
corum doctrinam est, mutos homines alios esse tales à nativitate: Alios tales evadere post habitum loquelæ usum ex infirmitate. Qui à nativitate muti sunt, dividuntur in quatuor sequentes species. Prima est eorum, quorum cerebrum insigniter, 3
ac secundum Principales partes mancum, & oblæsum est, qui quidem remanent muti ex imbecillitate intellectus, cujus instrumentum est cerebrum, quo læso, inepti sunt, ac inhabiles ad discendum voces, & ad loquendum, & hujusmodi homines nullius meriti, aut demeriti sunt capaces; suntque quo ad rationis usum brutis comparandi, ut differit Zacchias *in Q Q. Medicoleg. lib.* 10. *conf.* 50. *num.* 17. Secunda species mutorum à nativitate est, qui habent quidem cerebrum sanum, sed fortiti sunt aliquam læsionem juxta Principium nervorum Acusticorum, & in ipsismet nervis auditoriis, qui ad ipsum cerebrum deferunt sensibiles species; ideòque, licet hi videantur habere aliquam capacitatem; non possunt loqui ob auditus impedimentum, & remanent satis rudis ingenii, ac quasi stolidi ob morbum in nervis sensoriis propè ipsum cerebrum. Ita Zacchias *d. lib.* 10. *conf.* 50. *num.* 18. Tertia mutorum species est illorum, quorum nervi sensorii, & acustici læsi sunt in parte remotiori à cerebro, & proximiori tympano auriculæ. Pro intelligentia sciendum; quod natura instituit aures ad defensionem auditus, sicut supercilia ad oculorum munimentum; & ob hanc causam, via per quam tendi- 4
tur in auditum, plena est anfractibus ad instar labyrinthi, ut aer ad auditum penetrans his obliquitatibus refrangatur, nullumque ipsi aliqua violenta commotione inferat nocumentum. Propter eundem finem prædicta via repleta est quodam humore viscoso, quo bestiolæ præpediuntur, ac detinentur, si quæ ad intimum auditus penetrare præsumant. Hujusmodi autem via definit in quandam concavitatem, quasi orbicularem, plenam substantia aerea, spiritosa, & animata, quæ solet vocari *Aer insitus*; & ne hæc substantia dissipetur, conservetur indemnis, providit natura quandam pelliculam operientem medietatem prædictæ substantiæ, quæ existit versus exteriorem partem aurium; vocaturque dicta pellicula *Myringa*, seu *Tympanum*, quia adinstar tympani formata est, & sustinetur super tria officula diversæ figuræ; quæ nominantur *Malleus*, *Incus*, *& Stapes.* Subsequitur deindè quoddam os, *Labyrinthus* vocatum, eò quòd pluribus foraminibus variè inter se occurrentibus, & multis obliquitatibus constat ad modum labyrinthi. Tande adest alia cavitas *Cochlea* dicta, eò quia quibusdam spiris, ac gyris ad modum cochleæ est prædita; & in medio hujus cochleæ à cerebro descendit quidam nervus, qui in alios duos dissinditur, quorum unus ad partem dexteram, alter ad sinistram tendit, terminans uterque ad illam concavitatem aurium, ubi residet prædicta substantia aerea, sivè spiritosa; & deserviunt hujusmodi nervi, ut per eos descendant spiritus animales à cerebro usque ad auditum; ac in eis, unà cum præ- 5
dicta aerea, spiritosaque substantia, ex probabiliori opinione constituitur sensorium, seu organum auditus; ideòque prædicti nervi appellantur *Acustici*, idest auditorii, & sensorii; ut in *Lexico Medico Verb. Acusticus*, Zacchias *d. libr.* 10. *conf.* 50. *n.* 17. Collegium Compluten. *lib. de Anima disp.* 10. *quæst.* 7. & Mastrius *in eod. libro disp.* 5. *quæst.* 3. *n.* 107. *&* 108. ubi eleganti, ac docto penicillo delineat admirabilem aurium structuram.

Igitur si contingat morbus, seu læsio nervorum 6
acusticorum in parte inferiori, ac proxima tympano aurium, homo remanet surdus à nativitate, & ob illam surditatem evadit etiam mutus ex Aristotele *de Histor. Animal. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 10. & ibi Maurus: sed cum hac differentia, quòd existante læsione nervorum acusticorum in parte à cerebro remota, ac proxima tympano, muti pollent ingenio, & acumine intellectus, ac proindè excellunt in apprehendendis rebus, quæ illis commonstrantur; & in exprimendis animi sui sensibus per gestus, & nutus; ut infra in exemplis ex Historiarum fonte desumptis demonstrabitur. Quarta tandem species surdorum, ac mutorum à nativitate eas comprehendit, qui nullum in cerebro, neque in nervis auditoriis vitium habent, sed non audiunt ob interpositionem cujusdam tunicæ crassioris ante membranam, seu tympanum auris; & ex eo impedimento loquelam non addiscunt, ut bene indigitat Hier. Fabricius *de Organo Auditus, part.* 2. *cap.* 4. quem allegat, & sequitur Zacchias *tom.* 1. *Q Q. Medicolegal. lib.* 2. *tit.* 1. *quæst.* 8. *num.* 6. *& to.* 2. *d. libr.* 10. *conf.* 50. *num.* 20. quibus addo Veslingium, mea ætate publicum Anatomiæ Lectorem in hoc Gymnasio Patavino in suo *Syntagm. Anatomico cap.* 16. *Vers. Duplex interdum.* Et hæc de mutis à nativitate.

Alii muti dantur, qui postquam perfectum au- 7
ditum sunt consequuti; ac etiam usum loquelæ; illam perdunt, & mutitatem contrahunt vel ex aliqua infirmitate, vel ex alio exteriori accidente, nempè ex ingenti fragore, vel rumore ex improviso per-

percepto, ut ex ictu bombardæ, vel fistulæ æneæ. Idem Zacchias *d. lib.* 10. *d. cons.* 50. *sub num.* 20. ubi observat, pueros incipientes loqui, si aliquo prædictorum accidentium afficiantur, & surdi fiant, mutos etiam effici, ea ratione, quia cùm humanam vocem ampliùs non audiant, addiscere non possunt locutionis usum. His similes sunt in mutitate, non perpetua, sed ad tempus limitatum, pueri tenelli, qui cùm exquisitissimè audiant, tamen non loquuntur aliquando per biennium, & ultra, ob nimiam mollitiem nervorum acusticorum impedientem articulate voces, donec ipsa sufficienter exsiccetur; ut scribit idem Zacchias *Q. Q. Medic. Legal. tom.* 1. *libr.* 2. *tit.* 1. *quæst.* 8. *n.* 13.

Quo ad secundum præmissum; ex fonte Utriusque Jurisprudentiæ circa personas mutorum hæc
8 quinque sunt notanda. Primò, quòd hi possunt contrahere matrimonium, præstando consensum signis, ac nutibus, ut pluribus citatis Theologis, ac Canonistis tenet Sanchez *de Matrim. libr.* 1. *disp.* 8. *num.* 12. & licèt dissentiat Zacchias *d. libr.* 2. *tit.* 1. *quæst.* 8. *à num.* 25. *& seqq.* non est deserendus Sanchez in suppositione, quam facit, quòd sponsus mutus, & surdus à nativitate sit ex illis, qui nullum morbum contraxerunt in sensoriis nervis; & habent perspicacem intellectum, itaut comprehendant finem, ac obligationem matrimonii. Secundò, quòd jidem muti à nativitate excellenti capacitate pollentes possunt vitam Regularem assumere, & in ea valide profiteri, ut in terminis consuluit Socinus Senior *cons.* 62. *n.* 13. *&* 14. *vol.* 1. quem citat, & sequitur Fagnanus *in cap. Vidua. num.* 14. *de Regularib. tom.* 5. Tertiò quòd pariter valent sibi eligere sepulturam; ut docet Pignatellus *tom.* 1. *consult.* 17. *n.* 15. Quartò, quòd licèt muti, & surdi à nativitate de jure civili non possint facere testamentum *l. Discretis.* 10. *C. qui testam. facere poss.* nihilominùs ad pias causas possunt testari. Tiraquell. *de Privileg. pia causa Privileg.* 9. Pignatellus *d. tom.* 1. *consult.* 17. *num.* 17. *ubi DD.* dummodò sint perspicacis ingenii, qualis erat mutus, & surdus quidam à nativitate, (quem ego cognovi) famulus à pueritia sua Nobilium Comitum de Leonibus hujus Antenoreæ Urbis; qui cùm vidisset Herum suum gravi morbo laborantem, detulit ad lectum ipsius chartam, calamum, & atramentum, nutibus rogans, ut legatum pingue sibi relinquere dignaretur; quod pius ille Dominus libenter fecit. Quintò tandem muti, & surdi à nativitate non possunt esse testes in judicio; neque Judicis Officio fungi. Speculator *in tit. de Testib.* §. *Nunc tractandum. Vers. Quid de muto?* Scaccia *de Sentent. & Re judicata Gloss.* 4. *quæst.* 2. *n.* 9. necessaria est enim loquela, & vox humana in his officiis peragendis. At muti non nati, sed tales effecti ob infirmitatem sunt habiles ad alia officia, potissimùm si scribere sciant; nisi mutitas obvenerit ob læsionem cerebri; tunc enim intellectus patitur quandam speciem fatuitatis, ut fusiùs ostendit Zacchias *d. lib.* 2. *tit. quæst.* 8. *n.* 32. subdens *lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 8. *n.* 52. *in fine*, dari mutitatem imperfectam, quæ à Græcis vocatur *Mogilalia*, & est hæsitantia quædam in loquendo ex aliquo vitio, vel mala affectione; quod etiam docet Lexicon Medicum *Verb. Mogilalos.*

Tertium præmissum profert exempla mutorum ex Historia tum Sacra, tum Psofana; qui vel miraculosè loquelam sunt assecuti; vel mirabiles habiti sunt in nutibus, ac gesticulationibus loco loquelæ. Ex historia Sacra habetur; I. Mutitas S. Zac- 9
chariæ Patris S. Joannis Baptistæ *Luc.* 1. *Vers.* 22. quem DD. volunt, fuisse mutum, & surdum simul; ideòque cùm esset imponendum nomen puero, die octavo, *Innuebant* (vicini, & cognati) *patri ejus quem vellet vocari eum? Luc.* 1. *Vers.* 62. non enim audiebat eorum voces; nam, ut scribit Lactantius *lib. de Opific. hom. cap.* 11. *Aliquando casu accidit, ut morbo aliquo hic aditus obseptus, vocem non transmittat ad linguam; faciatque de loquentibus mutos, quod cùm acciderit, auditum quoque obstrui necesse est; ut quia vocem emittere non potest, nec admittere quidem possit.* II. Mirandi sunt muti, quos Christus Dominus fecit loqui, ut legimus in Evangelio Matthæi *cap.* 9. *vers.* 32. *cap.* 12. *vers.* 22. *& cap.* 15. *vers.* 30. ibi: *Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos; & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos; itaut turbæ mirarentur videntes mutos loquentes,* &c. Quod dictum, & datum erat per Isaiam *cap.* 35. *vers.* 6. in signum veri Messiæ in illis verbis: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Duplex enim concurrebat miraculum in aperiendis linguis mutorum, ac surdorum à nativitate; Unum, quòd reciperent facultatem loquendi, quam nulla ars humana, sed sola divina potentia concedere potest. Mercurialis *de Morbis pueror. cap.* 8. Zacchias *d. lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 8. *num.* 52. Alterum, quòd statim, soluto vinculo linguæ, haberent scientiam loquendi, quam sine miraculo in instanti nullus valet percipere; nam, ut ait Philosophus, *Auditus est porta mentis;* quod examinat idem Zacchias *libr.* 2. *tit.* 1. *quæst.* 8. *num.* 6. atque Menochius *in Storeis part.* 2. *Centur.* 4. *cap.* 62. nec non in sua *Oeconomica Christiana libr.* 2. *cap.* 2. *num.* 3. ubi refert fabellam Rabbinorum, cur Moyses (ut habetur *Exod. cap.* 6. *vers.* 12.) fuerit tardioris, & impedicioris linguæ? III. Ex historia Sacra habemus prodigium illud, quod anno Christi 484. in Tipasensi Mau- 10
ritaniæ civitate contigit; ubi cùm jussu Regis, quam plurimis Catholicis, Ariano ejus civitatis Episcopo communicare detrectantibus, linguæ radicitùs abscissæ essent, nihilominùs jidem, Spiritu Sancto præstante, ita absque linguis articulatè, quamdiù vixerunt, locuti sunt, quomodo antea loquebantur, ut ex Eminentiss. Cardin. Baronio compilat Spondanus *ad d. An.* 484. *n* 8. quod pluries evenisse in Sanctis Martyribus legimus in eadem Historia Ecclesiastica *Anno* 513. *n.* 5. *Anno* 657. *n.* 1. *& Anno* 742. *n.* 1. & sæpè alibi. IV. Sed & illud mirabile referendum, quod de Leone Papa Tertio legitur Anno 799. cui cùm impii homines oculos eruissent, præcidissentque linguam, 11
sequenti nocte per intercessionem SS. Apostolorum & visum recepit, & lingua ei restituta fuit. Spondan. *add. Annum* 799. *n.* 1. & novissimè Joannes Palatinus Venetus *in Gestis Pontificum tom.* 1. *de Leone III. pag.* 406. ubi Annales Francorum, Fuldenses, aliosque Auctores hanc veritatem attestantes allegat. V. Ulterius innumeros propè Sanctos meritis suis ante, ac post mortem mutis, loquelam restituisse ostendit Joan. Bonifacius Bagatta *in Admirandis Orbis Christiani tom.* 2. *libr.* 2. *cap.* 1. §. 2. per totum; *ac* §. 3. ad quem Lectorem pium remittimus. VI. Ex historiis autem profanis plura collegit de mutis hominibus Schottus *in Physica curiosa libr.* 3. *cap.* 34. §. 2. & inter cætera,

quòd mutus quidam, ac surdus ab incunabulis
12 futura prævidebat; cumque famularetur cuidam Civi Constantiensi opulento, eundem navigaturum per lacum nutibus, ac gestibus ab itinere dissuadebat; sed Hero navigare volenti lamentis, & gemitibus malum ei impendere insinuabat; quibus non attentis Dominus navim conscendit, & abiit; at paulò post coorta tempestate naufragio periit. Similiter, quòd Norimbergæ fuerunt Adolescens, ac Puella muti, & surdi à nativitate. Hæc acu, & ingeniosa textura alias puellas facilè superabat; Ille gesticulationibus apprimè suas cogitationes exprimebat, & in omnibus alearum lusibus præstabat. At jucundum est, quod P. Athanasius Kirchetus scripsit Anno 1659. eidem P. Schotto, (ut notat *d. libr. 3. cap. 11. §. 3.*) se apud Magnum Ducem Florentiæ vidisse, his verbis: *Erano due di sua natura, e mutoli, e sordi. Questi comandati, che trà essi scambievolmente disputassero: (il Problema era, se era meglio essere sordo, e muto; ò veramente sol uno di questi due) lo fecero con segni tanto espressivi, che mi fecero affatto stupire; essendo veramente cosa quasi prodigiosa, come possino tanto al vivo dare ad intendere con i gesti, e cenni quello, che un' altro esprime con le parole.* Diceres, prædictos mutos studuisse *l' Arte de Cenni*, libro laborioso quidem, sed eruditissimo sapientis Viri Joannis Bonifacii typis dato *Vincentiæ Anno* 1616. Utique asseverandum venit prædictos omnes mutos ex illis, qui tales effecti sunt non ex modo cerebri, seu, nervorum acusticorum, sed solo impedimento membranæ, apud tympanum aurium, ut ex Medicis diximus supra in quarta specie primi præmissi.

His ad ornatum materiæ de Mutis prænotatis, deveniendo ad modum, quem ipsi muti tenere debent in confitendis suis peccatis, dicendum est,
13 quòd si antea habuerint usum linguæ, & didicerint scribere, possunt sua peccata in schedula descripta Confessario manifestare; actus doloris emittentes; dum ipse Confessarius ad ipsorum præsentiam legit, ut notant omnes Canonistæ, quos allegat, & sequitur Fagnanus *in cap. Omnis utriusque sexus. num. 36. de Pœnitent. & Remiss.* Et hoc modo accusatione facta proprium peccatorum sunt à Confessario absolvendi. Porrò an muti, ac surdi prædicti teneantur, & obligati sint hoc modo per scripturam confiteri & de suis peccatis se accusare, non sunt concordes Moralistæ, quos cumulat Diana *part. 5. tract. 6. resol. 4.* quæ collocata est in Operis Coordinati *tom. 1. tract. 3. resol. 72.* Alii negant, ea ratione, quia mutus se exponeret periculo amittendi scripturam, & publicandi sua peccata; seipsumque infamandi; ideoque non tenetur, cùm confessio de sui natura esse debeat secreta; propter quam causam neque tenetur adhibere interpretem Pœnitens, qui nescit idioma Confessarii. E contra alii affirmant, quia qui obligatur aliqua lege magni momenti, præcipuè si sit ordinata ad implendam legem divinam, tenetur adhibere diligentiam, & apponere media non magnæ difficultatis, ut legem servet. Sed talis est lex Ecclesiastica de annua Confessione, ad quam adimplendam tenetur Mutus uti mediis sibi possibilibus, inter quæ scribere sua peccata in papyro ostendenda Confessario. Ergo tenetur hoc medium adhibere. Neque relevat timor manifestandi, seu publicandi sua peccata; quia schedula illa statim scinditur in minutissimas partes, vel comburitur. Hanc opinionem tenent septem gravissimi Theologi apud Dianam in supra-citata resolutione; quibus ego adhærendum censeo; hac alia potissimùm ratione: quòd ubi agitur de periculo animæ, ad illud evitandum, omnis labor, & omne studium est adhibendum. Verùm, Mutus habens mortalia, si nequit alio modo ea manifestare Confessario, nisi scripta in papyro; si recuset ea scribere, non potest salvari, nisi eliciat actum perfectæ contritionis. At nullus negabit, utilius, ac securius esse suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, prævia exhibitione schedulæ, in qua scripta sint peccata; siquidem tunc sufficit attritio ad obtinendam remissionem peccatorum, & ad æternam salutem consequendam, virtute Sacramenti.

Quòd si muti tales sint, ac simul surdi à nativitate, & nesciant scribere; tenentur sua peccata confiteri nutibus, ac gestibus; exhibendo actus doloris, & propositum se emendandi, ut 14
optimis rationibus demonstrat Mastrius *in 4. Sent. disp. 5. n. 141. & 142.* ac Summa Diana *Verb. Confessionis modus. n. 19.* Circa quos Mutos duo sunt observanda ex doctrina Gobati *in Theol. Experim. tract. 7. num. 476. & 477.* Unum, quòd si adsit Confessarius probè intelligens nutus Muti, coram illo debet Mutus se accusare, non autem coram alio, vel pœnitùs dictos nutus non percipiente, vel solùm imperfectè. Alterum, quòd Confessarius non callens nutus, ac gestus Muti, debet prudenter se instruere ab ejus domesticis de sensu, ac significatione eorundem nutuum, ac gestuum; ut possit comprehendere species, ac numerum peccatorum ejusdem Muti pœnitentis, quantum sibi est possibile, ut validè cum absolvat. Nam ex Doctrina Bonacinæ, Reginaldi, Laymani, Palai, & Lopezii, quos citat, ac sequitur Gobatus *d. tract. 7. num. 482. & 483.* potest Confessarius absolvere Mutum, sicut quemcunque alium pœnitentem ignotæ sibi linguæ, si unum, aut duo peccata sic exprimat, ut à Confessario intelligantur, velitque omnia confiteri.

Quadraginta ab hinc circiter annis, cùm ego percurrerem hanc Diœcesim cum sanctæ memoriæ Eminentissimo, ac Reverendiss. Domino meo GREGORIO CARDINALI BARBADICO Episcopo Patavino illam visitante, tanquam ejus Auditor Generalis, occasionem habui excipiendi Sacramentalem Confessionem trium Mutorum di- 15
versæ inter se capacitatis; unus enim erat propè fatuus, tanquam hi qui habent oblæsos nervos acusticos propè cerebrum; alter habebat mediocre ingenium, quasi oblæsis nervis propè tympanum; tertius verò pollebat perspicacissimo intellectu; quem crediderim esse mutum, ac surdum à nativitate, non ob læsionem nervorum, sed ob obstaculum tunicæ propè tympanum, ut explicatum est supra in primò præmisso. Me Parochus edocuit significatum nutuum, ac gestuum eorundem Mutorum; qui tunc de iracundia, atque vindicta se accusabant, quando manum in modum minarum concutiebant; de gula, ad os digitos projiciendo; de ebrietate pollicem elevatum, quasi cyathum in idem os infundendo; de accidia super vola manus, caput reclinando; & sic de aliis.

Curiosus autem, etsi periculosi simul fuit casus, qui prædicto Muto acutissimi intellectus acciderat non multò ante dictam Visitationem.

Cal-

Calceolarius, ac Cerdo erat ipse excellens, ac pro nobilibus tantùm viris calceos suebat, industriaque sua non paucos argenteos cumulaverat, quos in arca sub clave custodiebat. Quadam die reliquit inadvertenter clavem in arca, ex qua statim ipsius soror argenteum unum surripuit. Paulò post Mutus, reperta Clavi in arca, eam aperuit, & numeravit argenteos, furtumque jam factum agnovit. Sororem apprehendit, eam rigidè baculo verberaturus, nisi nummum restitueret. Cœpit latruncula negare furtum; & quia pridem in ea domo aliquantulum moratus fuerat, quidam restaurator Lebetum, vulgò *Un conza Lavezi*, innuebat eum furem. Intellexit Mutus, & credidit, fuisse reum furti, quem soror indigitabat, videnque illum per fenestram à longè, arrepto sclopo, & ense furiosus currebat, ut innocentem lebetarium, non multò indè distantem, allequeretur, ac occideret. Plures erant homines in via, qui Muto obstiterunt, rogantes, quid haberet? & cognita ejus furoris causa, suasi de innocentia illius lebetarii, festinatò vocatam ad se sororem obstrinxerunt, ut argenteum redderet, prout fecit, veniam de furto, de mendacio, ac de calumnia coram Muto genuflexa supplex petendo. Delectabat eundem Mutum avium venatio, quæ summo manè in illa Villa fiebat; socioque rogabat, ut eum è lecto vocarent diluculò, Sed quia eos pulsantes ostium non audiebat, funiculum sibi ad brachium alligabat, illumque ab alia extremitate è fenestra pendere sinebat, quem Venatores trahentes, Mutum à somno excitabant; qui surgens velociter, ibat ad capiendas aves sclopi explosione, in qua mirabiliter excellebat. Magnam articulorum fidei cognitionem nutibus exprimebat, & quo ad ingenii, ac intellectus acumen non erat inferior mutis illis, quos P. Kircherius Florentiæ fuerat admiratus.

DECISIO XXIII.

ARGUMENTUM.

Integritas, quæ est secunda Confessionis Sacramentalis conditio, in præsenti Decisione declaratur; quæ tria requirit, Numerum, Circumstantias, & Effectus peccatorum. Ratione, Juribus, & exemplis Animarum damnatarum probatur necessitas hujus integritatis. Hæc tamen ex divina institutione dispensatur in sex casibus Physicæ, vel Moralis impotentiæ hic relatis, & expositis, in quibus clarè, ac doctè ostenditur, quomodo, & quando liceat tacere aliquod peccatum in Confessione? Et quid agendum cum habente non reservata, ac reservata simul, ea volente confiteri?

SUMMARIUM.

1 *Integritas quid significet? & quid denotet in Confessione?*
2 *Circumstantiæ non mutantes speciem explicandæ in sex casibus.*
3 *Integritas Confessionis alia Materialis, alia Formalis.*
4 *Integritatis Confessionis necessitas probata Ratione, Juribus, Exemplis.*
5 *Animæ damnatæ ob dimidiatam Confessionem.*
6 *Trium Dæmonum nomina Claudens corda, Claudens crumenam, Claudens ora.*
7 *Integritatis omissio in Confessione in casibus necessitatis est ex Divina permissione.*
8 *Integritas cessat ob oblivionem inculpabilem peccati.*
9 *Infirmus impotens manifestare sua peccata; absolvendus.*
10 *Mortis periculum excusat ab integritate Confessionis.*
11 *Metu gravis detrimenti in vita, fama, vel anima, permittitur dimidiatio Confessionis. Sed non semper ut hic.*
12 *Attritio an sufficiat in Confessione dimidiata pro peccato non manifestato?*
13 *Peccatum occultum ex justa causa in Confessione, quamprimum est alii Sacerdoti manifestandum.*
14 *Complex an manifestandus in Confessione?*
15 *Reservatum ob peccatum an liceat dimidiare Confessionem?*
16 *Reservata audiens, ut absolvat, debet etiam non reservata audire.*
17 *Inferior quomodo, & quando absolvat habentem reservata?*
18 *Absolutio à reservatis prohibita per Concil. Trid. & per Decretum Clem. VIII. Ejusdem Decreti interpretatio.*
19 *Periculum damni quantum esse debeat pro dimidiata Confessione?*
20 *Dimidiare Confessionem ob magnum concursum pœnitentium, est opinio damnata?*

CONfessionem Sacramentalem, ut valida sit, quatuor conditiones requirere diximus in superiori *Decis. XV. n.* 32. videlicet, ut sit *Diligens, Integra, Fidelis, & Obediens.* Diligentiam consistere in discussione, ac examine conscientiæ ostendimus in *Decis. XXI.* cujus occasione examinavimus celebrem quæstionem; An ad prædictam diligentiam servandam spectet obligatio scribendi propria peccata? nec non aliud dubium, utrùm liceat pœnitenti non exprimere voce sua peccata, sed illa jam scripta in papyro exhibere legenda Confessario? saltem aliqua legitima causa subsistente; præcipuè ob loquelæ impedimentum? Indè motivum sumpsimus in *Decis. XXII.* agendi de Confessione Mutorum. Completa itaque expositione primæ conditionis ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ necessariæ in Pœnitente, quæ est *Diligentia* in examinanda conscientia; agendum modò venit de secunda conditione, nempè de *Integritate* Confessionis Sacramentalis, pro cujus clara intelligentia quatuor sunt videnda.

Primò: Quid sit integritas Confessionis, & in quibus consistat?

Secundò: Quotuplex?

Tertiò: Unde proveniat necessitas hujus integritatis?

Quartò: In quibus casibus valida sit Confessio sine integritate?

Quo ad Primum. Hoc nomen *Integritas* de sui natura importat totam rem, cui tale nomen imponitur, ut si dicatur integer homo, integra vestis, integrum ædificium; intelligimus, quòd nulla pars deficiat homini, vesti, ædificio; similiter, I

quando vocamus integrum aliquem actum vitalem sive internum, sive externum, significamus totalitatem, & integritatem objecti; circa quod tendit actus ille; exempli gratia, obligatio dicendi integrum Officium, integrum Rosarium, denotat integram, ac totalem recitationem ejusdem Officii, vel Rosarii, itaut nulla pars ejusdem omittatur; aliàs dicetur Officium, vel Rosarium dimidiatum. Igitur idem asserendum venit de integritate Confessionis, quæ ut talis sit, requirit totalitatem in accusandis peccatis; ideòque *Confessio integra est manifestatio omnium peccatorum cum suis necessariis circumstantiis, & effectibus, quæ aliquis habet in conscientia, uni, & eidem Sacerdoti facta.* Ita Eminentiss. Card. de Lauræa *in tract. de Pœnitentia disp.* 12. *num.* 1. Dicitur *Manifestatio omnium peccatorum*; quia primum requisitum integritatis in Confessione est, ut pœnitens exprimat numerum peccatorum; idest quot vices unum, vel plures peccata commiserit; in hoc enim numero præcipuè consistit integritas, ut infra demonstrabimus. Dicitur *Cum suis Circumstantiis*; Nam præter numerum etiam circumstantias peccatorum oportet manifestare; non solùm mutantes speciem peccati, quæ nunquam taceri, vel occultari possunt; sed aliquando etiam aggravantes à parte objecti, ut notat Garzias *de Be-*
2 *nefic. part.* 3. *cap.* 1. *num.* 143. & 144. de quibus Moralistæ dant sex exempla sequentia. I. Ut sit exprimendus gradus in incestu, quia quò proximior est gradus, eò gravior est circumstantia peccati. II. In quantitate furti, ac injuriæ. III. Quando uno actu plures sunt occisi, vel infamati. IV. Si odium fuit diurnum. V. Si peccatum fuit cum filia spirituali. VI. Si circumstantia aggravans causet censuram, vel reservationem peccati, aut requirat directionem, sive consilium Confessarii. Busembaum *libr.* 6. *tract.* 4. *art.* 1. *n.* 3. Sed de his plenè tractabo in *Decis. XXVI.* Dicitur, *Et effectibus*; scilicet provenientibus ab ipso peccato; qui sæpè sæpiùs sunt de necessitate exponendi, ut Confessarius possit justè judicare, & debitam pœnitentiam, ac restitutionem, compensationemve damnorum injungere; puta si ob homicidium commissum filiæ interfecti prostitutæ sint, vel alius innocens vexatus sit à Judice. Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 12. *n.* 107. *ac* 120. de quibus pariter infra singillatim erit agendum *Decis. XXVII.* Dicitur, *Quæ*, (scilicet peccata) *aliquis habet in conscientia.* post factam ejusdem conscientiæ discussionem, & examen; nam si ex inculpabili oblivione non recordetur alicujus peccati, non remanet in conscientia, & absolvitur unà cum aliis, ut pariter infra demonstrabitur. Tandem dicitur *Uni, & eidem Sacerdoti facta*, quia non licet confiteri peccata pro medietate uni Confessario, & pro alia medietate alteri, *cap.* 1. §. *Cautus sit, & ibi Glossa Verb. Confessionem. de Pœnitent. dist.* 5. Itaque integritas Confessionis consistit in tribus istis, manifestare omnia peccata quo ad numerum; quo ad eorum circumstantias, saltem mutantes speciem; & quo ad malos effectus, qui provenerunt ex illis.

Quo ad Secundum. Confessionis integritas duplex est, alia *Materialis*, alia *Formalis*. Illa est mate-
3 rialis, quæ explicat omnia confitenda sivè ut peccata, sivè ut circumstantias, & quo ad numerum, & quo ad species, & quoad effectus; ideòque qui confitetur integrè, Sacerdoti omnia peccata specifica, & numerica omnesque circumstantias cadentes sub præcepto, materialem, seu physicam, ac actualem integritatem servat. Formalis verò integritas est, quæ complectitur omnia peccata, de quibus pœnitens post diligentem discussionem conscientiæ recordatur; esto alia adsint, quæ non sint in memoria; vel si adsit aliquod aliud peccatum, cujus recordationem habet, non tenetur tunc illud manifestare ex aliqua licita causa, & potest sub silentio tenere; manifestandum postea alteri Confessario, ut infra in quarto Quæsito explicabimus. Ita ex Moralistis Reginaldus *in Praxi lib.* 6. *num.* 150. Gobatus *tract.* 6. *num.* 335. & ex Scholasticis Suarez *de Pœnitentia disp.* 23. *sect.* 3. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *eod. tract. disp.* 12. *n.* 4.

Quo ad Tertium. Necessitas integritatis Confessionis Sacramentalis probatur Ratione, Juribus, & Exemplis. Ratio concernit tum Sacerdotem, 4
tum Pœnitentem; siquidem Sacerdos non potest equum judicium facere, ac sententiam justam proferre, nisi cognoscat omnia peccata pœnitentis, eorumque circumstantias mutantes speciem, ac effectus inde secutos; eò minus quia gerit Officium Medici spiritualis pro sanandis vulneribus inflictis in anima per peccata; vulnus autem, quod ignoratur, & non ostenditur Medico, non curatur. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. disp.* 12. *num.* 11. Pœnitens quoque factus fuit inimicus Dei per quodcumque ex peccatis mortalibus per eum commissis. Ergo, sicut tenetur detestari singula peccata, ita debet omnia, & singula confiteri, ut Dei gratiam recuperet; est enim instituta à Christo Sacramentalis Confessio cum hac implicita conditione, ut cessante impedimento physico, vel morali, omnia, ac singula peccata manifestentur cum prædictis suis circumstantiis. Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp.* 12. *à num.* 23. *& seqq.* Hinc est, quòd in lege veteri volebat Deus totum holocaustum sibi incendi, nec indè quidquam ad humanas mensas reservari. *Levit.* 1. 9. neque Animal claudum volebat sibi immolari, ut ex hujusmodi victimæ rejectione disceretur, non esse claudicandum in manifestandis peccatis in Confessione; quæ est Sacrificium propitiatorium, juxta illud; *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum* (scilicet in accusatione commissarum iniquitatum) *Deus non despicies. Psalm.* 50. *Vers.* 19. Undè etiam hortatur dicens: *Convertimini ad me in toto corde vestro. Joel.* 2. 12. Et cum dicat totum, excludit dimidiationem, & includit integritatem. Et per Ezechielem *cap.* 18. *Vers.* 21. subdit: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordatur.* Itaque Pœnitentia, idest Confessio debet esse de omnibus peccatis, non autem de una parte, vel dimidio, ut bene disserit Mendezius *in Luce Fidei, lib.* 12. *cap.* 12. *n.* 5. Dictio enim Omnis universalis est, nihil excludens: *l. Julianus. & l. Testatorem. in princ. ff. de leg.* 3. Barbosa *de Dictionibus Usu frequen. Verb. Omnis. Dict.* 241. *num.* 1.

Jura præcipientia integritatem habentur expressa, tum in *cap. Omnis utriusque sexus.. de Pœnit. & Remiss.* ubi ita præcipitur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur*; tum in Sacro Concilio Tridentino, in quo *sess.* 14. *de Sacram. Pœnitent. cap.* 5. ita deciditur: *Verùm*

tùm cùm universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant; necessum est, omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda Confessione, à Deo quærere, Et de eodem Sacramento *Can.* 7. ita decernitur; *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse, jure divino, confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, Anathema sit.* Quo quidem anathemate feriuntur Lutherani, & Wicleffistæ, asserentes, non esse necessarium confiteri omnina peccata, sed tantummodo illa, quæ sunt manifesta; ut advertit idem Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 12. *num.* 5.

Exempla apud Ecclesiasticos Scriptores plura
5 leguntur, quibus apparet, eos qui Confessionem vel ex malitia, vel ex pudore dimidiatam, & non integram fecerunt, æterno igni fuisse damnatos. P. Christophorus Vega in Libello *de Casibus Confessionis part.* 1. *cap.* 5. refert Historiam damnatæ puellæ *Anno* 1590. ob obstinatam ejus taciturnitatem enormis culpæ, quam nunquam in Confessione Sacramentali manifestare voluit Confessario; quam quidem Historiam describit etiam Martinus Delrius *Magic. Disquisit. libr.* 2. *quæst.* 26. *sect.* 5. *pag.* 202. qua nullam memoria dignioremlegisse testatur. Idem Vega *dict. part.* 1. *à cap.* 6. *usque ad cap.* 15. alia exempla adducit deperditarum animarum ob violatam Sacramentalis Exomologesis integritatem. Consimilia habentur apud Dauroultium *in Catechismo Historiali, part.* 3. *cap.* 5. *tit.* 38. *Exempl.* 9. *ac seqq.* nec non apud Mat-
6 thæolum *in Sylva Histor. part.* 2. *libr.* 7. *cap.* 1. *tit.* 19. ubi *Exempl. V.* narrat, ab Eremita quodam interrogatos tres Dæmones de eorum nomine, respondisse, quod unus vocabatur *Claudens corda,* alter *Claudens crumenas,* tertius *Claudens ora*; eò quia primus curabat, ne peccatores audientes concionem, compungerentur; secundus, ne habentes rem alienam, eam restituerent; ac tertius, ne confitentes peccata, ea integrè Confessario manifestarent; sic enim singuli ubique magnam ruinam causabant animarum. Paulus Segnerius *in Christiano instructo, part.* 3. *serm.* 12. *num.* 9. ex S. Antonino, allegat non dissimile exemplum Viduæ cujusdam, in carnis peccatum lapsæ; quæ ut pudori parceret, nunquam illud in Confessione voluit detegere, & quamvis vitam religiosam esset amplexa, multasque pœnalitates exerceret, restitit plurimis inspirationibus internis de confitenda illa culpa, cum qua obijt, & damnata fuit in infernum. Hunc deplorabilem finem fecit alius Monachus, truncatam Confessionem agens, de quo Hieronymus à Basilica Petri *in Ephemerid. Sacris Kal. Aprilis* in Vita S. Hugonis Abbatis; & passim alibi apud alios Auctores.

Quo ad Quartum. Ex Divina institutione per-
7 missum est in aliquibus casibus posse fieri Confessionem Sacramentalem absque integritate; quamvis enim de hac permissione non habeamus textum expressum in Scriptura Sacra; implicitè tamen censetur inesse, cùm ipse Salvator dixerit: *Jugum suum suave esse, & onus leve. Matth.* 11. 30. & tale non esset, si fideles tenerentur integrè confiteri concurrente impossibilitate vel physica, vel morali in sequentibus casibus; in quibus cùm habeamus assensum Ecclesiæ ex usu inveterato ejusdem, juxta testimonium omnium Doctorum, sequitur dicendum, in jisdem casibus dispensatum esse circa integritatem ex Divina institutione; 8
quia nullus potest variare materiam proximam Sacramenti Pœnitentiæ, in qua includitur oris confessio, ut doctè observat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 12. *num.* 143. & antea docuerat Canus *in Relect. de Pœnitent. part.* 6. quem allegat, & laudat Reginaldus *in Praxi d. lib.* 6. *sub num.* 151. Igitur

Primus Casus est; quando facta diligenti discussione conscientiæ per inculpabilem oblivionem omissum est aliquod peccatum; tunc enim valida est confessio, & peccatum illud remanet deletum, ac remissum unà cum aliis confessis; ut ait Concilium Trident. *in d. sess.* 14. *cap.* 5. in illis verbis: *Reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur*; cum obligatione tamen confitendi illud quamprimùm redierit in memoriam. Reginaldus *d. lib.* 6. *num.* 152. & Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp.* 12. *num.* 170.

Secundus Casus est ob physicam impotentiam, quando infirmus cœpit suam Confessionem, & oppressus syncope, letargo, vel alio accidenti, aut symptomate, amittit usum loquelæ, nec potest integrè sua peccata manifestare, tunc enim est absolvendus, & confessio censetur valida; prout etiam si antequam Sacerdos accederet ad 9
infirmum illum petentem, interiret facultas loquendi; ut ex *Concilio Cartaginen.* 4. *cap.* 76. demonstrat idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 12. *num.* 147. & docent Reginaldus *d. lib.* 6. *num.* 154. Tamburinus *de Exped. Conf. lib.* 2. *cap.* 10. §. 1. ac Gobatus *in Theolog. Experiment. tract.* 6. *num.* 455. & 456. ubi ex Tannero, & Graffio id admittit, non solùm ubi infirmus nullo prorsùs modo potest loqui, sed etiam quando non nisi summa cum difficultate, aut cruciatu valet cæterapeccata aperire; imò si redeat ad se, & vix uno, alteroque peccato expressò rursum obruitur symptomate, iterùm est absolvendus; & hoc toties quoties; quod ego practicavi primo mei Sacerdotii Anno, nocte diem Cinerum præcedente, in qua cùm accurrissem ad excipiendam exomologesim cujusdam viri, à larvata persona stylo ferreo in pectore plusquam triginta ictibus vulnerati, qui per plures annos peccata sua confessus non fuerat; cùm vix manifestasset ea contra unum ex Decalogi præceptis, in deliquium ibat, & animam agebat; ideoque ego ei absolutionem impendebam Sacramentalem; idque pluries feci illa nocte mihi semper memorabili, ob magnum mentis, & corporis laborem; quem tamen tanquam juvenis flocci faciebam, sciens, esse illud opus charitatis.

Tertius Casus est impotentia moralis, quæ talis esse dicitur, si immineat periculum mortis 10
vel pœnitentium, ut in proximo naufragio, aut incursu inimicorum; vel ipsius Confessarii, si majorem moram faciat in audienda Confessione, puta tempore pestis; tunc enim audito uno tantùm peccato, vel generali accusatione, potest Confessarius eos absolvere; ita tamen, ut si è periculo evaserint, teneantur retenta peccata manifestare. Reginaldus *d. lib.* 5. *num.* 155. Tamburin. *eod. lib.* 2. *cap.* 10. §. 1. *num.* 24. & Gobatus *d. tract.* 6. *num.* 457. & 463.

Quartus Casus est, quando pœnitens probabiliter timet grave damnum sui corporis, famæ, aut
11 animæ, si cum illo Confessario se accuset de aliquo peccato; cujus intuitu credat, eumdem Confessarium non esse servaturum sigillum Confessionis; vel remansurum cum mala opinione ejusdem pœnitentis, sivè si mulier sit, quæ patiatur tentationes carnales, timeat ex earum manifestatione cum tali Confessario, posse ab eo sollicitari, & prostitui. Ita ex Navarro *in Manual. cap.* 7. Reginaldus *d. libr.* 6. *num.* 156. Tamburin. *d. cap.* 10. §. 1. *num.* 20. Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Pœnit. disp.* 16. *sect.* 13. *num.* 534. & Gobatus *d. tract.* 6. *num.* 460. *& seqq.* Porrò in hujusmodi timore Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 12. *n.* 163. *&* 165. docet, ita esse distinguendum: vel Pœnitens est in articulo mortis, vel extra. Si extra periculum mortis, vel urgetur præcepto Confessionis faciendæ; & tunc deficiente alio Sacerdote, potest tacere peccatum, neque illud manifestare tenetur Confessario, à quo probabiliter timet aliquod ex supradictis detrimentis. At si ex sola devotione velit confiteri, tenetur totaliter abstinere à Confessione, cùm non possit integritatem ejus servare, donec inveniat alium Sacerdotem, cui absque metu omnia sua peccata manifestet; nisi tamen esset periculum scandali, omittendo Confessionem, ut si esset solitus communionem facere in tali die, & requireret præambulam Confessionem; vel pœnitens esset Sacerdos celebraturus, & causaret scandalum non celebrando; in hac enim hypothesi potest dimidiari confessio. Quòd si pœnitens sit in periculo mortis, & rationabiliter timeat infamiam sui ipsius, vel revelationem Confessionis, potest tacere illud peccatum; sed
12 magna est dubitatio, an teneatur de illo elicere actum contritionis, vel sufficiat attritio. Nam sufficere attritionem scribit Eminentiss. Card. de Lugo *disp.* 16. *de Pœnit. sect.* 13. *num.* 533. cui opinioni non posse acquiescere suum intellectum ingenuè fatetur Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp.* 12. *num.* 167. ideòque ei contradicit, demonstrans, necessarium esse actum contritionis in infirmo pro illo peccato, quod taceat metu gravis damni; ubi enim non est Sacramentalis Confessio, ibi non sufficit attritio; sed illud peccatum omissum non intrat in Confessione aliorum; Ergo pro eo necessaria est Contritio. Subindè in prædicto casu idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa duas illationes facit notatu dignas. Una est, quòd si ipse infirmus in articulo mortis posset habere simplicem Sacerdotem, teneretur ei confiteri illud peccatum, quia in eo articulo omnis Sacerdos potest absolvere; verùm deberet vocare eundem simplicem Sacerdotem tali, & tanta prudentia, ut nemini scandalum daret; quod facilè ageret, dicendo se velle consulere aliquid secretò cum ipso.
13 Altera illatio est, quòd si prædictus infirmus tacuisset peccatum ob metum gravis damni, & evaderet periculum mortis, adeptus sanitatem, teneretur, quamprimùm posset, confiteri illud peccatum occultum, ac relictum alii confessario; idemque esse obligatum facere, si ex dicto metu dimidiaret Confessionem in casu obligationis annuæ Confessionis, sive in casu necessitatis sumendi Eucharistiam in certa die ob scandalum; sive ob alium finem, propter quem liceat facere Confessionem non integram; & subdit *n.* 170. rationem his verbis: *Ratio est, quia integritas est de jure divino, excipiente casum necessitatis: prima ergo confessio caruit hac qualitate; cum ergo remaneat obligatio confitendi illud, non tantum quia omne peccatum est aperiendum, sed etiam quia supplendum est, quod Confessioni deficit, & illa partialis confessio integrat unam totalem cum prima.*

Quintus Casus est, quando pœnitens non potest manifestare suum peccatum, nisi etiam manifestet complicem illius peccati notum illi Confessa-
14 rio, à quo ipse complex grave detrimentum sit reportaturus, vel in fama, vel in corpore, vel in bonis; puta si sponsa carnaliter peccasset cum sponso, vel uxor contra naturam cum marito; & uterque esset cognitus confessario; Jus enim naturale jubet consulere famæ, ac vitæ alterius, sicut propriæ. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *ad* 4. Reginald. *d. lib.* 6. *n.* 156. Suarez *de Pœnit. disp.* 34. *sect.* 2. *n.* 1. Gobatus *d. tract.* 6. *n.* 468. *& seqq.* ac *tract.* 7. *n.* 242. *& seqq.* Emin. Card. de Lugo *d. disp* 16. *sect.* 7. *n.* 392. nec non Emin. Catd. de Lauræa *d. disp.* 12. *art.* 5. *à n.* 93. *& seqq.* Qui quidem eximii Doctores, ac passim omnes Moralistæ in hoc casu distinguunt tali pacto. Si grave detrimentum probabiliter timetur complici ex ejus manifestatione; & pœnitens non potest confiteri peccatum suum, nisi indicet complicem; tenetur tacere, ac dimidiare Confessionem, quam de præcepto, vel ex necessitate ad evitandum scandalum debet facere; nisi possit reperire alium confessarium, qui complicem non cognoscat. At si leve detrimentum futurum sit complici, ex ejus manifestatione, puta quando Confessarius est prudens; tunc illa sola diminutio famæ complicis apud Confessarium non est sufficiens causa dimidiandæ Confessionis; & potest complex manifestari, si ita necesse sit, ad integritatem Confessionis. Tambur. *d. libr.* 2. *cap.* 9. §. 2. *& cap.* 10. §. 1. *n.* 29. Porrò observabile est monitum P. Laymani *libr.* 5. *tract.* 6. *cap.* 8. *n.* 13. ad Confessarios, ut prohibeant pœnitentibus nominare complicem, ubi sine tali nominatione possunt integrè confiteri; quod potissimùm occurrit in mulierculis, quæ absque ulla necessitate, nisi corrigantur, nominant personam, cum qua carnalia crimina commiserunt. Ex hoc infertur, eò minùs licere Confessario obligare pœnitentem, ut sibi extra Confessionem revelet complicem, ut cum eo correctionem fraternam faciat; nam hoc modo reddit Confessionem odiosam, ut probat Gobatus *d. tract.* 7. *à n.* 248. *& seqq.* ubi hujusmodi casum examinat.

Sextus Casus (& quidem difficilis apud antiquos Theologos, ob eorum varias opiniones) est, quando quis confitetur, & habet peccata non re- 15
servata; ac simul peccata reservata; dicebant enim DD. vetusti, quòd si confessio fiebat coram Superiore, poterat hic audire tantùm reservata, & absolvere pœnitentem ab eis, remittendo illum ad Confessarium inferiorem pro Confessione, & absolutione à non reservatis. E contra si pœnitens accedebat primùm ad Confessarium inferiorem non habentem facultatem absolveodi à reservatis, poterat audire non reservata, & absolvere; remittendo pœnitentem ad Superiorem pro reservatis. Ita Navarrus *de Pœnitentia dist.* 5. *cap. Confider.* §. *Cautus. n.* 12. & 13. Sotus *dist.* 18. *q.* 2. *art* 5. Cajetanus *Verb. Confessio condit.* 10. Sà *Verb. Absolutio n.* 24. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 11. *punct.* 1. S. Antoninus 3. *p. tit.* 14. *cap.* 16. §. 6. & alii allegati à Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 5. §. 3. *num.* 1. *& num.* 5. & sic in utroque casu concede-

tedebant, fieri posse Confessionem validam absque integritate; quamvis postea jidem Auctores, & alii coætanei discordarent circa modum, quia alii dicebant, quòd inferior tenebatur audire etiam reservata, etsi ab eis non posset absolvere; prout etiam quòd Superior antequam absolveret à reservatis, debebat sentire pœnitentem super non reservatis; alii hæc negabant, & alii alia, ut refert Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. disp.* 12. *art.* 8. *num.* 173.

Hodie casus iste facilis factus est, & resolvitur, rejectis antiquorum opinionibus, sub hac distin-
16 ctione, Extra grave periculum vitæ, famæ, vel scandali, nullus inferior potest absolvere à non reservatis, remittendo pœnitentem ad Superiorem pro reservatis; nec ullus Superior potest absolvere à reservatis, nisi audiat, & absolvat etiam à non reservatis, & sic neutro modo licita est dimidiatio Confessionis; & in utroque integritas Confessionis est servanda. Bonacina *d.* §. 3. *num.* 1. *&* *n.* 5. ubi plurimos DD. neotericos ita sentientes cumulat. Tamburinus *De expedita Confess. lib.* 2. *cap.* 10. §. 1. *num.* 26. *&* 27. ubi ita loquitur: *In hisce eventibus, vel Superior audiat omnia, & absolvat: vel audiens reservata extra Confessionem tollat reservationem, seu mittat ad inferiorem, cui conferat facultatem absolvendi à reservatis. Si verò sit inferior, ne absolvat; sed mittat pœnitentem ad Superiorem, vel ipse adeat; impetretque potestatem, & dum demum rite absolvat.* Idem docet, & confirmat Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Pœnit. disp.* 19. *art.* 12. *n.* 381. *& seqq.* ubi *n.* 391. addit. quòd *Romæ cum aditur Superior ob absolutionem à reservatis, vel omnia peccata pœnitentis audit, & absolvit, vel delegat facultatem.* Et ita ego semper servavi in hoc Episcopatu Patavino, per annos triginta, & ultra; in quo sanctæ memoriæ Eminentissimi, ac Reverendissimi D. D. Cardinalis Barbadici Episcopi fungebar Auditoris, ac deindè Vicarii Generalis munere, cum facultate approbandi Confessarios omnes, jisque concedendi licentiam absolvendi à reservatis; vel ipsos pœnitentes cum reservatis ad me accedentes liberandi.

Porrò ubi grave periculum emergat vitæ, famæ, vel scandali ipsius Pœnitentis, qui non pos-
17 sit tunc accedere ad Superiorem pro reservatis potest inferior eum à non reservatis absolvere, & ad Communionem admittere; remittendo eum, quamprimùm poterit, ad Superiorem pro reservatis. Ita Suarez *de Pœnit. disp.* 31. *sect.* 2. Reginaldus *lib.* 8. *num.* 85. Bonacina *d. disp.* 5. *q.* 7. *p.* 5. §. 3. *num.* 5. *Vers. Dixi in propositione, præcisa necessitate.* Gobatus *tract.* 7. *num.* 378. *& seqq.* novissimè Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 19. *num.* 397. Qui omnes in tali casu extendunt inferioris facultatem, quamvis habens reservata peccata irretitus esset etiam excommunicatione reservata Superiori per text. *in cap. Ea noscitur. De Sent. Excommun.* & hoc exprefsè probat idem Emin. Card. de Lauræa *ead. disp.* 19. *num.* 419.

Cæterùm his dictis obstare videtur Concilium
18 Trid. *sess.* 14. *de Casuum reservatione cap.* 7. ubi ait: quòd *extra mortis articulum Sacerdotes nihil possunt in casibus reservatis.* Ulteriùs restitit Decretum Sacræ Congregationis *diei* 9. *Januarii* 1601. jussu Clementis VIII. promulgatum, quòd legitur apud Lauretum de Franchis *De Controvers. inter Episcop. ac Regul. part.* 1. *num.* 1458. in quo adeò precisè ablata est omnibus inferioribus facultas absolvendi à reservatis, ut *nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo,* ea uti valeant.

Respondent DD. non violari Decretum Concilii, vel Clementis VIII. in casu gravis periculi supraconsiderati, quia in eo inferior non absolvit directè à reservatis, vel à censura; itaut pœnitens non teneatur ampliùs se præsentare Superiori pro absolutione; sed indirectè tantùm, cum obligatione se præsentandi Superiori, sicut quando absolutus remanet à reservatis oblitis qui confessus est non reservata. Concilium enim, & Decretum Clementinum loquuntur de absolutione directa, & absoluta auferente obligationem comparendi coram Superiore. Ita Bonacina *d.* §. 3. *sub n.* 6. *Vers. Respondeo,* & Pasqualigus *in Addit. ad d.* Laurent. de Franchis *d. part.* 1. *num.* 1468. *in fine.* At Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 19. *art.* 12. *à num.* 402. *& seqq.* respondet, quòd periculum vitæ, aut famæ, aut scandali pœnitentis non concedit inferiori Confessario potestatem eum absolvendi à reservatis, sed tantummodò, ut licitè, & validè possit eum absolvere à non reservatis; & quòd legitima sit absolutio, quamvis dimidiata; prout legitima est Confessio dimidiata, & sine integritate ob idem periculum, ut demonstratum est supra in casu quarto. Ideò remanet obligatus pœnitens, quamprimùm possit, accedere ad Superiorem pro absolutione à reservatis, & interim à Deo delentur peccata reservata, non per absolutionem, quam dat inferior ipsi pœnitenti, sed per actum contritionis, quem ipse pœnitens facit in actu Confessionis coram inferiore, dum se accusat de non reservatis, ac de reservatis; ad quem actum eliciendum Confessarius debet pœnitentem excitare, ut plenè infundatur gratia, etsi dimidietur absolutio. Ita Eminentiss. Card. de Lauræa *de Pœnit. disp.* 12. *num.* 184. quod quidem in praxi est valdè observandum. Petenti autem quantum 19
debeat esse periculum vitæ, famæ, vel scandali, ut pœnitens habens reservata, vel censuras, possit ab inferiori absolvi à non reservatis? Respondet prædicta Eminentia *in disp.* 19. *n.* 401. quòd debet esse tale, quale requiritur ad dispensandum in integritate Confessionis, ut pœnitens possit tacere aliquod mortale; videlicet non quid leve, sed notabilis præjudicii, & gravis damni; etsi hæc gravitas non sit strictè accipienda, sed cum honesta latitudine, quia agitur de favore animarum. Pasqualigus *d. part.* 1. *num.* 1454. *in fine.*

Septimus Casus erat, posse dimidiari Confessionem, & non servari integritatem ejus in die alicujus magnæ solemnitatis, aut indulgentiæ, in quo sit multa messis pœnitentium, operarii autem pauci; itaut si audiuntur integræ Confessiones omnium pœnitentium impossibile sit, omnes concurrentes confiteri, & ideò ne multi discedant desolati, & absque Confessione, ac Communione, licere, auditis duobus, vel tribus peccatis, eos absolvere, & sic dimidiare Confessionem. Ita Marchantius *in Tribun. tom.* 1. *tract.* 2. *tit.* 7. *qu.* 2. & Gobat. *d. tract.* 6. *num.* 479. Dixi, quòd hic casus erat; siquidem hodie non est; cùm talis opinio sit damnata ab Innocentio Papa XI. *die* 2. *Martii* 1679. *Propos.* 59. & jure quidem, nam divinum præceptum de integritate in Confessione servanda præponderare debet devotioni privatæ cu-

cujuscunque, non habentis obligationem præcisam ea die confitendi, ac communicandi; quòd si accedant in die magni concursus pœnitentes, facturi longas Confessiones, debet Confessarius eos licentiare, ad tempusque magis commodum remittere; ne injuria irrogetur Sacramento, ut bene advertit Cardenas *Crisi Theolog. Dissert.* 38. *cap.* 1. *&* 2. qui subinde *cap.* 3. ait, damnatam propositionem comprehendere etiam asserentes, posse dimidiari Confessionem, ubi timor sit, quòd pœnitens non ampliùs redeat, vel quòd ab aliis notetur, si non communicet; his enim respectibus non obstantibus, integritas est in Confessione servanda; quod notent Parochi, aliique Confessarii, in magnis festivitatibus Confessiones confluentium populorum excipientes.

DECISIO XXIV.

ARGUMENTUM.

Agitur de necessaria numerica specificatione culparum. Præmittitur artis Arithmeticæ, ac numerorum origo, usus, & utilitas; ac eorumdem à primo usque ad Decimum laudes, atque excellentiæ? tum Sacris, tum Profanis eruditionibus; quas inter habetur Regula cognoscendi Anni Bisextilis, & Aurei Numeri reperiendi. Traditur, quando opus sit exprimere numerum certum malorum actuum tàm internorum, quàm externorum, & quando sufficiat incertum cum particula *Circiter*, *Plus*, *Minusve*? Meretrices, ac habituati peccatores quomodo confiteantur? Concluditur peccata dubia semper esse confitenda.

SUMMARIUM.

1 *Arithmetica undè dicta?*
2 *Numeri Etymologia, & quis Artis numerandi Auctor?*
3 *Numerorum liber cur sic à Moyse vocatus?*
4 *Arithmeticæ necessitas, ac utilitas.*
5 *Numeri definitio. Et qui numeri Græcorum, & Hebræorum?*
6 *Anni Bisextilis cognoscendi Regula.*
7 *Numerorum genera quatuor.*
8 *Numeri primi excellentia, & aliorum usque ad Decimum.*
9 *Octavarum in Officio Divino quatuor differentiæ.*
10 *Aureus numerus quid sit? Quomodo reperietur?*
11 *Numerus omnium peccatorum in Confessione explicandus.*
12 *Interni actus mali quomodo sint plura numero peccata?*
13 *Actiones peccaminosæ completæ in se sunt plura numero peccata, etsi connexa, & ex eadem voluntate peccati.*
14 *Actiones malæ, etsi plures, quando sint unum tantùm numero peccatum?*
15 *Confessarius in peccato, audiens plurium Confessiones, plura committit peccata.*
16 Circiter, plùsve minùs, *quando suppleant verum numerum culparum?*
17 *Arbitrium boni viri quomodo regulandum circa clausulam* Circiter.
18 *Dubiæ peccata an confitenda?*

PRima itaque conditio integræ Confessionis Sacramentalis est, ut omnia peccata manifestentur per pœnitentem quò ad eorum numerum. 1
Ad ornatum hujus conditionis ne pigeat Lectorem observare sequentes eruditiones circa numerum, artemque numericam; quam Philosophi Arithmeticam appellant; eò quia numerus à Græcis *Arithmos* vocatur, ut ait Tholosanus *in Syntaxi artis mirab. lib.* 15. *cap.* 1. Numerus secundùm aliquos trahit etymologiam à *nummis*, cùm enim pecunia 2
numeretur, ab illis, autumant, numerum esse sortitum nomen, ut notat P. Hieronymus Vitalius Clericus Regularis in suo eruditissimo, ac recentissimo *Lexico Mathemat. Verb. Numerus. num.* 27. Sed hoc non placet Hottomano *De Re Numaria cap.* 6. quem citat Vossius *in Etymol. Ling. Lat. Verb. Numeri*; siquidem antequam reperiretur pecunia numerata, & commercia rerum fierent per æs, & libram, ac pecunia daretur ad pondus; reperti erant numeri, & ars numerandi, cujus inventricem facit Minervam Titus Livius *lib.* 7. alii Palamedem, alii Deam Nummiam, ut refert Serra in tractatu *de Synonymis V. Numerus.* At hi omnes falluntur; nam Deus ipse artis numerandi fuit Auctor, qui creavit omnia *in Mensura, & Numero, & Pondere. Sap.* 11. 21. ut homines discerent justitiam commutativam, quæ præcipuè consistit in tribus, in mensurando, in numerando, & in ponderando; deditque facultatem numerandi solis hominibus, teste Aristotele *Problem. sect.* 30. *qu.* 5. & hæc habuit originem à principio Mundi, ubi Deus cœpit numerare dies ab uno usque ad septimum, dum *Complevit Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat. Genes.* 2. 2. Hinc etiam Moyses quartum librum Pentateuchi, quem scripsit, vocavit *librum Numerorum*, eò quia in illo incipit à 3
numeratione populi; & prosequitur numerare primogenitos, ac Levitas, nec non mansiones Hebræorum in deserto, ut observat Cornelius à Lapide *in Proœm. ejusd. libri.* Igitur Numerorum inventio est antiquissima, & eorum usus pervetustus.

Ars numerandi necessaria est ad omnes scientias, & artes; ac omnibus personis, etiam rusticis, adeòut qui nesciunt scribere numeros, numerent 4
super digitis, ut scribit Chassanæus *in Catalogo Glor. Mundi part.* 10. *consid.* 49. idcircò Poetæ numerant pedes, ac syllabas in carminibus; Musici notas; Mathematici observant numeros in Geometria, & in Algebra; Astronomi in suis calculis stellarum; ac Medici in morbis curandis, attendentes diem quartam, septimam, ac quartam decimam, quod luculenter narrat idem P. Vitalius *in d. Lexico Mathemat. V. Algebra. & V. Numerus*; nec non Castellus *in Lexico Medico cod. Verb. Numerus:* Et nos diximus in Decisionibus *de Sacrificio Missæ Decis.* 39. *num.* 29. ubi dies *Criticos*, ad *Decretorios* declaravimus. Definitur autem Numerus, ut sit *Quantitas collecta ex unitatibus.* Serra 5
de Synonym. d. V. Numerus. Sivè quod sit *Collectio unitatum.* d. Vitalius *V. Numerus.* seu *Multitudo ex unitatibus numerantibus aggregata.* Tholos. *in Synt. d. lib.* 15. *cap.* 1. ubi advertit variam fuisse formam numerorum apud antiquos

secun-

secundùm varietatem temporum, ac regionum; alii enim pro numeris faciebant notas, seu cifras, ut Arabes, & Ægyptii; alii utebantur calculis, ac lapillis, ut Thraces, ac Scithæ; alii litteris Alphabeti, nempè Græci, ac Hebræi, qui etiam nunc hoc observant, scribentes pro uno, *Alpha*, *Aleph*, pro duobus, *Vita*, *Beth*, pro tribus *Gamma*, *Gimel*; & sic de cæteris, ut videre est apud Grethserum *in Grammat. Ling. Græc.* & apud Eminent. Cardin. Bellarminum *in Institut. Linguæ Hebraicæ part.* 1. *cap.* 1. nec non apud eundem Tholosanum *d. part.* 15. *cap.* 2. ubi exemplificat utraque Alphabeta usque ad unum millionem. Hunc morem etiam Romani adhibebant, scribendi litteras pro numeris; quos postea receperunt, retentis paucis characteribus, qui adhuc sunt in usu, nempè V. pro quinque. X. pro decem. L. pro quinquaginta. C. pro centum. D. pro quingentis. M. pro mille, ut ostendit Calepinus, & alii Onomastici ad easdem Litteras Alphabeti.

Dividitur Numerus in parem, ac in imparem. Par numerus ille est, cujus partes divisæ remanent æquales; ut ex octo bis quatuor; ex quatuor bis duo; ex duobus bis unum; sunt enim semper pares. E contra ex undecim quinque cum dimidio, ex quinque duo cum dimidio, & sic de cæteris. Hic autem discat Lector regu-
6 lam ad cognoscendum, an Annus sit Bisextilis; talis enim erit, si illum dividendo, ac subdividendo, numeri remaneant pares; non erit Bisextilis, si vel prima divisio, vel secunda det numeros impares. E. g. Annus centesimus habet pro medietate quinquaginta, & sic numerum parem. Quinquaginta subdivisa dat bis vigintiquinque numeros pares. Ergo est Bisextilis. Anni nonagesimi noni medietas est 49. cum dimidio; ergo impar numerus, ergo non Bisextilis. Anni nonagesimi octavi medietas est 49. subdivisio 49. est 24. cum dimidio. Ergo numerus impar. Ergo non Bisextilis, & sic de cæteris.

Omnes autem numeri rediguntur sub quatuor generibus; primum genus est *Monadicorum*, &
7 continet numeros ab uno usque ad decem; & hoc est mirabile in hac arte numerandi, quòd solis numeris decem exprimamus summas multiplices, ac penè infinitas quantitates. Secundum genus est *Decadicorum*, deducens numeros à decem usque ad centum. Tertium genus est *Centedicorum*, incipiens à centum, producens eos usque ad mille Quartum genus est *Milledicorum*, quod extendit numeros, ac numerationem usque in infinitum. Ita Chassanæus *part.* 12. *consid.* 37. & Tholosan. *in Syntaxi d. lib.* 15. *cap.* 3. subdens, quòd his quatuor generibus numerorum utimur ad summandum, ad subtrahendum, ad multiplicandum, & ad partiendum, seu dividendum; quæ sunt quatuor partes artis numericæ, quas omnis computista scire debet, & quas pueri docentur in scholis à magistris, & ego quoque didici, cùm essem Septennis.

Omnes autem numeri à primo usque ad decem habent propriam quandam excellentiam, & dignitatem, quæ breviter est hic exponenda, antequam ad materiam Pœnitentiæ accedamus, & de peccatorum numero integrè manifestando differamus.

Primus numerus, qui *Unus* vocatur, præfulget ob excellentiam *Unitatis*; quæ non solùm proficit corporibus, in quibus unitas humorum habetur, sed etiam Familiis, Universitatibus, ac Rebus publicis; in quibus viget unitas animorum; ut latè ratiocinatur Cicero *lib.* 2. *Officior.* At singulariter eminet Numerus *Unus*, quia denotat Dei Altissimi *Unitatem*; irrefragabilem Essentiæ prærogativam, de qua ipse Deus est testatus, *Exod.* 20. 3. *Non habebis Deos alienos coram me*, & Moyses *Deuter.* 6. 4. *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est.* Et Apostolus Paulus ad *Ephes.* 4. 5. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus, & Pater omnium, qui est super omnes.* De qua Dei unitate plurimas rationes reddit S. Thomas *in Summa contra Gentiles libr.* 1. *cap.* 42. probans, quòd Deus est Unus.

Secundus numerus laudabilis, & commendatione dignus reputatur, quia continet paritatem, faciens *duo*; & ita demonstrat excellentiam humanæ societatis, quæ in duobus significatur. Hinc, creato Protoplaste, ait Deus: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi*, *Genes.* 2. 18. & fecit Evam sociam illi. Laudes autem *dualitatis*, idest societatis humanæ, exaltantur ab Ecclesiaste his verbis: *Melius est, duos esse simul, quàm unum; habent enim emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur, &c. Eccl.* 4. 9. Et confert illud Hebræorum adagium; *Unus Vir, nullus Vir.* Hinc ob commoditatem humanæ Societatis reperta sunt commercia, negotiationes ac contractus inter gentes, ut demonstrat Scaccia *De Commerciis.* §. 1. *quæst.* 1. *à num.* 39.

Tertii Numeri non unica est laus; sed illa præcipua, quòd *Omne trinum est perfectum*, quia ternarius numerus habet principium, medium, & finem, ut demonstrat Aristot. *lib.* 1. *de Cœlo cap.* 1. *text.* 2. *num.* 4. & ibi P. Maurus *in Comment.* allegans dictum Pythagoræ; *totum, & omnia consistere in tribus.* Quare laudes ternarii Numeri prosequitur Chassanæus *in Catalogo Glor. Mund. part.* 12. *consid.* 17. dicens, quòd ideò tria sunt præcepta juris, Honestè vivere, alterum non lædere; jus suum cuique tribuere. Tres vitæ species: Activa, Contemplativa, ac Media. Tres modi principandi, Monarchicus, Aristocraticus, & Democraticus. Tres Psalmi, & tres Lectiones in tribus nocturnis Horarum Canonicarum. Tres actus Divini cultus, Adoratio, Sacrificium, & Hymni, & alia plura similia; quibus addi potest, quod de Jure debent Matres lactare filios per triennium. *l. Nec filium. C. de Patria potest.* Narbona *de Ætate Ann.* 3. *quæst.* 2. *num.* 6. Sed cæteris superius *Numeri Ternarii* elogium est, esse indicem Sanctissimæ Trinitatis, & Trium Divinarum Personarum; de quibus David *Psal.* 66. 8. *Benedicat nos Deus. DEUS noster, benedicat nos Deus.* Cujus altissimi Mysterii veritatem nos docuit Salvator, dum ait Apostolis: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Matth.* 28. 19. Et ejusdem dilectus Discipulus Joannes scribens: *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo; Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi Tres unum sunt.* 1. *Joan.* 5. 7. Sed neque obruendum os Mathematicis circa laudes Ternarii Numeri, dum commendant Triangularem figuram; de qua P. Vitalius *in d. Lexic. Mathemat. Verb. Triangulus*, dicit: *Ea inter omnes figuras Geometricas princeps est; cardo, ac terminus, à quo omnes profluunt, mensurantur, pendent, & in quem ultimò resolvuntur*; quod prose-

quitur Clavius *in Geometria pract. lib. 6. Propoſit. 6. & ſeqq.*

Quaternus numerus deſumit gloriam ſuam ab uſu, quem de illo habent Aſtronomi, ac Geometræ in Quadrangulis, quos adhibent in menſurando toto Cœlo, & figuras ejus; Zodiacum, planetas, ac ſtellas, ut oſtendit idem Lexicon Mathematicum *Verb. Quadrangulus, & Verb. Quadrans*; & eandem auget *Ars Quadrataria*, quæ in conſtrandis, architectandiſque nobilioribus pavimentis incumbit, ea lapidibus quadris ſic ordinando, ut præclaram aliquam ſpeciem, non minùs oculis uſurpandam, quàm æquo pede terendam aſtantibus præbeant. Gloriatur itaque hic numerus, quòd quatuor ſunt elementa, quatuor humores corporis, quatuor anni Tempora, quatuor virtutes Cardinales, quatuor mundi partes, quatuor Noviſſima, & aliis omiſſis, quia nobiliſſima Matheſis ſcientia conſiſtit in quatuor diſciplinis, quæ per antonomaſiam *Quadrivium* appellantur, & ſunt Geometria, Arithmetica, Muſica, atque Aſtronomia; ut diſſerunt Auctores, quorum dicta referuntur in prælaudato *Chronico Mathemat. Verb. Quadrivium.*

Quinto numero non deſunt encomia; inter quæ illud, quòd die quinto *Creavit Deus Cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundùm genus ſuum. Geneſ. 1. 21.* Et dicuntur *Cete grandia*, quia cùm ſuper aquas dorſum efferunt, ingentis Inſulæ ſpeciem exhibent ex S. Baſilio, & Theodoreto, quos citat Cornelius à Lapide *ibid.* Plura, eaque mirabilia de Cetibus, aliiſque magnis piſcibus refert Schottus *in Phyſica Curioſa libr. 10. cap. 10.* & illud potiſſimùm, quòd ex Cetorum oſſibus integræ domus eriguntur ad habitandum. Sed magna eſt laus Quinarii numeri, quod homines portent eum in manibus, in quibus à Deo conſtituti ſunt quinque digiti ad operandum, & innuunt quinque principales virtutes. Nam primus digitus, qui groſſior eſt, & *Pollex* vocatur, eò quod inter cæteros virtute plus polleat, ſignificat juſtitiam, quæ inter alias virtutes morales plus pollet *ex Ariſt. 2. Ethic.* Secundus digitus, qui dicitur *Index*, quia per ipſum res indicamus, pertinet ad prudentiam. Tertius, qui eſt *Medius*, denotat Temperantiam. Quartus vocatus *Annularis*, quia in eo deferimus annulum, innuit fortitudinem. Et Quintus, qui appellatur *Auricularis*, eò quod cum eo ſcalpimus aures, importat obedientiam. Ita Joan. à S. Geminiano *de Rer. Similitud. lib. 6. cap. 48.*

Senarium numerum exaltat Gloſſa *in Prœmio libr. 6. Decretalium in Verb. Perfectus*, ubi ait, numerum *Sextum* eſſe perfectum, ut *35. quæſt. 4. cap. Unic.* ſex enim ætatibus mundi generatio, & hominis ſtatus finitur, ut ibi. Prima enim ætas in homine eſt infantia, quæ durat uſque ad ſeptimum annum. Secunda, Pueritia uſque ad XII. vel XIV. annos. Tertia, Adoleſcentia uſque ad XXV. Quarta Juventus, vel virilis ætas uſque ad L. Quinta Senectus usque ad LXX. Sexta ab inde, & dicitur Senium aliarum ætatum terminus. *C. de Sacroſanct. Eccleſ. l. Ut inter divinum.* Sic ſex ſunt generationes mundi; quarum prima ab Adam uſque ad Noe. Secunda uſque ad Abraham. Tertia usque ad David. Quarta uſque ad tranſmigrationem Babylonis. Quinta usque ad adventum Chriſti. Sexta usque ad finem ſæculi. Hucusque Gloſſa ſupradicta, quæ proſequitur laudare Numerum Senarium; ſubdens, quòd ipſe ſolus eſt numerus perfectus; nam ſex numeri faciunt ſex. Ter duo faciunt ſex. Bis tria faciunt ſex, & ſic conſtat in omnibus ſuis partibus eum continere perfectionem.

Septenarius Numerus, & ipſe profiteretur eſſe perfectus, ut ait Gloſſa *in Summ. de Pœnitent. diſt. 1. in fin.* Ideò Gratianus diviſit tractatum de Pœnitentia in ſeptem diſtinctiones. Septem ſunt Horæ Canonicæ *cap. Presbyter. 91. diſt.* Septem Dona Spiritus Sancti. Septem petitiones Orationis Dominicalis. Septem Pſalmi Pœnitentiales. Septem Diaconi electi ab Apoſtolis. Septem dies hebdomadæ. Septem Planetæ; & Septentriones duæ, id eſt Urſa major, & Urſa minor, utraque conſtans ſtellis ſeptem propè polum Mundi Arcticum. Vitalius *in d. Chronici Mathemat. Verb. Septentriones.* Hunc Numerum commendant etiam Medici obſervantes, quòd partus Septimeſtres, ideſt pueri, qui ſeptimo menſe naſcuntur, vitam habent. Narbona *de Ætate Anno prim. quæſt. 6. num. 30.* notans ibi, quòd Iſaac fuit primus, qui egreſſus eſt de utero Saræ menſe ſeptimo.

Octavus Numerus reperit in ſacris paginis ſuas laudes, nam in Arca Noe octo Animæ ſalvæ factæ ſunt à Diluvio. *1. Petr. 3. 10.* Chriſtus Circumciſus eſt octava die. Octo dies duravit Templi Salomonici dedicatio, & in Eccleſia feſtivitates Solemniores celebrantur cum Octava. Occaſione autem Octavarum lectorem non lateat, quòd Octavæ, quæ in Officio Divino celebrantur per annum, ſunt in quadruplici gradu. Octavæ primi gradus ſunt illæ Paſchatis Reſurrectionis Domini, ac Pentecoſtes, & in his non fit de aliquo Sancto neque Titulari, neque Patrono, neque de Dedicatione Eccleſiæ. Octava ſecundi gradus eſt illa Epiphaniæ, in qua fit tantùm de Patrono, vel Titulari, & de Dedicatione Eccleſiæ, præterquam in die Octava ipſius Epiphaniæ. Octava tertii gradus eſt illa Corporis, & hæc admittit tantùm feſta duplicia occurrentia, non autem translata, niſi eſſent altioris ordinis; & ideò ſemiduplicia tranſferuntur. Octavæ quarti gradus ſunt illæ Natalis Domini, Aſcenſionis, & aliorum Sanctorum eas habentium, & hæ admittunt non ſolùm feſta duplicia, ſed etiam ſemiduplicia, cadentia infra octavam; nec non duplicia translata, non autem translata ſemiduplicia. Ideò feſtum S. Leonis Papæ, *die 28. Junii*, ſi cadat in Dominica, transfertur poſt octavam Apoſtolorum. Verùm tamen eſt, quòd ſi Feſtum ſemiduplex veniat in Dominica infra octavam, vel in die Aſcenſionis Domini, & dies ſequens non ſit impedita, niſi ob officium octavæ, fit de ipſo Sancto in dicta die ſequenti cum commemoratione de Octava. Ita Gavantus *in Rubric. Breviar. ſect. 3. cap. 8. num. 2. & 3.*

Nonus Numerus contentus eſt duabus prærogativis. Una, quòd in eo ſit collocatum primum Mobile; ſcilicet Nona Sphæra immediatè exiſtens ſupra Firmamentum, quæ ab ortu ad occaſum ſuo concitatiſſimo motu rapit Sphæras inferiores, ut ex obſervatione Hipparci, ac Tholomæi notat Paſſeronius *in Sphæra artificiali, ac naturali lib. 2. cap. 1.* Altera prærogativa Noni Numeri eſt, quòd ipſe deſervit ad parturiendos humanos fœtus in hanc lucem, dum Mulieres ex regula ordinaria parturiunt filios menſe Nono; quapropter tàm Medici, quàm Juris profeſſores affirmant

partu,

partus Novimestres esse inter cæteros magis naturales, vitales, legitimos, atque perfectos, ut scribit Narbona *de Ætate d. Anno primo quæst. 6. num. 56.* quamvis *num. 59.* nonnullos allegat contendentes, quòd decimestres nati sint perfectiores.

Decimus tandem Numerus in se, ac ex se non videtur aliam laudem mereri, quàm humilitatis, est enim 0; sivè, ut vulgò dicitur *Zero*, qui per se ipsum nihil valet; at per additionem uniuscujusque alterius numeri superat cæteros in summa, & denotat decades aut minores, aut majores juxta numerum additum, à quo decadis nomen recipit, nempè addito 1. facit decem. Addito 2. viginti, & sic de cæteris usque ad 99.

Igitur, quia 0 per additionem 1. facit decem; gloriatur hic numerus in spiritualibus, quia decem sunt præcepta Decalogi; in humanis autem, nam ab eodem numero Dignitates nomen hauriunt, nempè Decani, ac Decuriones; illi sunt, qui inter Canonicos principatum tenent, prout in Lusitania, Hispania, ac Gallia, ubi in Cathedralibus Decanatus est prima Dignitas post Pontificalem. Barbosa *de Canonic. cap. 6. num. 3.* Isti sunt, qui olim inter milites præerant decem Viris, Tholosan. *in Syntagm. Jur. part. 2. lib. 15. cap. 21. num. 13.* Lexicon Mathematicum *Verb. Decani, ac Verb. Decuriones*, subdens, quòd tales etiam dicuntur ab Astronomis Planetæ, singulis decem partibus Signorum præsidentes.

Et quoniam diximus Denarium Numerum componi per additionem primi numeri ipsi 0, seu *Zero*; ne tædeat studiosum, ut hanc digressionem numerariam claudat *Numerus Aureus*, qui reperitur per additionem primi numeri numeris currentis anni. *Aureus Numerus*, de quo in Rubricis Breviarii, ita dicitur, quia Athenis numerus occurrens in quolibet anno Aureis litteris scribebatur; & circulum lunare XIX. annorum significat, & inservit ad inveniendam Epactam anni currentis. Magrius *in Hierolexic. Verb. Aureus numerus.* Ad sciendum autem quolibet anno Aureum Numerum, fit additio unius numeri ad Annos Christi currentes; & hi omnes dividuntur per 19. & id, quod indivisibile remanet, est Numerus Aureus. Sit exemplum hoc anno 1701. scribatur 1702. Hæc summa divisa per 19. remanet indivisibile 11. Ergo Numerus Aureus hujus anni 1701. est numerus 11.; Si verò peracta divisione, nil residui remanet, tunc in illo anno Aureus Numerus erit 19. Cur autem addenda sit Unitas ad numerum annorum currentium; ratio est, quia in Anno Nativitatis Christi Aureus Numerus erat 1. Magrius *ubi supra.*

His ita constitutis ad Numerorum materiæ ornamentum, ad integritatem Confessionis transeamus, quæ numericam manifestationem omnium peccatorum requirit, ut docent omnes Theologi, ac Moralistæ, & habetur expressum in Concilio Tridentino *sess. 14. de Pœnitent. cap. 5.* in illis verbis: *Constat enim Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem illos in pœnis injugendis servare potuisse; si in genere duntaxat, & non potiùs in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Porrò quanto certius est, quòd oportet manifestare in confessione numerum peccatorum, eò difficilius videtur determinare ipsum numerum in pœnitentibus, qui per multos annos alieni steterunt ab hoc Sacramento, & in cœno plurimarum iniquitatum, ac turpitudinum soliti fuerunt, tanquam sues in luto, se frequenter involvere. Ideò ad faciliorem intelligentiam hujus conditionis de numero explicando, omnes casus ad tria genera sunt reducendi; videlicet ad intentionem habitam ante peccatum; ad actionem habitam in peccato, & ad expressionem post peccatum.

Primum genus comprehendit intentionem peccandi, quam quis habuit, antequam actualiter deveniret ad peccatum; undè dubitant Doctores, & disputant, quando ex hac intentione, & proposito peccandi multiplicetur numerus peccatorum explicandus in confessione. Sit exemplum. Titius odio habet Cajum, & determinat in corde suo illum ferire, & vindictam in eum exercere. Antequam ad actum percussionis deveniat, reflectit pluries ad hanc suam determinationem; & ipsam ratificat. Quæritur, an tot peccata numero distincta committat, quot sunt reflexiones ad prædictam determinationem, itaut teneatur eundem numerum in confessione explicare? Simili modo Cajus concupiscit alienam mulierem, decernit rem carnalem cum ea habere, reflectit ad invenienda media, quibus possit hoc carnale desiderium adimplere. Pluries in animo suo repetit hanc voluntatem, hoc studium, hanc intentionem. Quæritur, an multiplicet peccata numero distincta; itaut numericè, dum confitetur, ea sit obligatus manifestare? Pariter Mevius resolvit furari bovem vicino suo, & in hac voluntate furandi perseverat pluribus diebus, donec habeat opportunitatem surripiendi bovem, quem tandem surripuit; quot peccata commisit, ex continuatione illius voluntatis, numero distincta? In his, ac consimilibus casibus discordes sunt Moralistæ, alii enim volunt, unum tantùm numero esse peccatum, itaut satis sit confitenti dicere, desideravi; ac decrevi vindictam facere; mulierem alienam habere; bovem surripere. Alii verò distinguunt, vel dicta prava voluntas peccandi nunquam fuit intermissa, aut interrupta; & tunc peccatum unum numero censetur; & satis est genericè de prædicta voluntate se accusare. Vel intermissa, ac interrupta fuit, vel per applicationem seriam ad alia negotia, vel per detestationem, & retractationem illius mali desiderii vindictæ, adulterii, furti, & similium; sed deindè fuit reassumpta ac volita; in hoc casu tot erunt peccata numero distincta, quot vicibus renovata fuit voluntas peccandi, & hic numerus est necessariò explicandus in Confessione. Ita Suarez *de Pœnitent. disp. 22. sect. 5.* Gobatus *in Theolog. Experim. tract. 6. casu XVI. à num. 397. & seqq. usque ad num. 411.* Tamburin. *de Exped. Conf. libr. 2. cap. 1. §. 8.* & Eminent. Cardin. de Lugo *eod. tract. de Pœnitent. disp. 16. sect. 14. §. 3. per totum*; ubi bene advertit, quòd nisi magna fuerit interruptio voluntatis circa prædicta desideria peccandi, absque scrupulo reputari potest unum numero peccatum; & satis est, quòd pœnitens se accuset, quanto tempore duravit in illo proposito peccandi; & idem sufficit explicare, quando etiam interfuissent plures interruptiones; quarum numerum pœnitens colligere non posset; tunc enim satis est exprimere tempus, quo continuatum est in illo proposito peccandi.

Secundum genus continet, quomodo multiplicentur numero peccata in ipsa actione peccandi, quando actio ipsa peccaminosa est multiplex, extensionem habens in modo, & in tempore peccandi? In

hoc genere multa multa dicunt, sed resolutio omnium casuum reducitur ad hanc Regulam,
13 videlicet: Quando actiones peccaminosæ physicè plures sunt, totales, ac completæ; nec earum una ex se ordinatur ad aliam; tunc tot sunt peccata numero distincta, quot sunt ipsæ actiones. Adeò ut intentio exercendi eas omnes actiones intra certum tempus non sufficiat ad efficiendum, ut prædictæ plures actiones sint moraliter una. E contra, ubi actiones plures peccaminosæ pendent una ab altera; neque dicuntur completæ, aut quid perfectum, nisi in earum ultima; in tali casu censentur moraliter una; & unum tantùm numero peccatum constituunt; de quibus unico, ut ita dicam, verbo sufficit in Confessione se accusare. Regulam hanc exemplis declaro. Mevius ivit dormitum cum meretrice, animo in illa nocte eam carnaliter cognoscendi quanto magis potuerit. Bis copulam habuit cum illa ante somnum. Iterùm bis, postquam dormivit. Hic commisit quatuor numero peccata, quia una quæque copula fuit in se completa actio, independens ab aliis. Diana Coordinatus *tom.* 1. *tract.* 7. *resol.* 165. §. 16. in veteri *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 67. ubi quòd non sufficit, si Mevius in Confessione dicat, tota nocte fui in lecto cum meretrice; feci, quod potui cum illa. Tamburin. *d. lib.* 2. *cap.* 1. §. 8. *num.* 56. Idem docet Gobatus *d. tract.* 6. *à num.* 393. *& seqq.* Eminentiss. Card. de Lugo *d. disp.* 16. *num.* 557. Qui omnes advertunt, verba, oscula, tactus impudici ea nocte habiti à Mevio cum eadem Meretrice tàm ante, quàm post copulas, non esse peccata numero distincta, neque singillatim manifestanda; quia sunt vel initium, vel complementum illarum turpitudinum; & sic quid moraliter unum cum illis, ut tenet etiam Navarrus *in Manuel. cap.* 6. *num.* 17. Præcedenti Casui conveniunt hi, quos recenset idem Gobatus *d. tract.* 6. *num.* 404. his verbis: *Qui tres homines unum post alterum vulnerat, aut tres fœminas, unam post alteram turpiter cognoscit, aut duobus furatur uni post alterum, admittit plura numero distincta peccata secundùm probabiliorem opinionem Lugonis, & aliorum contra Zanardum.* Igitur de iisdem peccatis est numerica manifestatio facienda.

At è contra qui pluribus juramentis continuis confirmat rem falsam; vel in eadem iracundia
14 pluries blasphemat; vel quis incipit detrahere Petro, & continuato sermone, occasione novæ interrogationis, rursus detrahit eidem in alia materia, vel Sacerdos præbet centum hominibus sub una Communione Sacram Hostiam existens in peccato mortali; aut Cajus octo, vel decem verbis contumeliosis uno impetu prolatis virum bonum inurit; vel eum pugno afficit, animo abstinendi ab ulteriori percussione, sed quia percussus ostendit adhuc contemptum, ipsum reiterato bis, ter, quater pugnis percussit; sivè Titius ingressus domum nocte, eam totam expilat, auferendo ex ea primùm pannos lineos, deinde stanna, subindè res argenteas: Hi omnes unum tantùm numero peccatum committunt; quia unaquæque ex prædictis actionibus non est completa in primo actu peccaminoso, sed cum actus sequentes producantur immediatè à primis, censentur moraliter actus unus, & sic unum numero peccatum. Gobatus *d. tract.* 6. *à n.* 403. *& seqq.* & Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp.* 16. *à n.* 559. *& sequentibus*; qui cum Diana *part.* 5. *tract.* 7. *resol.* 7. *n.* 4. repolita in Coordinato *tom.* 4. *tract.* 6. *resol.* 126. & cum Tamburino *de Exped. Confess. d. libr.* 2. *cap.* 1. *num.* 55. concedunt, unum numero peccatum tantummodò committere Confessarium lethalibus onustum, plurium pœnitentium Confessiones excipientem sine interruptione; reputantes actionem illam audiendi Confessiones esse moraliter unam; quæ tamen opinio mihi non placet; quia tot Sacramenta 15
facit Confessarius, quot pœnitentes audit, & absoluit; idcircò cùm indignè administret Sacramentum, tot ei irrogat injurias, quot vicibus illud complet; & per consequens tot peccata numero distincta committit, quot pœnitentes absolvit; & hunc numerum tenetur ipse in propria Confessione explicare; ut bene notat Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *num.* 7.

Tertium genus concernit expressionem numericam faciendam à pœnitentibus in Confessione de suis peccatis; & an sufficiat, exprimere eorum numerum incertum cum clausula *plus, minusvè*; seu cum dictione *Circiter*? Circa quam methodum con- 16
fitendi observandæ sunt tres conclusiones sequentes.

Prima est: quando Pœnitens in suæ discussione conscientiæ reperit certum, ad determinatum numerum peccatorum, quæ commisit, tenetur manifestare illam certam numericam quantitatem; & abstinere ab eis particulis, *plus, minusvè, aut Circiter*; siquidem cum sint disjunctivæ, faciunt incertitudinem, & reddunt sensum dubium; ideòque certus de commisso majore numero mortalium, illum confitetur minorem cum particula *Circiter*, & fit reus culpæ gravis, ut differit Gobatus *d. tract.* 6. *n.* 417. *&* 418. & Emin. Card. de Lugo *d. disp.* 16. *n.* 79.

Secunda Conclusio. Qui facto examine conscientiæ non potest specificum numerum peccatorum agnoscere, & illum confitetur sub incertitudine cum clausulis *plus, minusvè, aut Circiter*; si postea reperiat verum numerum excedere nimis quantitatem jam expressam, puta vel in medietate, vel in tertia, aut in quarta parte; ut si dixisset, feciste pollutiones 40. circiter; deindè cognoscat, eas fuisse 60. vel 54. vel 50. tenetur redire ad Confessarium, eumque de incertitudine jam dicta, & de excessu jam reperto certum facere, Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 4. *n.* 82. Reginald. *lib.* 6. *n.* 206. Sylvest. *Verb. Confess.* 1. *n.* 12. Emin. Card. Toletus *lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 2. Tambur. *de Exped. Confess. lib.* 2. *c.* 1. §. 4. *n.* 22. *&* 23. & Gobatus *num.* 422. *eod. tract.* 6.

Tertia Conclusio. Si confessus est pœnitens (præmisso debito examine, & non reperto certo specifico numero peccatorum) numerum incertum cum particulis *plus, minusvè, aut Circiter*; si deindè reperiat veritatem numeri parùm excedentis, non tenetur ampliùs adire Confessarium pro manifestatione illius excessus. Quantus autem esse debeat excessus, ut dicatur parvus, & deobliget ad repetendam Confessionem? communis est opi- 17
nio Moralistarum, ut relinquatur arbitrio boni viri, regulando à longitudine temporis non factæ Confessionis; & à multitudine culparum cum dictione *Circiter* manifestatarum. Siquidem, ubi quis à multo tempore non fuit confessus, ei indulgeri possunt duo, vel tria peccata ob clausulam *Circiter, plus, minusvè*: si verus numerus non excedat *duodecim*, & ad summum *viginti*. At si à modico tempore non sit confessus, puta ab octiduo, vel à mense, minùs est indulgendum, quia præsumitur posse reperire verum numerum, si se diligenter examinet; quem si non reperiat, videtur non

bene

bene se examinasse. Eodem modo, si quis magnam sarcinam culparum ad pedes Confessarii deponat, e. g. Octoginta, nonaginta, vel centum ejusdem speciei, cum clausula *plus, vel minus*, aut *Circiter*, deinde comperiat, eas crescere quinquies, vel decies tantùm; tunc non est obligatus illud argumentum numeri confiteri, ut docet Navarrus *in cap. Consideret. num. 42. de Pœnitent. dist. 5.* Diana Coordinatus *tom. 1. tract. 3. resol. 189.* Tamburinus *d. lib. 2. cap. 1. §. 4. num. 23.* & Gobatus *à num. 421. & seqq.* firmantes, quod illa verba *Circiter, plus minusve* intelligenda sunt humano, & morali modo loquendi; quo attento parum augent, aut diminuunt, & illud parum consideratur respectu magnitudinis, vel parvitatis veri numeri. Eminentiss. Cardin. de Lugo. *d. disp. 16. num. 97.*

Corollarii loco pro Confessionibus peccatorum habitualium, qui accedunt ad pedes Sacerdotis, notandum circa numericam manifestationem culparum; quòd 1. Meretrices satis exprimunt, si dicant tempus sui mali status, species principales suarum turpitudinum, quas memoria retinet, qualitatem personarum, quibus copiam sui corporis fecerunt, an præter solutos, fuerint conjugati, vel voto castitatis obstricti; & saltem in confuso quoties vel in die, vel in hebdomada solitæ fuerint peccare. 2. Fures Usurarii, & alii prædones satis exprimunt, si dicunt frequentiam furtorum, vel injusti lucri; quantitatem eorumdem; ac tempus, quo talem artem exercuerunt. 3. Qui concupiscunt quascunque fœminas obvias habent, & qui loquuntur frequenter de rebus turpibus, cum non possint colligere numerum specificum harum culparum, satis est, si exponant consuetudinem, tempus, & species principales circa personas, quas concupiverunt. 4. Qui Concubinam tenuit domi per plures annos, non est opus, ut narret quot vicibus cum ea copulam habuerit; sed satis est, si se accuset, eam tanquam uxorem tenuisse, ut frequentiam carnalis copulæ manifestet, ut si semel in die in hebdomada, vel aliter solitus fuerit eam carnaliter cognoscere. Et hi omnes censentur sufficienter indicare numerum suorum peccatorum, adeò ut quamvis postea in eorum memoriam veniat major dicti numeri certitudo, non teneantur novam homologesim facere; ut passim tradunt DD. quos allegat, & sequitur Tamburinus *d. lib. 2. cap. 1. §. 7. per totum*; Gobatus *d. tract. 6. num. 399. & num. 400.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp. 16. num. 574. cum seqq.* Quibus addo Collegium Salmanticense *in Cursu Theol. Mor. tom. 1. tract. 6. cap. 8. num. 3.*

Ultimò circa peccata dubia non est ignorandum,
18 quòd quando quis dubitat, an commiserit peccatum mortale, nec ne? vel an fuerit mortale, vel veniale? vel an fuerit aliàs confessus, vel non? Et habet rationes dubitandi pro utraque parte; etsi plures DD. dicant, non teneri ad Confessionem illius dubii peccati; securior, ac probabilior opinio est, ut omnino confiteatur; quia negotium æternæ salutis non est in dubio relinquendum. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœnit. Sacr. disp. 12. art. 4. per tot.* & notant DD. citati per Tamburinum *d. lib. 2. cap. 1. §. 3. num. 15.* præcipuè, si pœnitens sic dubitans esset in articulo mortis. Bonacina *d. tom. 1. de Pœnit. Sacram. disp. 5. qu. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. difficult. 4.* Suarez. *tom. 4. de Pœnit. disp. 22. sect. 9.* Sanchez. *in Decal. lib. 1. cap. 10. num. 66. & 67.* Diana Coordinatus *tom. 1. tract. 3. resol. 131. resol. 132. resol. 133. & resol. 134.* Novissimè ac copiosissimè Cardenas *in Crisi Theologica tract. 6. disp. 46. per totam*; in qua impugnat Caramuelem contrarium suadentem, & ejus argumenta in Crisi posita examinat, ac reprobat *à num. 18. usque ad num. 205.* & subinde *à num. 206. & seqq.* refert DD. ac rationes, quibus concludit; non posse negari obligationem confitendi peccata mortalia dubia; quam conclusionem pluribus corroborat usque *ad num. 303.* & eandem tenet P. Thyrsus Gonzalez Præpositus Generalis Societatis JESU in suo eruditissimo Tractatu *Fundamentum Theolog. Moral.* seu *De Recto Usu opinionum Probabilium Dissert. 11. c. 2.* & ante eum Collegium Salmanticen. *De Sacramentis in genere tract. 6. cap. 8. punct. 3. per totum.*

DECISIO XXV.

ARGUMENTUM.

Circumstantiarum peccati definitione, ac multiplici divisione proposita, firmatur Regula inconcussa; quod circumstantiæ mutandes speciem sunt de necessitate confitentæ. Deindè examinantur celebris, ac famosa Quæstio, Utrum Circumstantiæ notabiliter aggravantes sint de necessitate in Confessione aperiendæ. Utriusque opinionis, affirmativæ ac negativæ, argumenta proponuntur, & enervantur. Tandem in quinque Notandis colliguntur quinque genera Circumstantiarum aggravantium, quarum prima quatuor sunt de necessitate manifestanda, non autem quintum, prout in exemplis ibidem clarè, ac doctè allegatis.

SUMMARIUM.

1 *Circumstantia quid sit?*
2 *Circumstantiarum multiplex divisio.*
3 *Circumstantiæ mutantes speciem quæ sint?*
4 *Circumstantiæ aggravantes tantùm quæ?*
5 *Circumstantiæ aliæ aggravant in infinitum, aliæ non. Exempla earundem.*
6 *Circumstantiæ mutantes speciem in Confessione manifestandæ; ac illæ, quæ aggravant in infinitum.*
7 *Circumstantiæ notabiliter aggravantes, an sint confitendæ? Rationes pro affirmativa num. 8. Pro negativa num. 9. Confutatio argumentorum opinionis affirmativæ num. 10.*
11 *Incestus in primo gradu est specificè confitendus, & cur?*
12 *Carnes comedere in die jejunii est duplex numero peccatum.*
13 *Circumstantiarum aggravantium non confitendarum fundamenta eversa, ac resoluta.*
14 *Circumstantiæ minuentes sunt fatendæ. Exempla.*
15 *S. Thomas circa Circumstantias aggravantes confitendas declaratur.*
16 *Opiniones contrariæ de Circumstantiis aggravantibus confitendis ad concordiam reductæ.*
17 *Circumstantias aggravantes esse fatendas opinio tutior.*
18 *Opinionem Tutiorem posse relinqui in Sacramentis, est propositio damnata ab Innocentio XI.*

19 *Circumstantiæ, quæ aggravant in infinitum, semper confitendæ. Et quæ tales sint?*

20 *Contemptus formalis aut Legis, aut Superioris, semper est culpa mortalis.*

21 *Pœnitens tenetur cum veritate respondere Confessario eum interrogantis circa circumstantias peccati. Opinio contraria damnata.*

22 *Circumstantiæ leviter aggravantes omitti possunt in Confessione.*

SEcunda conditio necessaria ad integritatem Confessionis Sacramentalis est, ut in ea explicentur Circumstantiæ peccati, quare de his in præsenti est agendum, & videbimus:

Primò: Quid sit Circumstantia?

Secundò: Quotuplex?

Tertiò: An præter obligationem explicandi in Confessione circumstantias mutantes speciem peccati, necessarium sit confiteri etiam aggravantes?

Quo ad Primum. Circumstantia, ut nominis etymon indicat; nil aliud est, nisi aliquid rem in loco existentem extrinsecus attingens, aut ei propè stans; 1 prout sunt vestes ad corpus, aut Icones positæ ad tabulas, seu telas pictas; & quale erat labium, & corona interrasilis, quam jusserat Deus Moysi, ut apponeret Mensæ panem propositionis, cum dixisset: *Facies & mensam de lignis Setim. Facieque illi labium aureum per circuitum; & ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis. Exod.* 25. 23. circumstabant etiam dictum labium, ac corona eidem mensæ per omne latus; sicque eam attingebant, & erant circumstantiæ ipsius Mensæ. Itaque Theologi per quandam similitudinem circumstantias humanorum actuum vocant illa, quæ ad actus ipsos ita pertinent, ut essentiam minimè ingrediantur, sed eis ita adhæreant, ut causent aliquam novam formam; ut ratiocinatur Reginaldus *in Praxi lib.* 14. *num.* 7. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Sacram. Pœnitent. disp.* 11. *art.* 4. *num.* 35. ubi circumstantias appellat formas quasdam, seu qualitates non constituentes primò actum humanum, sed stantes circa eum, tanquam comitantes illum, & earundem hanc tradit definitionem. *Circumstantia est id, per quod actus humanus non primò constituitur, sed quasi advenit constituto.* Et reddit hanc rationem dicens: *Eò quod sine ea actus humanus adhuc est in genere moris.* Et dat Exemplum de actu odii, qui sit intensus v. g. ut quatuor, vel ut octo? vel concipiatur in tali tempore, vel in tali loco; hæc enim omnia sunt circumstantiæ, quia non primò constituunt actum; sed sunt extra eum & ipsum comitantur.

Quo ad Secundum. Plures dantur divisiones 2 Circumstantiarum. *Prima* est, quòd aliæ circumstantiæ sunt naturales, seu Physicæ; aliæ sunt Morales. Illæ dicuntur naturales, seu Physicæ, quæ nihil conferunt vel ad rectitudinem, vel ad deformitatem actus, etsi illum comitentur; neque per ipsas augetur, aut minuitur sivè bonitas, sivè malitia ejusdem actus. Exempli gratia: Si homicidium sit commissum manu dextera, vel manu sinistra. Aut sit patratum ante, sivè post meridiem. Divinatio si sit facta per ignem, aut per aquam; & his similia quæ quidem circumstantiæ naturales non attenduntur in Confessione Sacramentali, quia earum intuitu ipse actus neque magis, neque minùs fit consentaneus, vel dissentaneus à recta ratione. Reginald. *d. lib.* 14. *num.* 8. Collegium Salmanticen. *De Sacramentis in genere tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 4. Morales circumstantiæ sunt, quæ conferunt aliquid ipsi actui; & per illas augetur, seu minuitur bonitas, vel malitia ipsius actus; veluti si homicidium commissum sit in loco Sacro, vel in persona proprii Patris, aut Sacerdotis; tunc enim, ultra actum peccaminosum occisionis, concurrit deformitas Sacrilegii contra loci, & personæ Sacræ reverentiam; ac etiam parricidii contra pietatem debitam proprio parenti. Reginald. *d. num.* 8. & Collegium Salmanticen. *d. num.* 4. advertentes has circumstantias morales esse illas, quæ sunt explicandæ in Sacramentali Confessione; & quas Confessarius considerare debet, quia ejus munus est judicare de moribus, & consequenter de peccatis, quatenus sunt distincta in genere moris, non in genere naturæ. *Secunda* divisio circumstantiarum est, quod aliæ dicuntur intrinsecæ; aliæ extrinsecæ. Illæ sunt intrinsecæ, quæ sunt affines ipsi actui; ut ejus duratio, vel intensio; Extrinsecæ sunt, quæ versantur extra entitatem actus, & se tenent, vel ex parte objecti, vel operantis, vel loci, vel temporis, vel personarum adstantium, vel offensi; & hæ omnes sunt circumstantiæ morales, quæ augent, vel minuunt malitiam actus, ut infra videbimus. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 11. *numer.* 35. *in fine*, *Tertia* tandem Magistralis, ac principalis divisio Circumstantiarum est, quod Aliæ sunt mutantes speciem; Aliæ non mutantes, sed aggravantes tantum in eadem specie.

In primis igitur, Illæ dicuntur Circumstantiæ 3 mutantes speciem, quæ faciunt, quod peccatum sit vel contra diversa præcepta, vel contra diversas virtutes. Exempli gratia. Furtum rei sacræ est contra septimum præceptum de non furando; & contra præceptum reverentiæ debitæ rebus sacris. Ergo illa circumstantia rei sacræ, quam fur surripuit, est circumstantia mutans Speciem, quia duo præcepta offendit, & causat non solum speciem furti, sed etiam speciem Sacrilegii. Occidens partem in Ecclesia violat tria præcepta, quartum, quintum, & illud Religionis erga locum Sacrum, & sic committit tria peccata specie distincta. Reginald. *lib.* 6. *num.* 139. *& lib.* 14. *num.* 99. Incestus cum Matre est circumstantia mutans speciem, quia est peccatum contra duo præcepta; contra sextum, *Non mœchaberis*; & contra quartum, *Honora parentes*; siquidem per hanc incestuosam copulam Mater inhonoratur. Furtum facere ad tentandam puellæ pudicitiam, est circumstantia mutans speciem, quia offenduntur duæ virtutes; justitia, per ablationem rei alienæ; & castitas, per illum pravum finem tentandi pudicitiam illius puellæ. Idem Reginaldus *d. lib.* 14. *num.* 18. Mastrius *in* 4. *Sent. disp.* 5. *n.* 479. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 11. *num.* 37. Item furari ad finem occidendi; consulere Magos ad adulterandum, quia percutiunt duo præcepta, sunt duæ circumstantiæ mutantes speciem. Tamburin. *de Expedit. Confess. libr.* 2. *cap.* 1. §. 10. *num.* 66. & inferius *num.* 108. ubi addit hoc aliud exemplum; qui habet copulam cum muliere conjugata, consanguinea, & per vim, producit in hoc scelere quatuor species diversas, nempè fornicationem, adulterium, incestum, & stuprum. Item comedere carnes in Quadragesima est circumstantia mutans speciem, quia prævaricatur duo præcepta; Unum de non comedendo carnem dicto tempore; aliud de jejunio servando. Mastrius *d. disp.* 5. *n.* 485. *in fine.* Hæc autem omnia, ac similia mutant speciem, non solùm quando actu explentur, sed etiam dum solo desiderio committuntur, Volpi *resol.* 26. *n.* 19. *ubi DD.*

Circum-

Circumstantiæ aggravantes, sed non mutantes
4 speciem, illæ sunt, quæ non offendunt nisi unam virtutem, vel unum præceptum, etsi augeant malitiam peccati; exempli causa, si quis occidat inimicum pluribus vulneribus. Qui furtum fecit surripiendo quinquaginta, vel centum. Qui reus est de crimine pessimo, an illud cum mare, vel cum fœmina commiserit? in his enim omnibus non multiplicatur species peccati; etsi ejus malitia intra eandem speciem aggravetur.

Porrò hæ circumstantiæ aggravantes subdividun-
5 tur, ut aliæ aggravent, vel minuant *in infinitum*; aliæ aggravent, vel minuant *notabiliter* tantùm. Primæ sunt, quæ de veniali faciunt mortale; vel de mortali faciunt veniale, aut auferunt omnem malitiam actui. Sit exemplum. Surripuisti, acum Sutori pauperi qui non habet alium, quo victum sibi, ac familiæ suæ paret. Dixisti mendacium jocosum, sed cum juramēto, vel ad finem fornicandi. Circumstantiæ in his exemplis aggravant *in infinitum*, quia peccatum de sui natura veniale ob levitatem materiæ transit in mortale ob circumstantias prædictas. Mastrius *d. disp. 5. num.* 479. Volpi *Resolut. Moral. Verb. Circumstantiæ Resol.* 26. *num.* 1. *& num.* 16. E contra, commisit quis homicidium ad propriæ vitæ defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ: Mulier honesta non audivit Missam die festo ob timorem alicujus violentiæ contra honestatem in via; seu ob defectum vestimentorum juxta suam conditionem. In his exemplis circumstantiæ minuunt *in infinitum*; & destruunt malitiam peccati mortalis. Volpi *ubi proximè Resol.* 25. *num.* 13. *& Resol.* 134. *num.* 12. *& num.* 29. Prout etiam admisit quis cogitationem de fornicatione, sed absque plena deliberatione, hæc circumstantia minuit in infinitum, quia peccatum remanet veniale. Mastrius *d. disp. 5. n.* 479. *in fine*. Circumstantiæ *notabiliter* aggravantes sunt, quando earum intuitu malitia peccati mortalis remanet mortalis, etsi parùm, vel plus crescat, aut decrescat; ut si fornicatus fueris cum pulcherrima muliere ad ejus suggestionem. Si percussisti inimicum, à quo gravem injuriam acceperas. Si calore iracundiæ blasphemasti; si mulier fame compulsa sui corporis copiam fecit: In his casibus minuitur aliquantum malitia peccati; sed remanet mortale. Item si quis in die jejunii pluries comederit. Vel incestum in tertio, vel secundo gradu commiserit: Vel oscula, & tactus plurimos habuerit ante, vel post illicitam copulam, & aliis consimilibus, de quibus exemplificat Diana Coordinatus *tom.* 1. *tract.* 7. *resol.* 163. & Gobatus *d. tract.* 6. *num.* 368. & 363. crescit quidem notabiliter malitia peccati, sed non egreditur illam unicam speciem peccati. Reginaldus *d. lib.* 14. *à num.* 15. *& seqq.*

Quo ad Tertium. Nemo est, qui dubitet manifestandas esse in Confessione circumstantias pec-
6 cati mutantes speciem juxta *tex. in cap. Aut facta* 19. *de Pœnitent. dist.* 1. *in cap. Consideret.* 1. *eod. tract. dist.* 5. *in cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss. in cap. sicut il primo. de homicidio*, & in Concilio Tridentino. *sess.* 14. *cap.* 5. *de Sacram. Pœnitentiæ* in illis verbis: *Colligitur præterea, etiam eas Circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant.* Subdens rationem: *Quod sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur; nec Judicibus innotescant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitenti imponere.* Quam rationem latiùs declarat Mastrius *in cit. disp.* 5. *de Pœnitentia Sacram. num.* 477. Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 41. *à num.* 38. *& seqq.* Volpi *d. Resol.* 26. *num.* 17. & Collegium Salmanticen. *d. tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 4. Ac ex eadem ratione deducitur, quod etiam circumstantiæ in infinitum aggravantes, vel minuentes sunt in Confessione exprimendæ, quia eis non expressis Confessarius non posset cognoscere, an peccatum fuerit mortale, vel veniale; vel etiam an actus sit immunis à quacunque malitia peccati, ut in exemplis, quæ dedimus supra *num.* 5. ? & hoc notat Mastrius *d. disp. n.* 5. *sub. n.* 479. *Vers. Ob eandem rationem.* Et idem Collegium Salmant. *d. cap.* 8. *num.* 10.

De Circumstantiis autem in eadem specie, & 7
intra eundem gradum peccati mortalis *notabiliter* aggravantibus magna est Theologorum inter se altercatio, *An sint manifestandæ in confessione?* Siquidem affirmant Alensis, Suarez, Nugnus, Sanchez, Hentiquez, Canus, Ledesma, & alii plurimi, quos citant Mastrius *d disp.* 5. *num.* 480. Collegium Salmanticen. *d. tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 16. & Diana Coordinatus *tom.* 1. *tract.* 7. *resol.* 165. deducta ex Veteri in *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 67. E contra autem negant S. Thomas, *D.* Bonaventura, Albertus Magnus, Durandus, Valentia, Bonacina, ipse Diana, cum aliis multis *ubi supra* per eum allegatis, quibus adhærent ipse Mastrius *d. num.* 480. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 11. *art.* 5. per totum; & ante illum Emin. Cardin. de Lugo *de Sacram. Pœnit. disp. Unic. punct.* 9. & alii recentiti 8
per Collegium Salmanticen. *ubi supra num.* 23. Rationes, & argumenta præcipua affirmantium sunt sequentia.

Primò Supradicti Canones *in cap. Aut facta. De Pœnit. dist.* 1. *& cap. Consideret. dist.* in quibus disseritur de circumstantiis in Confessione explicandis, inter quas plurimæ referuntur, quæ sunt tantùm aggravantes, non autem mutantes speciem.

Secundò: Quia Concilium Trident. *in cit. sess.* 14. *cap.* 5. eam postulat confessionis integritatem, qua Confessarius propè noverit causam, ut æquas injungat pœnitentias. Sed sine circumstantiis aggravantibus, talis causæ, & facti cognitio haberi non potest. Ergo hæ quoque sunt explicandæ.

Tertiò: Idem videtur expressè statutum in *cap. Omnis utriusque sexus.* 12. *de Pœnit. & Remiss.* ubi sic dicitur: *Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut more periti Medici superfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati; quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium; & cujusmodi remedium adhibere.* Sed, sub silentio retentis circumstantiis notabiliter aggravantibus, hæc adimpleri non possunt. Ergo

Quartò. Quia de facto sunt aliqua peccata, quarum circumstantiæ, etsi tantummodò aggravantes, & non mutantes speciem, sunt omnino explicandæ ex concordi doctrina omnium Theologorum. Ut incestus in primo gradu. Occisio plurium uno, & eodem actu. Infamatio proximi, vel falsum crimen inurendo; vel verum, sed occultum propalando. Fractio jejunii aut per comestionem catnis, vel piscium. Cajetanus *in* 2. 2. *qu.* 154. *art.* 9. Mastrius *d. disp.* 5. *num.* 485. Diana Coordinatus, Doctores sic docentes allegans *tom.* 1. *tract.* 7. *resolut.* 163. ex Veteri *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 56.

Quintò. Cum duplex sit modus peccandi; unus ordinarius, & communis; alter extraordinarius, &

cum

cum peculiari deformitate in illo genere; si pœnitens non manifestet circumstantiam ejusdem peculiaris deformitatis, Confessarius eam scire non potest, neque divinare; & ideò neque rectè judicare. Ergo.

Sextò. Aliquando peccatum propter intensionem voluntatis, vel extensionem operis æquivalet duobus vel pluribus peccatis ejusdem generis. Nam qui per horam continuat voluntatem occidendi, vel furandi, æque peccat, ac ille, qui, in illa hora ter, vel quater occideret, vel furaretur. At qui plura homicidia committit, vel furta, tenetur ea omnia manifestare, ut Confessio sit integra. Ergo idem dicendum de circumstantia intensionis voluntatis, vel operis extensionis.

Septimò: probatur ex Rituali Romano, approbato à Paulo V. in quo, in Rubrica *de Sacr. Pœnit. Versic. Si pœnitens*; ita præcipitur: *Si pœnitens numerum, & species, & circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.* Per hæc verba Summus Pontifex censetur intelligere circumstantias aggravantes, non autem mutantes speciem, quia de eis primum locutus est, ac de numero peccatorum. Ergo circumstantiæ notabiliter aggravantes sunt exprimendæ.

Octavò. Confessarius potest interrogare Pœnitentem de circumstantiis aggravantibus tantùm, ut ibi ait Rituale Romanum, & concedunt omnes scribentes; & pœnitens tenetur respondere veritatem, quia non licet ei in Confessione mentiri. Ergo tenetur etiam sponte eas manifestare; quia in foro pœnitentiali id agit pœnitens per spontaneam Confessionem, quod in foro fori facit Judex per suas interrogationes. Mastrius *d. disp. 5. num.* 488.

Ultimù probatur hæc opinio affirmativa ab absurdis, quæ ex contraria sequerentur: nempè quod Ecclesia non posset reservare casus ratione circumstantiarum aggravantium, neque eos afficere censuris: & nihilominus contrarium servatur in praxi; & sæpè Ecclesia reservat casus, & imponit censuras ob solas circumstantias aggravantes; prout est, si Clericus comam nutriat; si habitet cum mulieribus suspectis; & individualiter in hoc Episcopatu Patavino, tempore Eminentissimi ac Reverendissimi DD. Gregorii Cardinalis Barbadici Pastoris vigilantissimi, casus reservatus cum censura suspensionis ipso facto publicatus fuit contra Clericos tenentes famulas non quadragenarias, & sine licentia; celebrantes Missam absque Veste talari; accedentes ad comœdias in publico theatro, ac mercaturam, seu Laicorum negotia exercentes; ut quilibet legere potest in libro *Epistolar. Pastoral.* ejusdem Eminentissimi, ac Reverendissimi Præsulis, *Edicto XIX. XX. XXVIII. & LXIX.* Et ex his, aliisque rationibus, & argumentis, quæ ad prolixitatem evitandam omitto, DD. supracitati docent, defendunt, ac tuentur affirmativam opinionem, volentem, circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem peccati esse de necessitate fatendas in Sacramentali Confessione.

Qui negant hanc necessitatem & concedunt prædictas circumstantias posse taceri, utuntur sequentibus motivis, ac fundamentis.

9 Primò: quia non est imponenda tam onerosa obligatio, ubi non constat de lege, seu præcepto eam imponente; siquidem lex non obligat, nisi sit promulgata; imò in dubio legis latæ lex non obligat; nam interpretatio fit contra eum, qui jus clarum dicere potuit, & non dixit. Mastrius *d. disp. 5. num.* 481. Sed de tali lege, vel præcepto non constat. Ergo talis obligatio confitendi circumstantias aggravantes non est fidelibus imponenda.

Secundò: Quod de uno conceditur, de alio denegatur. Glossa *in cap. nonne. 5. Verb. tacendo in fin. De Præsumpt.* Barbosa *Axiom.* 196. *num.* 20. Sed Tridentinum Concilium *d. sess. 14. cap. 5.* definiendo necessitatem manifestandi circumstantias in Confessione, loquitur de mutantibus speciem, & tacet de aggravantibus. Ergo dicendum est, has non esse necessariò manifestandas, nam si aliter esset, etiam de his Concilium locutum fuisset.

Tertiò. In doctrinalibus, sivè dogmaticis limitatio doctrinæ, & restrictio ad unam partem excludit aliam. Mastrius *eod. num.* 481. ubi exemplificat de Sacramento Eucharistiæ, in quo, cùm ejus materia determinata sit panis triticeus, eo ipso excluditur quicunque panis ex alio grano confectus. Sed Concilium Tridentinum, *ubi supra*, declarando in quibus consistat integritas Confessionis, se restrinxit, ad manifestandum numerum peccatorum, & ad circumstantias mutantes speciem peccati. Ergo censetur exclusisse eo ipso illas, quæ tantummodo aggravant.

Quartæ: Sacramentum Pœnitentiæ institutum est ad remissionem peccatorum, quæ in Confessione cum dolore, & proposito emendandi manifestantur, nisi quod habet rationem peccati. Sed ratio peccati non importat nisi speciem, & numerum. Igitur hæc sola sunt explicanda.

Quintò; Illa malitia peccati est confitenda, quæ auget peccatum vel specificè, vel numericè. Sed circumstantiæ aggravantes intra eandem speciem non augent peccatum specificè, nec numericè. Ergo non sunt confitendæ.

Sexto: Si esset necessitas exprimendi circumstantias aggravantes in eadem specie, esset etiam necessitas confitendi alleviantes. Sed consequens non est dicendum; quia tunc confessio non esset sui ipsius peccatoris accusatio, sed excusatio; quam omnes confessarii proscribunt, ut cùm pœnitentes dicunt, blasphemavi, quia agitatus ab impatientia; me inebriavi provocatus à sodalibus; me pollui, aut rem alienam surripui, tentatus à dæmone. Ergo neque antecedens est dicendum.

Septimò: si esset talis necessitas exprimendi circumstantias aggravantes, oporteret ex necessitate exprimere durationem voluntatis peccandi, intensionem, & alia media, seu industrias adhibitas pro majori delectatione in peccando, e. g. qui copulam carnalem habuit cum muliere; an eam fecerit stando, vel prostratus, aut aliis modis, qui satis difficiles sunt narratu, ac parum decentes, & non sunt in usu apud prudentes Confessarios. Ergo dicendum, non extare prædictam necessitatem, Reginald. *d. libr. 6. numer.* 134.

Octavò: Nam, ut ait Emin. Cardin. de Lugo *de Sacram. Pœnitent. disp. 16. sub num.* 113. Christus Dominus solùm præcepit necessario confessionem peccatorum. Sed qui explicat eorum species & numerum, verè, & propriè confitetur sua peccata, Ergo nihil aliud est exigendum ex parte pœnitentis.

Nonò,

Nonò, & ultimò adducitur auctoritas S. Thomæ *in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiunc. 5.* ubi agens de hac quæstione concludit eam his verbis : *Alii verò dicunt, quòd non sunt de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt ; & hoc probabilius est.* Ergo ex Angelici Doctoris auctoritate, ajunt, ita esse tenendum, non obstantibus argumentis, & rationibus supra in contrarium adductis, quibus ita respondent.

Ad Primum : quod illi Canones antiqui loquuntur non de Sacramento Pœnitentiæ, sed de Pœnitentiæ virtute, ideoque suggerunt multa motiva, ac circumstantias, quæ magis, ac magis possint excitare dolorem. Ulteriùs, quòd quatenus etiam ageretur ibi de Confessione Sacramentali, circumstantiæ aggravantes ibidem recensentur ex consilio, non autem ex præcepto. Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 11. n. 78.*

Ad Secundum. Satis esse, ut Sacerdos possit rectum judicium facere circa gravitatē peccati, & pœnitentias injungendas, ut ei exprimantur numerus, ac species peccati; his enim cognitis sufficienter potest rectè judicare. Quapropter per Concilium Tridentinum, à quo considerata fuit hæc necessitas rectè judicandi non fuerunt propositæ circumstantiæ aggravantes, sed tantùm mutantes speciem ; quia harum manifestatio cùm numero criminum commissorum satis instruunt Sacerdotem ad judicandum rectè super ipsis, & ad injungendas pœnitentias, aliaque remedia opportuna. Ita Collegium Salmanticens. *d. tract. 6. cap. 8. numer. 29.*

Ad Tertium hæc eadem responsio applicanda est pro intelligentia *cap. Omnis utriusque sexus* ibi allegati. Negant autem DD. quòd retentis sub silentio circumstantiis aggravantibus non possit Confessarius vicem periti Medici exercere ; nam quidditas peccati, cui medendum est, consistit in specie, & in numero ; & his cognitis facile est intelligere, quale consilium dandum sit pœnitenti, & quale remedium ei applicandum. Ita Mastrius *d. disp. 5. num. 484.*

Ad Quartum, in quo allata sunt quatuor exempla circumstantiarum aggravantium de necessitate in confessione exprimendarum : respondent generaliter, & particulariter. Generalis responsio est, quòd non omnes Doctores sentiunt, eas de necessitate esse explicandas ; ut notat Diana Coordinatus *d. tom. 1. tract. 7. resol. 163. resolut. 164. & resol. 165.* ubi studiosus poterit eos videre. Particularis responsio est, quòd incestus in primo gradu utriusque lineæ rectæ, ac transversalis est specificè manifestandus, quia offendit duo præcepta ; primum de pietate inter consanguineos servanda ; secundum de reverentia inter genitores, ac genitos ; nec non inter fratres, ac sorores ex jure naturæ proveniente non violanda ; ut demonstrat Sanchez *de Matrimon. libr. 7. disp. 52. n. 11.* & Emin. Card. de Lugo *d. disp. 16. sect. 3. n. 145. & sect. 6. n. 314.* Ad secundum exemplum de occisione plurium uno, & eodem actu respondent, ideò circumstantiam pluralitatis interfectorum esse exprimendam, quia facit plura numero peccata ; & jam ex Concil. Trident. ostensum est, numerum peccatorum esse manifestandum de Præcepto. Ita Mastrius *d. disp. 5. n. 485. Vers. Ad secundam probationem.* Ad tertium exemplum de infamante proximum, ei falsum crimen inurendo ; & verum, sed occultum propalando ; utrumque confiteri debet, non tanquam circumstantias aggravantes, sed tanquam duo peccata specie diversa ; prima enim infamatio est contra veracitatem ; secunda contra justitiam. Ita Marchantius *de Sacram. in Q. Q. Pastoral. tract. 5. cap. 3. dub. 4.* Et melius Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 11. art. 6. n. 219. & seqq.* eò quia sunt duæ malitiæ distinctæ in dictis duabus contumeliis, quæ faciunt duo diversa peccata ; tanquam offendentia duas diversas virtutes. Ad quartum exemplum de fractione jejunii per comestionem carnium, & piscium pariter respondent, esse duo peccata, quia lædunt duo præcepta, unum de non comedendis carnibus in die jejunii, ad quod servandum tenentur etiam minores 21. annis ; alterum de jejunando cum unica comestione in die, ad quod non sunt obligati, qui ad annos 21. non pervenerint. Marchantius *d. cap. 3. dub. 2.* Bonacina *de Sacram. Pœnit. disp. 5. q. 5. p. 2. §. 3. Tertia Dissic. n. 5.* & Mastr. *d. disp. 5. dub. 485. in fine.*

Ad Quintum. Negant assumptum : siquidem satis est Confessario, ut rectè judicet de peccato, si audiat ejus quidditatem, quæ consistit in specie, ac numero ; etsi taceantur cæteræ circumstantiæ aggravantes. Collegium Salmanticen. *d. tract. 6. cap. 8. n. 29.* ubi ait, hanc fuisse sententiam Concil. Trid.

Ad Sextum respondent, intensionem voluntatis in peccato, vel extensionem operis peccaminosi esse accidentia, quæ non multiplicant speciem, vel numerum ex seipsis ; ideò neutra est confitenda de necessitate, nisi quando ex diversitate objectorum, vel ex interruptione, & reassumptione voluntatis peccandi causaretur vel diversitas specierum, vel multiplicatio numeri peccatorum. Mastrius *d. disp. 5. num. 487.*

Ad Septimum respondent : Rituale Romanum *per circumstantias peccatorum explicatu necessarias* intelligere circumstantias mutantes speciem, de quibus locutum est Concilium Tridentinum ; & ad summum loqui ibi Rituale directivè, non præceptivè, ad hoc ut Parochus meliùs informetur de conscientia pœnitentis. Collegium Salmanticen. *d. tract. 6. cap. 8. num. 27.*

Ad Octavum dicunt, non posse quidem pœnitentem mentiri, vel eludere Confessarium interrogantem de circumstantiis aggravantibus ; sed non esse ei illicitum respondere ; non teneor ulteriùs dicere : da mihi pœnitentiam, quia satis mihi est, expressisse speciem, & numerum mearum culparum. Ita Mastrius *d. disp. 5. sub num. 489. in fin.* Sed hodie hæc responsio est damnata ab Innocentio XI. *in Propos. 58.*

Ad ultimum respondent ; posse quidem Ecclesiam reservare casus ob aliquam circumstantiam aggravantem ; & adjungere censuram, ut in exemplis adductis de hac Diœcesi Patavina ; sed in prædictis casibus circumstantia est explicanda non tanquam circumstantia aggravans, sed ob reservationem, seu censuram ei inflictam, quæ causat hanc obligationem ; & præscindendo ab illa, non erit obligatio propalandi circumstantiam tantùm aggravantem. Ita idem Mastrius *d. n. 489.* & Reginald. *lib. 6. n. 137.* ubi exemplificat, si in aliqua Diœcesi furtum certæ quantitatis sit reservatum ; tunc enim pœnitens debet exprimere quantitatem ; ac etiam si offendisset Romipetam, esset obligatus hanc circumstantiam exprimere, ob excommunicationem reservatam Summo Pontifici in Bulla Cœnæ. His responsionibus videntur evacuata argumenta ; & omninò sublata fundamenta opinionis affirmantis, circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem peccati esse de necessitate in Confessione

ne manifestandas, & remanere inconcussam opinionem contrariam, quòd scilicet opus sit, tantummodò manifestare circumstantias mutantes speciem.

Cæterùm sectatores primæ opinionis non ac-
13 quiescunt hucusque dictis contra illos, imo & ipsi conantur evacuare fundamenta opinionis negativæ supra relata; & iisdem respondent hoc pacto.

Ad Primum: licèt non constet de lege expressa præcipiente manifestationem circumstantiarum aggravantium, constare de lege tacita; quatenus præcepit Concilium Tridentinum *d. sess. 14. cap. 5.* talem debere esse Confessionem peccatorum, ut ex ea Sacerdos possit rectè judicare circa qualitatem criminum, & pœnitentias adæquatas pro iis injungere; at tale judicium rectum facere non potest, ignoratis circumstantiis notabiliter aggravantibus. Porrò eadem est virtus taciti, & expressi. *l. Cum quid. ff. Si cert. pet.* Barbosa *Axiom. 218. num. 1. ubi DD.* Et magis est attendenda mens legis, quàm verba. *l. Scire leges. ff. de Legibus. l. Non aliter. ff. de Legat. 3.* Surdus *Decis. XXXV. n. 14.* Genuensis *in Practicabil. Eccles. q. 144. num. 3.* Undè ait Philosophus *lib. 8. Physic. cap. 3.* quòd legem quærere, ubi est ratio naturalis, est infirmitas intellectus; quia naturalis ratio habet vim, & robur legis. *l. Cum ratio. ff. de bonis damnat.* In præsenti autem thesi ratio naturalis dictat, ut manifestentur circumstantiæ notabiliter aggravantes, ad hoc, ut fiat rectum judicium à Confessario, ut monuit Concilium *ubi supra.*

Ad Secundum respondent, Regulam, quod de uno conceditur, de alio denegatur, limitari, quando ex ea sequeretur absurdum, quod semper debet evitari. *l. Nam absurdum. ff. De bonis liber.* Thomassettus *in Florib. Leg. regula 274.* At occultando circumstantias notabiliter aggravantes sequeretur magnum absurdum circa judicium Confessarii, ut probatum est supra. Ergo dicta regula nihil valet.

Ad Tertium dicunt, non currere paritatem de definitione materiæ Eucharistiæ cum definitione circumstantiarum in Confessione Sacramentali; nam in illa, cùm panis triticeus sit singularis materia, non admittitur panis aliorum granorum: at in circumstantiis, cùm hæ plures sint, & quæ notabiliter aggravant, necessariæ sint ad debitam informationem Confessarii circa qualitatem, & quantitatem peccati, sunt inclusæ in definitione facta à Concilio Tridentino, requirente expressionem numericam peccatorum; quæ quidem peccata ex notabili circumstantia ita gravia esse possunt, ut habeant malitiam æquivalentem pluribus numero peccatis, quod apertè constat in furto mille aureorum præpondarante sex, ac octo furtis aureorum centum pro singulo furto. Idcircò sicut ad integritatem Confessionis ex doctrina Concilii Tridentini necessaria est expressio circumstantiarum mutantium speciem, ac numericæ quantitatis criminum, ut eorum malitia à Sacerdote bene cognoscatur; ita ex eadem doctrina colligitur, exprimendas esse circumstantias notabiliter aggravantes, ad habendam integram cognitionem prædictæ malitiæ; ut fusiùs disputando tenet Gonetus *in Clypeo Theolog. Thomist. tom. 5. disp. 10. num. 54.* ubi allegat auctoritatem Catechismi Romani, *De Sacram. Pœnit. sess. 47.* in qua dicitur: *Neque verò solùm peccata gravia narrando explicare oportet, verùm etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, & pravitatem valdè augent, vel minuunt.* Et concluditur in fine: *Quæ vero pravitatem rei magnopere non augent, sine crimine omitti possunt.* Undè deducitur, quòd quæ notabiliter eam augent, sine crimine non possunt omitti.

Ad Quartum concedunt, ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ non esse manifestandum in Confessione, nisi quod habet rationem peccati. Sed contendunt, & sustinent, circumstantias notabiliter augentes habere rationem peccati, quia crescere faciunt ejus malitiam, in qua ratio ipsius peccati residet; & cujus cognitio necessaria est Confessario ad eam pœnitentiis, ac remediis opportunis corrigendam, juxta institutionem hujus Sacramenti. Gonet *d. disput. 10. n. 62.*

Ad Quintum, quòd circumstantiæ notabiliter aggravantes non augent peccatum specificè, aut numericè formaliter, concedunt; virtualiter, & æquivalenter negant; unum enim peccatum notabiliter grave ex aliqua circumstantia æquivalet moraliter multis numero distinctis; ideò non satis explicatur, nisi manifestetur illa circumstantia. Gonet *ibid. n. 60.*

Ad Sextum, negant consequentiam; quia etsi Sacramentum Pœnitentiæ requirat accusationem, non autem excusationem peccatoris; iste tamen debet cum sinceritate loqui; & manifestare etiam circumstantias minuentes, & alleviantes peccatum, quando verè interfuerunt, ad hoc ut Confessarius judi- 14
cet juxta mensuram delicti, & satisfactionem congruam, non autem excedentem imponat. Gonet *d. disp. 10. num. 64.* ubi exemplificat de muliere, quæ consensit in fornicatione ex metu mortis; de illo, qui peccavit per ignorantiam; vel ex aliqua vehementi vera tentatione.

Ad Septimum negant assertam difficultatem propalandi intensionem, vel durationem actus mali, vel alia media, quando sunt gravia, & extra communem usum; qui enim non erubuit facere, non debet erubescere confiteri, si veniam consequi desiderat. *cap. Quem pœnitet. de Pœnit. dist. 1.* ideò etiam turpitudines, quæ notabiliter augent malitiam peccati, sunt exponendæ. Gonet *ubi supra n. 66.*

Ad Octavum subjungunt, quòd Christus Dominus præcipiendo Confessionem peccatorum, virtualiter præcepit, ut non tantum eorum species, ac numerum, sed etiam circumstantias notabiliter aggravantes pœnitentes confiterentur, quod deprehenditur à forma judicii, qua instituit Sacramentum Pœnitentiæ; non enim Judex Sacerdos potest rectè judicare, atque congruas pœnitentias injungere, nisi sciat easdem circumstantias. Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. col. 10.*

Ad Ultimum circa Auctoritatem doctrinæ An-
gelici Doctoris, aliqui dicunt, non esse tanti pon- 15
deris, quia sic sensit, cùm esset junior, & scriberet super Magistri Sententiarum libros; at hoc non posuit factus senior, quando Summam composuit; imò si eam compleviſſet, sententiam mutasset; ait Sotus *in 4. disp. 18. quæst. 2. art. 4.* Porrò Gonetus *d. disp. 10. n. 58.* respondet, quòd tempore D. Thomæ plures reputabant, illas esse circumstantias notabiliter aggravantes, quæ in rei veritate non erant tales; puta si peccatum fuisset commissum in die festo, vel si peccator habuisset aliquem gradum dignitatis, vel superioritatis; & has dicebant, esse necessariò exprimendas. Verùm quia notabiliter non aggravabant, & erant circumstantiæ leves, de his loquens, ac intelligens S. Doctor, scripsit, probabilius fore, eas non esse de necessitate in Confessione manifestandas.

Conclu-

Concludunt igitur, non subsistere fundamenta opinantium, quòd circumstantiæ notabiliter aggravantes non sint in Confessione exprimendæ; & verius, ac probabilius esse, quòd prædictæ circumstantiæ, quando nimis augent malitiam peccati, & illud notabiliter aggravant, etsi intra eandem speciem, sint de necessitate patefaciendæ Confessario pro integritate confessionis.

Quid decidendum? Ad nos hanc celebrem quæstionem decidere non spectat, cùm tot, & tanti
16 gravissimi, ac piissimi Doctores scripserint pro utraque opinione. Nihilominùs pro concordia eorumdem, & ne studiosus Lector remaneat perplexus, attendenda erunt sequentia notanda.

Notandum Primum. Opinio tenens, circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem
17 peccati esse aperiendas in Confessione, est verior, ac probabilior, ut ait Suarez *de Pœnit. disp. 22. sect. 3. n. 5.* Abelly *part. 2. tract. 1. cap. 5. sect. 14. in fine* illàmque vocant communem, & certam DD. apud Mastrium *d. disp. 5. n. 480.* aliique certissimam apud Collegium Salmantic. *d. tract. 6. cap. 8. n. 16.* & apud Dianam Coordinatum *tom. 1. tract. 7. resol. 1.* Quæ in veteri est *part. 1. tract. 7. resol. 1.* & per consequens est opinio tutior, quia magis consulit integritati Confessionis Sacramentalis; ac ejus validitati, à qua pendet absolutio à peccatis, restitutio Divinæ gratiæ, & salus animarum. Sequitur ex hoc, quòd opinio contraria, etsi probabilis speculativè, tanquam minùs tuta non possit hisce,
18 temporibus practicari, stante Propositione damnata ab Innocentio XI. *die 2. Martii 1679. la prima*; quæ sic asserebat: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Qua condemnatione attenta, circumstantias notabiliter aggravantes nunc de necessitate esse confitendas advertat Gaspar Ivenin. *in Commentar. Histor. Dogmatic. de Sacram. Dissert. 6. Quæst. 5. cap. 8. art. 1.*

Notandum Secundum: Concorditer docent Auctores utriusque opinionis, esse semper confitendum
19 circumstantiam, quæ intra eandem speciem aggravat in infinitum; ideò quando ipsa facit, ut peccatum de veniali transeat in mortale, retenta sua prima specie. Ita Mastrius *disp. 5. n. 479.* Gobatus *tract. 6. n. 372.* & Collegium Salmanticen. *d. tract. 6. cap. 8. n. 10.* Circumstantias autem, quæ faciunt culpam venialem transire in mortalem, dixi esse sex *in meis Erotematib. cap. 1. n. 5.* & sunt sequentes, quas in gratiam lectoris libens transcribo. *Prima* est Circumstantia finis ultimi; ut si quis mendacium dicat, ut committat adulterium; si furetur calamum socio, ad hoc ut ille blasphemet. *Secunda* est contemptus, quando quis leve peccatum committit, sed cum contemptu Superioris, à quo actio illa, etsi levis, ob bonum publicum fuit prohibita, ut servare silentium certis horis; ne quis alloquatur mulieres in Ecclesia; vel accedat ad talem domum, ne aliquis ingrediatur cubiculum alterius Religiosi, de quibus Bordonus *Var. resol. part. 2. Resol. 58. n. 46.*
20 Summa Diana *Verb. Lex. n. 35.* Contemptus enim formalis, aut legis, aut Superioris, etsi de re levi, est semper culpa mortalis. S. Thom. 2. 2. *quæst. 86. art. 9. ad 3.* & latè de hoc Baldellus *Theolog. Moral. lib. 5. disp. 24.* per totam. *Tertia* circumstantia est periculi, quando quis non abstinet à peccato veniali, in quo tamen est probabile periculum labendi in mortale. Sanchez *in Decalog. lib. 1. cap. 8. n. 4.* *Quarta* est conscientiæ erroneæ, ut si quis committat veniale credens esse mortale. *Quinta* est scandali, dum aliquis verba otiosa dicit, sciens, alium ex eis lapsurum in mortale. *Sexta* est ex intentione uniendi simul multa venialia, ut qui modica furta pluries facit, vel sæpè comedit aliquid parum in die jejunii. Summa Diana *V. Furtum. n. 7. & V. materia levis. n. 6.* His addenda est *Septima* circumstantia injustæ damnificationis, ut cùm quis furatur acum Sutori, non habenti alium, quo suat, & sibi victum comparet. Bonacina *tom. 2. de Restit. disp. 2. quæst. 8. punct. 1. n. 8.* ac etiam *Octava*, quando peccatum fit in Ecclesia, polluens illam. Reginald. *lib. 14. n. 41.* in his enim omnibus, quod veniale erat, fit mortale ex prædictis circumstantiis, ut docent Thom. Tamburin. *in Decalog. libr. 1. cap. 1. §. 4.* Sanchez *ibid. libr. 1. cap. 5. à n. 7. & seqq.* ac Laym. *libr. 1. tract. 3. cap. 5. & cap. 7.* Ideòq; ipsæ circumstantiæ, etsi aggravantes tantùm, sunt in confessione exprimendæ, quia aggravant in infinitum.

Notandum Tertium. Quando circumstantia aggravans invehit reservationem casus, vel censuram, aperienda est in confessione. Ita Reginaldus *lib. 6. n. 137.* Mastrius *d. disp. 5. n. 480. & 489.* & Collegium Salmanticen. *d. tract. 6. cap. 8. n. 12.* Hinc si Episcopus sibi reservet furtum quantitatis decem Juliorum; qui tantam summam furatus fuerit, non bene confitetur, dicendo furtum feci; sed debet exprimere circumstantiam quantitatis, ob episcopalem reservationem. Item si quis incenderit domum, vel fruges alienas, non sufficit, si confiteatur se damnificasse proximum in bonis, sed debet exprimere circumstantiam incendii, & ignis appositi, ob annexam excommunicationem. *cap. Tua nos. DeSent. excommun.* Vel si cum fractura ostii aliquis surripuerit supellectilia sacra de Ecclesia; satis non est dicere, rem sacram surripui; sed tenetur manifestare circumstantiam fracturæ, quia huic annexa est excommunicatio. *cap. Conquesti. eod. tit.* Emin. Card. Toletus *in Summ. libr. 1. cap. 35. n. 3. & 6.* Aut etiam si quis percusserit, ac vulneraverit Romipetam, ut dictum est supra, obligatus est fateri circumstantiam hominis Romam versus, devotionis causa, proficiscentis; & non sufficit, se accusare generali locutione, hominem offendi, seu vulneravi; nam huic peccato annexa est excommunicatio Papalis. Reginald. *d. lib. 6. sub n. 137.*

Notandum Quartum. Quotiescunque Confessarius interrogat Pœnitentem de aliqua circumstantia notabiliter aggravantem, quam putat necessarium scire; vel pro restitutione à pœnitente facienda; vel pro ejus dispositione ad emendationem; aut consuetudine in peccando relevanda, remediisve opportunis eidem pœnitenti præscribendis; aut ex alia legitima causa, ac prudenti motivo, tenetur pœnitens requisi- 21
tam circumstantiam cum sinceritate eidem Confessario manifestare; ut docent Emin. Card. de Lugo *d. disput. 16. n. 123.* Tamburin. *de exped. Confess. lib. 2. cap. 8. §. 1. n. 1.* & Gobatus *d. tract. 6. n. 379.* rejecta contraria opinione Joan. Sancii *in Select. disp. 9. n. 6.* & aliorum, quam condemnavit Innocentius XI. tanquam temerariam, ac scandalosam; & est *Propos. LVIII.* quæ asserebat, *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*; de qua plura disserit Cardenas *in Crisi Theolog. Dissert. 37. cap. 1. & seqq.*

Notandum Quintum. Circumstantiæ aggravan- 22
tes leviter tantùm, & quæ non sunt contra communem usum peccandi; aut peccatis, quæ proximo

non nocent, & similes, non sunt necessario in confessione dicendæ, ne confessio reddatur nimis onerosa; aut scrupuli in mente pœnitentium generentur. Reginaldus *d. lib. 6. n. 135.* & Gobatus *eod. tr. 6. n. 371.* ubi exemplificat de eo, qui se inebriavit die jejunii, aut die Veneris, aut postridie sacræ Communionis, aut aspexit rem turpem uno vel utroque oculo; vel furatus est dextera, aut sinistra manu; ante sivè post prandium; & de his similibus, de quibus *supra num. 2.*

Hæ quinque Notanda, si confessarii non dedignati fuerint observare, deprehendent, non absque ratione à tot, ac tantis Theologis scriptum fuisse, circumstantias notabiliter aggravantes esse de necessitate confitendas, quia expressæ in primis quatuor notandis supradictis, impunè omitti non possunt Ac vice versa temperabunt opinionem contrariam de circumstantiis aggravantibus tantùm non manifestandis, ut ea in praxi locum habeat, quando leviter tantum gravant; & sunt extra casus in iisdem notandis expositos.

DECISIO XXVI.

ARGUMENTUM.

Prima circumstantia QUIS, in Confessione explicandâ declaratur. Hæc concernit Personam Pœnitentis, cujus peccata vel gravat, vel multiplicat numero, vel facit mutare speciem, ob ejus Dignitatem, Votum, Ligamen Matrimoniale, & Scandalum. Agitur de dignitate Pœnitentis ob scientiam, ætatem, ac Superioritatem. De ejus voto, statuque conjugali; pluribusque exemplis ostenduntur circumstantiæ inde resultantes in Confessione manifestandæ. Scandali essentia, ac divisio traditur, & plene differitur de Scandalo activo, ac passivo, & quomodo sint confitendæ circumstantiæ ex scandalo insurgentes; additis jucundis Historiis in materia Scandali.

SUMMARIUM.

1 *Circumstantiæ in unoquoque peccato sunt septem, & quæ?*
2 *Circumstantia QUIS versatur circa Divinitatem, Votum, seu ligamen maritale, & scandalum pœnitentis.*
3 *Dignitas in pœnitente vel ob scientiam, vel ætatem, vel ob Superioritatem.*
4 *Scientiæ circumstantia manifestanda.*
5 *Ætas in peccatore gravat peccatum.*
6 *Superioritas gravat, & aliquando multiplicat numero peccatum, ideo circumstantia Superioritatis explicanda.*
7 *Voti, ac ligaminis maritalis circumstantia exprimenda. Et an Voti solemnis & ansi alium faciat peccare contra materiam sui Voti?*
8 *Circumstantiæ in casibus luxuriæ manifestandæ.*
9 *Mortuam mulierem carnaliter cognoscens quale peccatum committat?*
10 *Scandalum unde dictum? Quid, & quotuplex sit? num. 11.*
12 *Scandalum quando sit peccatum mortale? & quando veniale?*
13 *Scandalum nunquam est licitum.*
14 *Abraham, Loth, & Elisæus an commiserint peccatum scandali?*
15 *Chinenses an possint simulare adorationem Idoli, tenentes Crucem?*
16 *Peccatum minus an suadendum, ut evitetur peccatum majus?*
17 *Naaman cur potuerit genuflectere in Templo Idoli?*
18 *Scandalum passivum quando evitandum, vel permittendum? Regulæ quatuor.*
19 *Scandali activi circumstantia semper in confessione aperienda? & ad quos, & ad quæ se extendat?*
20 *Circumstantia per oblivionem omissa quando confitenda?*

QUæ hucusque de Circumstantiis dicta sunt, deserviunt pro Regula ac doctrina generali ad cognoscendum, quando mutent speciem peccati, & quando gravent tantummodò intra eandem speciem; & in consequentiam ad sciendam, vel absolutam necessitatem manifestandi easdem Circumstantias in Confessione; vel facultatem illas tacendi, ut de simpliciter aggravantibus concedunt neoterici; quamvis, ut supra probatum est, tutius sit, ac magis expediens ad certitudinem, validitatemq; Sacramenti eas exponere, potissimum si notabiliter gravent; & opinantes, eas taceri posse, intelligendi sint, si circumstantiæ leviter tantum gravent. Modò descendendum est ad ipsas circumstantias in particulari, ex quarum individua discussione apertiùs Lector instructus evadat, & discat, quænam sint mutantes speciem, & quæ gravantes, & ex his omnibus quæ de necessitate sint confitendæ.

Communis Doctorum consensus firmat, septem esse Circumstantias, quæ circa unumquodque peccatum considerari possunt, & quæ hoc vulgari carmine, omnibus Confessariis notissimo, comprehenduntur. Videlicet: 1

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, quando.

De Circumstantia, *Quis?*

Hæc Circumstantia denotat qualitatem personæ pœnitentis, ac confitentis peccata, circa quam tria sunt consideranda, ut cognoscatur, an ejusdem peccata mutaverint speciem, vel gravaverint tantùm. Hæc tria sunt *Dignitas, Votum, seu ligamen Matrimoniale, atque Scandalum.* 2

Dignitas resultat in homine vel ob *Scientiam*, vel ob *Ætatem*, vel ob *Superioritatem*. Reginaldus *in Praxi lib. 14. num. 28.* ideò qui *Scientia* pollet, & peccat, aggravat peccatum suum; & majus est peccatum viri docti, quam hominis ignorantis. *cap. Excellentissimus, 11. quæst. 3.* unde ait Dominus *Luc. 12. 47. Ille servus, qui cognovit voluntatem Domini, & non præparavit, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis; & 2. Petr. 2. 21. Melius erat illis, non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.* Et hæc circumstantia magnam vim habet cohibendi studiosos à peccatis, à quibus si non abstinent, bonum erit hanc circumstantiam confiteri, est enim aggravans notabiliter. *Ætas* pariter in peccatore aggravat ejus peccatum, quia quo senior est homo, majorem habet obligationem 3 4

nem cum Dei timore vivendi; nam *peccator centum*
5 *annorum maledictus erit. Isaiæ* 65. 20. & est lacrimabile valdè, audire senes spurcitiis carnis, vel gulæ, aut aliis flagitiis inquinatos, adinstar eorum, qui *exarserunt in concupiscentiam* (Susannæ) *& everterunt sensum suum. Dan.* 13. 9. *Sanctitas* quoque vitæ gravat vehementer peccatum, ex mera malitia commissum, unde de servis suis lamentatur Deus, dicens *Jerem.* 11. 15. *Quid est: quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Dixi, ex mera malitia, quia si peccarent ex infirmitate; aut ex aliqua vehementi passione, aut tentatione, citra scandalum, aut votorum transgressionem, minùs peccarent. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *art. ult.* citius enim surgunt à lapsu, & impensius se castigant. *Superioritas* verè non solùm aggravat peccatum, *cap. præcipue.* 11. *q.* 3. quando Prælatus occultè, & extra officium suæ Superiori-
6 tatis peccat; sed etiam mutat speciem, quando peccat cum aliquo ex suis subditis, cujus custodiam spiritualem habere tenentur ex officio; idcirco Episcopi ac Parochi peccatum committentes cum suis ovibus, tenentur hanc circumstantiam exponere in Confessione; quia ultra speciem peccati commissi peccarunt contra promissionem Deo factam in acceptatione illius Superioritatis, de retrahendo subditos à peccatis, & in via Dei dirigendos; ut bene probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœnit. disp.* 11. *art.* 5. *num.* 83. *& seqq.* Eminentiss. Card. de Lugo *eod. tract. disp.* 16. *num.* 356. *&* 357. Et notavit Bonacina *de Matrimonio quæst.* 4. *punct.* 16. *num.* 10. quem refert, ac sequitur Collegium Salmanticen. *de Sacramentis in genere tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 62. Igitur peccantes, si sint qualificati in scientia, vel in ætate, vel Superioritate Ecclesiastica, nisi sint noti Confessario, debent exprimere has circumstantias. Secus dicendum de Superioribus Laicis, deputatis ad castiganda delicta populorum; nam illi, si occultè delinquant, non tenentur se accusare de dicta circumstantia Superioritatis, eo quia eorum officium non respicit curam animarum; sed regimen in concernentibus forum contentiosum, & externum. Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 36. residente in opere ejus Coordinato *tom.* 1. *tract.* 7. *resol.* 160. qui tamen in *tom.* 7. *tract.* 4. *resol.* 22. *&* 23. docet, eos teneri ad manifestandam suam Superioritatem, si omiserint subditos corrigere. Hæc de dignitate Pœnitentis.

Votum, seu Ligamen ejusdem est attendendum
7 præcipuè in peccatis luxuriæ; nam per utrumque non solùm offenditur sextum Præceptum Decalogi *de non mœchando*, sed etiam promissio facta Deo, vel alteri personæ de abstinendo à quacunque culpa carnali; & ideo transgressores voti castitatis, sivè solemnis sivè privati, ac ligaminis in statu maritali, committunt in quocunque peccato Luxuriæ duo peccata specie diversa. Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 11. *à num.* 90. *& seqq.* Eminentiss. Cardin. de Lugo, *d. disp.* 16. *sect.* 4. §. 2. *à num.* 146. ubi alios allegant docentes, esse manifestandam circumstantiam status maritalis à conjugatis? & ab habentibus votum hanc voti circumstantiam, non solum ab ipso vovente, sed etiam complicè, qui cum eo carnis crimen commisit. An autem sit exprimenda solemnitas voti, vel satis sit dicere, peccavi Luxuriæ peccato habens votum Castitatis? Sunt hinc indè opiniones Doctorum, quos refert Collegium Salmanticen. *d. tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 54. & adhæret asserentibus, non esse necessarium manifestare solemnitatem Voti, inter quos Sanchez *de Matrimonio lib.* 7. *disp.* 27. *num.* 27. Castropalaus *tract.* 23. *disp. Unic. punct.* 9. *num.* 6. Et ipse Eminentiss. Cardin. de Lauræa *disp.* 11. *num.* 91. nec non Eminentiss. Cardin. de Lugo, *ubi supra num.* 147. qui duo alia notabilia docent: *Unum*, quòd si habens votum castitatis, etiam addiderit juramentum de carnaliter non peccando; si peccet, tria crimina patrat, & tam voti, quam juramenti circumstantias fateri debet. *Alterum*, quòd prædictum votum habens, si hortetur alium ad peccandum contra castitatem, obligatus est exprimere circumstantiam dicti sui voti, quia illud offendit, suadendo alium ad peccandum contra castitatem; & multò magis; si habens votum castitatis carnaliter peccet cum alia persona simili voto obstricta: tenetur enim utriusque votum in confessione manifestare; quemadmodum, si conjugatus adulteretur cum muliere, alteri conjugata, utrumque matrimonium debet exprimere; quia diversa obligatio est in peccante, ne violet suum votum, vel suum Matrimonium, ab ea, quam tenet, ne procuret, ut alter violet suum. Idem Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp.* 16. *num.* 258. Diana *part.* 9. *tract.* 6. *resol.* 4. *& tract.* 9. *resol.* 67. *alias* 66. Quæ nunc sunt repositæ in opere Coordinato *tom.* 1. *tr.* 7. *resol.* 101. *in fin. & resol.* 164. nec non *in part.* 11. *tract.* 5. *resol.* 51. Coordinata *in eod. tom.* 1. *tract.* 7. *resol.* 97.

Hinc ex supradictis resolvuntur sequentes casus, in quibus tamen tutior est opinio, quod sit manifestanda qualitas personæ, tanquam circumstantia necessaria; etsi controvertant Theologi, an committantur duo peccata specie diversa; eorumque major pars respondeant negativè; videlicet 1. Sponsus, ac Sponsa fornicantes cum aliis tenentur explicare circumstantiam sponsaliorum fractorum. 2 Qui pri- 8
mò spontè fornicatur, non tenetur fateri circumstantiam virginitatis amissæ, sivè Vir, sivè Puella, nisi hæc esset in potestate parentum, ob injuriam gravem, quam intulerit illis. 3. In crimine pessimo eandem circumstantiam Virginitatis non esse confitendam; quia ejus claustrum non violatur. 4. Religiosus, vel conjugatus si sola mente carnalia peccata committant, tenentur circumstantiam Voti, vel Conjugii explicare. 5. Frigidus, vel Eunuchus turpia agentes cum meretricibus debent circumstantiam suæ impotentiæ narrare, quia censentur eorum peccata esse contra naturam. 6. In eodem crimine pessimo non esse exponendam circumstantiam sexus, neque an fuerit agens, vel patiens; & in bestialitate non esse specificandam animalis speciem; neque qui se polluit illas tangendo; quamvis multi DD. in his omnibus contrarium affirment; ut compendiosè potest Lector videre in Summa Diana *Verb. Circumstantia QUIS?* ubi etiam refert DD. pro utraque opinione; an sit confitenda circumstantia disparitatis cultus, si Christianus peccet carnaliter cum Judæa, vel cum Turca? aut Christiana copiam sui faciat Turcæ, vel Judæo? idemque de Hæretico? ac Hæretica? vel si quis coiret cum muliere viricida cum promissione futuri Matrimonii; aut defloraret Virginem petentem, ac volentem. E contra pro certo docent, coitum cum Religioso Novitio, vel Novitia; aut cum Clerico in minoribus, etsi beneficiato, non obligare ad has circumstantias patefaciendas; quod etiam scribit Collegium Salmanticen. alios DD. referens *d. tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 55. *& seqq.* Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 7. relegata in Coordinato *tom.* 1. *tract.* 7. *resol.* 79. His est addendum, quod docet Bordonus *in*

Decis. Miscell. decis. 109. nempè concupiscentem pluries copulari cum Matre, & Filia, sibi nullo consanguinitatis, vel affinitatis gradu conjunctis, non teneri circumstantiam incestus narrare; quia species hujus peccati requirit, ut altera ex mulieribus sit consanguinea, vel affinis ejusdem concupiscentis affinitas autem non contrahitur, nisi præcedat actualis copula cum una ex iisdem; ut etiam scribit Diana Coordinatus *d. tom.* 1. *tract.* 7. *resol.* 111. desumpta ex *part.* 10. *tract.* 15. *resol.* 13. in veteri.

Tandem, quia non est scelus, quod malitia humana non commiserit: disputant Moralistæ, quam
9 speciem peccati committat, qui copulam habet carnalem cum muliere mortua? Diana Coordinatus examinans hunc casum *tom.* 8. *tract.* 6. *resol.* 6. quæ in veteri est *part.* 9. *tr.* 9. *resol.* 1. adducit alios dicentes, committere *fornicationem*; quia fœmina, etsi mortua, analogicè dicitur fœmina; alios *bestialitatem*; quia fœmina defuncta non est amplius speciei humanæ; alios *simplicem mollitiem*, aut *pollutionem*; prout accidit, cum quis se polluit cum statua; & cum hac opinione remanet Diana addens nihilominùs, hanc esse circumstantiam notabiliter aggravantem; & per consequens juxta tutionem opinionem esse exprimendam in Confessione. Præterquam quod si coiret cum ipsa defuncta ex affectu erga illam tanquam viventem, exponendus esset status, & qualitas ejusdem mulieris: quia si esset uxorata, vel virgo, causaret peccatum diversæ speciei à pollutione, nempe adulterium, vel stuprum. Et hæc satis circa Circumstantiam QUIS, occasione *Voti*, vel *Ligaminis Matrimonialis*.

Sequitur tertium considerabile in Circumstantia *Quis*, nempè, *Scandalum* quod sic dicitur à verbo
10 σκαζω hoc est *claudico*, ut notat Vossius in *Etymologic. Linguæ Latinæ V. Scandalum*; eo quia datScandalum cogit proximum in bonis moribus claudicare: vel ut scribit Tirinus in *Comment. Epist. ad Roman. cap.* 14. *Vers.* 13. à verbo σκαμβὸς, idest *obliquo*; scandalizatus enim deflectit à via recta, & vadit per obliquam, siquidem, ait Tirinus *ibidem*, *obliquum vocant illum bacillum, quo muscipula aperta detinetur & cui esca alligatur, ut mus eam arrodens, muscipulam eversam in se trahat. Hinc translata est hæc vox ad significandum omne id, quod alteri est causa lapsus, & peccati*: Et propriè loquendo scandalizare significat ponere offendiculum alicui, ut cadat. Magrius *in Hierolex. eod verb.* Definitur autem Scandalum, ut *Dictum, vel factum, vel omissum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ* S. Thomas 2. 2. *quæst.* 43. *art.* 1. Reginaldus *lib.* 14. *num.* 22. & Layman. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 1. ubi observant, consistere scandalum in verbis, vel factis minus rectis, à quibus alii sumunt occasionem peccandi; aut etiam in omissionibus, scilicet eorum, ad quæ aliquis est obligatus, puta non audiendo Missam in die festo; vel non recitando officium, si sit beneficiatus, vel ordinatus in Sacris; quo exemplo etiam aliis datur occasio omittendi auditionem Missæ, vel officii recitationem. Non dicitur autem *concupitum* in definitione Scandali, sicut in definitione peccati; quia ea, quæ retinentur ab homine interius in corde, non pariunt scandalum, quod consistit tantummodò in externis, nam sicut in via corporali obex, quo quis impingitur ad lapsum, est exterior; sic in processu viæ spiritualis per exemplum, vel inductionem, aut exhortationem ad malum, exteriùs factam, alter trahitur ad peccandum. S. Thomas *d. qu.* 43. *art.* 1.

Duplex autem est Scandalum, *Activum* ac *Passivum*. Scandalum activum consistit in illo, qui dicit, aut facit rem minus rectam præbentem alii occasionem ruinæ spiritualis; vel dantem impedimentum in 11
Dei servitio. Ut qui hortatur socium ad fornicandum; vel si pater blasphemans, aut se inebrians det motivum filiis suis blasphemandi, & se inebriandi; aut si mundani homines irrideant, ac spernant eos, qui pietatis operibus sunt addicti, à quibus se retrahunt ob dictas irrisiones. *Passivum* Scandalum consistit in eo, qui peccat, vel desistit à bonis operibus, motus à dictis, vel exemplis alterius: ideò hæc Scandala aliquando sunt simul conjuncta cùm quis movet alium ad malum, & iste consentit, & peccat; tunc enim extat Scandalum Activum, ac Passivum; aliquando sunt separata, & unum scandalum est sine alio; exempli gratia, si quis hortetur socium ad furtum; at socius recuset furari; quia est scandalum Activum sine passivo. Vel si quis ex actione alterius bona, vel differenti, ob suam propriam malitiam, sumat occasionem peccandi; aut ob suam ignorantiam; quia tunc est scandalum passivum sine activo, & in primo casu dicitur Scandalum *Pharisaicum*; nam Pharisæi ob eorum malitiam de doctrina Domini scandalizabantur; quod Dominus contemnendum esse dicit, *Matth.* 15. 12. In secundo casu dicitur Scandalum *Pusillorum*; quibus opus est reddere rationem circa ea, ob quæ scandalizantur, ut cessent ab ignorantia. Ita S. Thomas 2. 2. *d. quæst.* 43. *art.* 7. *in corp.* Layman. *d. lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 8. *Vers. est vero hic advertendum.* Diana Coordinatus *tom.* 7. *tract.* 5. *resol.* 1. Quæ in veteri est *part.* 5. *tract.* 7. *resol.* 1. Rursus Scandalum activum duplex est. *Unum* per se, cum quis malè loquitur, vel operatur ea intentione ut proximus peccet. *Alterum* per accidens, quando non operatur cum tali intentione; sed quia opus non est rectum, ex eo proximus ruit in peccatum. S. Thomas *d. q.* 43. *art.* 3. Reginaldus *d. lib.* 14. *n.* 22. & Summa Diana *V. Scandalum num.* 1.

Porrò Scandalum aliquando est peccatum mortale, aliquando est peccatum veniale. Scandalum activum per se, idest cum intentione impellendi proximum in peccatum grave est semper mortale; & idem est dicendum, si sit per accidens, idest sine 12
tali intentione, quando dictum, vel factum, aut omissio est opus peccaminosum mortale. Est autem peccatum veniale, si dictum opus sit leve, & non inducat proximum, nisi ad peccatum veniale; nam si haberet vim illum impellendi in peccatum mortale etiamsi opus in scandalo activo esset leve, ipsum. scandalum esset peccatum mortale. S. Thomas *d. quæst.* 43. *art.* 4. *in Resp.* Reginaldus *d. lib.* 14. *num.* 25. & 27. Volpi *Verb. Scandalum, resol.* 174. *à num.* 7. & *seqq.* nec non Layman *d. cap.* 13. *num.* 1. & 3. ubi dant exempla de muliere, quæ se ornatam offert aspiciendam ab eo, qui eam ad turpia concupiscit. De Clerico tenente domi mulierem populo suspectam, ob quam detractiones fiunt. De juvene dicente verbum amatorium mulieri, audiente ejus marito zelotypo, ex quo magna dissensio oritur inter conjuges ipsos. Ratio autem, cur scandalum activum sit peccatum, est; quia est contra virtutem charitatis, qua debemus salutem spiritualem proximi diligere; & contra præceptam correctionis fraternæ, per quod si obligamur

mur retrahere proximum à peccatis, multo magis prohibemur, ne illum in pecccata impingamus. Scandalum verò passivum, si per ipsum scandalizatus ruit in peccatum mortale, est culpa mortalis; venialis autem, si solum venialiter peccet: non enim exemplum malorum excusat eos, qui sunt illorum imitatores, à peccato; siquidem debent non ad exempla mala artendere; sed ad Legem Divinam, ad quam observandam quilibet Christianus est obligatus, qui propterea non excusatur à culpa. *cap. Si dominus, & cap. seq.* 11. *q.* 3.

Quapropter hic Theologi omnes firmant hanc
13 conclusionem, quòd *nullo casu licitum est, aliquem inducere dictis, vel factis, tacite, vel expressè ad agendum id, quod ab eo sine peccato fieri non potest.* S. Antoninus *part.* 2. *tit.* 1. *cap.* 9. §. 14. Navarrus *in Man. cap.* 17. *num.* 262. & alii plures allegati per Layman *d. lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 3. quod idem est dicere, nunquam esse licitum dare Scandalum Activum, nam *Vahomini illi, per quem scandalum venit. Matth.* 18. 7. ex qua veritate deducitur: non esse licitum à malefico petere, ut maleficium maleficio solvat Salelles *d. S. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 14. *Regul.* 133. nec ab usurario, ut cum usura mutuet; nec ab infideli, ut per falsum Deum juret; nec à Sacerdote, qui jurisdictione caret, ut à peccatis absolvat; nec alterum invitare ad bibendum usque ad ebrietatem; nec ex urbanitate inducere ad cœnam illum, qui tenetur jejunare; neque pharmacopolis vendere venenum quibusvis postulantibus, sed iis tantùm, quos certo sciunt usuros vel ad medicinam, vel ad colores; neque deferre litteras amatorias ad malum finem. Layman *d. c.* 13. *num.* 3. *& seqq.* Azorius *lib.* 12. *c.* 17. Volpi *ref.* 173. & Gobatus *in Quinario tr.* 5. *cap.* 13. *num.* 19. *ac.* 22.

Sed objiciet aliquis *Primò*, cum Abraham ingre-
14 deretur Ægyptum cum Sara uxore sua, dubitans eam esse rapiendam, & ducendam in uxorem à Pharaone; ita hortatus est illam: *Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te. Genes.* 12. 13. Et cum ita illa dixisset, *Sublata est in domum Pharaonis.* Ecce duo Scandala. *Unum*, quòd Abraham hortatus est Saram, ut diceret mendacium; *Alterum* quod credens Pharao, eam non esse uxorem, sed sororem Abrahæ adulterium committeret cum illa. *Secundo*: Loth cum haberet hospites duos Angelos, & cives Sudomæ eos requirerent ad malum finem; ipse Loth obtulit eis duas filias suas, dicens. *Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum; educam eas ad vos, & abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodo viris istis* (idest Angelis hospitibus ejus) *nihil mali faciatis. Genes.* 19. 8. En quod Loth dedit scandalum, idest occasionem peccandi Civibus Sodomitis, offerens eis filias suas, cum facultate eis abutendi in spurcitiis carnalibus. *Tertiò*: Naaman Syrus petiit consilium ab Eliseo, quid sibi agendum: *Quando ingredietur Dominus meus templum Remmon*, (idest Idoli) *ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Rommon.* Quod ut faceret, concessit ei Elisæus; nam ei respondit, assentiendo per hæc verba: *Qui dixit ei, vade, in pace* 4. *Reg.* 5. 18. *&* 19. Ergo dedit ei scandalum, hortando, consulendo, ac approbando, ut adoraret idolum. Nec dicatur, quòd licet exterius genuflecteret, ac adoraret interius, tamen, ac in mente sua intendat adorare Deum verum; quia re-
15 spondetur, id non sufficere, sed etiam ab actibus externis denotantibus adorationem esse abstinendum; ut declaravit Sacra Congregatio de propaganda Fide circa Chinenses, tenentes Crucem in manu involutam floribus, & ad eam adorandam ac venerandam dirigentes intentionem, dum venerantur, & adorant Idolum suum *Confucium*; die 12. Septembris 1645. quas declarationes approbavit Innocentius X. easque mandavit observari sub pœna excommunicationis Sedi Apostolicæ specialiter reservatæ, ut refert Pignatellus *tom.* 5. *consult.* 45. & ejus compilator Abbas Pascuccius *part.* 2. *tit. de Missionariis pag.* 64.

Respondetur ad Primum, nullum scandalum ab Abrahamo datum fuisse uxori suæ Saræ; non circa assertum mendacium, quod assereret, esse ejus Sororem, quia erat ejus Neptis; & apud Hebræos Nepotes, & alii ejusdem sanguinis vocabantur fratres; Neptes verò sorores. Non circa periculum adulterii; quia fidebat tum castitati, ac constantiæ Saræ; tum providentiæ Dei, cujus instinctu ita uxorem monuerat; ut fusius docent Pererius, Cornelius à Lapide, Tirinus *in Comment. d. Genes. cap.* 12. cum Auctoritate S. Augustini, & reperit Layman. *d. lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 10. *Vers. Ex tradita doctrina.* Ad secundum: Cornelius à Lapide respondet, Loth verè
16 peccasse peccato scandali activi, offerendo Sodomitis filias suas abutendas. Sed alii eum excusant à peccato, eò quia obtulit eas ad evitandum majus malum, quod pessimi illi cives volebant exercere in Angelos asserentes, volenti committere majus malum, licitnm esse suadere, ut committat minus. *cap. Duo mala*; & ibi Barbosa *num.* 11. *dist.* 13. Abbas *in cap. super eo num.* 4. *de Usuris.* Navarrus *in Manuali cap.* 14. *num.* 40. *& cap.* 17. *num.* 263. Et alii plures DD. quos citat, & sequitur Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 37. Collocata in Coordinato *tom.* 7. *tract.* 5. *resol.* 34. ubi exemplificat, volenti committere adulterium posse suaderi fornicationem; & furaturo centum, ut furetur quinquaginta. Porro hanc opinionem impugnant, ac reprobant Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 21. *punct.* 4. Sà *Verb. peccatum num.* 8. & alii plurimi apud Layman *d. cap.* 13. *num.* 7. *Vers. Contrariam verò Jententiam*; nam nunquam licet consulere ut fiat, quod est peccatum; & de duobus malis minus est eligendum, sufferendo, si evitari non potest non autem consulendo. Hinc insignis illa Quæstio, an liceat absque peccato accipere mutuam pecuniam à fœneratore, etsi solito eam dare usuram? de qua Comitolus *libr.* 5. *quæst.* 10. & Vasquez. *Opuscul. de scandalo art.* 8. *num.* 33. Qui stant pro negativa nisi gravis necessitas excuset. Et agentes comœdias impudicas rei sunt criminis mortalis. Idem Comitolus *d. libr.* 5. *quæst.* 11. & alii plurimi casus, in quibus Theologi ostendunt, nunquam licitum esse præbere aliis occasionem peccandi, etiam sub aliquo bono fine; de quibus Castropalaus *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 6. *punct.* 6. *num.* 9. Azorius, Wigerus, & alii apud Dianam Coordin. *tom.* 7. *tract.* 5. *resol.* 37. & 38. deductæ ex veteri *part.* 6. *tract.* 7. & 8. *resol.* 43. & 44. Igitur excusatur Loth ab aliis, quod ea verba dixerit Sodomitis de filiabus suis ex quadam animi perturbatione, non ex plena advertentia; vel quod comparativè locutus sit, non positivè; idest, potius abutimini filiabus meis; quam Angelis hospitibus; sed per hæc verba non obtulit filias, nec intellexit eas positivè offerre ad peccandum; sicut quis ad placandum hominem iratum contra aliquem, offert pectus suum nudum dicens, potius ecce, occide me; non ut occidatur, sed ut ille placetur, ut latius Cornelius à Lapide *in d. Genes. cap.* 19. Comitolus *d. libr.* 5. *quæst.* 9.

in fine

17 *in fine.* Et Layman. *d. cap.* 13. *num.* 7. Ad Tertium respondent circa Naaman Syrum; ejus genuflexionem in templo Idoli non fuisse factam ad simulandam adorationem ejusdem Idoli; sed tantummodò ad serviendum, & sublevandum Dominum suum; prout faciebat in cubiculo, in via, & aliis locis; ideò ab Eliseo non fuisse prohibitam; quia nec dirigebatur ad Idolum, nec requirebatur in signum adorationis illius; Ita Baldellus *in Theol. Mor. libr.* 1. *disp.* 14. *num.* 24. *&* 25. & Comitolus *cod. libr.* 5. *quæst.* 9. *num.* 6. Chinenses autem genuflectunt, honorant, & adorant Idolum suum, & ad hunc finem petuntur, ac practicantur prædictæ adorationes; ideò prohibitæ fuerunt à Sacra Congregatione, non obstante tacita intentione adorandi Crucem absconditam intra flores; quia ubi agitur de fide profitenda, nunquam licet simulare; nec facere actiones protestativas falsi cultus, ut probat Eminen. Cardin. de Lauræa *in* 3. *Sent. tom.* 3. *part.* 2. *De fide, ac propagatione ejus, disp.* 11. *art.* 9. *num.* 253. *& seqq.* & plenè legitur in Apologia *PP. Dominicanorum Missionar. Chinensium* Typis impressa Coloniæ *per Hæredes Cornelii Egmond. Anno* 1699. Et hæc omnia deserviunt ad cavendum, ne scandalum activum committatur directè, vel indirectè in ruinam spiritualem populorum.

At circa Scandalum passivum; Canonistæ dant quatuor sequentes regulas. Prima est, pro scandalo passivo vitando non sunt omittenda ea, quæ sine
18 peccato mortali omitti non possunt; ut baptizari, Horas dicere, & pœnitentiam accipere, decimas Ecclesiæ debitas exigere; immunitatem Ecclesiasticam defendere, & similia. *cap. Cum ex injuncto.* Et ibi Glossa *in Verb. dimittenda. De novi operis nunciat.* Idcircò S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, & S. Bellinus Episcopus Patavinus non formidarunt, ob timorem scandali passivi, tueri jura suarum Ecclesiarum, & mortem subire per manus impiorum, prout etiam fecit S. Stanislaus Cracoviensis Antistes in corripienda luxuria Regis Boleslai. Alexander III. pariter non timuit excommunicare Imperatorem Federicum contumacem, ac Sedis Apostolicæ hostem infensum. Et Clemens VII. non omisit, justitiam facere Catharinæ Uxori Henrici VIII. Regis Angliæ, sententiam ferendo super validitate sui Matrimonii, non obstantibus scandalis ab ipso Rege attentatis, lasciviente cum Anna Bolena; ut ex Annalibus Ecclesiasticis Odorici Rainaldi *Anno* 1534. siquidem, *Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. cap.* 3. *De Regul. Jur. cap. Nisi* 10. *Vers. Pro gravi. De renunc. capit. Inter verba* 55. *Vers. Si autem.* 11. *quæst.* 3. *cap. Si illa.* 23. 1. *quæst.* 7. Secunda Regula est, pro vitando scandalo passivo non sunt committenda, quæ sine peccato mortali committi non possunt, ut si puella stupro consentiat, ne is, qui petit, seipsum interimat: *cap. Cum homo.* 23. *quæst.* 5. *cap.* 1. *distinct.* 14. Et ob hanc Regulam Eleazarus, compulsus carnem porcinam manducare, *gloriosissimam mortem magis, quam odibilem vitam complexus fuit.* 2. *Machab.* 6. 19. & ob eandem causam septem fratres Machabæos unà cum Matre, sub Antiocho Rege, legimus tormentis extinctos. 2. *Machab.* 7. quod & omnes SS. Martyres invincibiliter sunt passi. Tertia Regula est, pro evitando scandalo, quis potest committere, quod sine mortali peccato committi potest; ut gestare habitum Ordini suo parum congruentem *cap. Deus* 11. *De Vita & honest. Cleric.* & conformare se moribus eorum, inter quos vivit, *cap. Quisque* 41. *dist.* Quarta Regula est, pro vitando scandalo potest dimitti, quod sine peccato mortali dimitti potest, ut corrigere, seu punire omnes delinquentes, si in magno sint numero. *cap. Latores.* 4. *De Cleric. excom. cap. ult. de Temp. ordinat. cap.* 2. *De Cognat. Spirit.* Et hoc quotidie practicatur in Ecclesia in Matrimoniis, cum occulto impedimento dirimente contractis, in quibus ob timorem scandali permittuntur conjuges in eis permanere, & conceditur dispensatio. Leo *in Praxi Pœnitent. par.* 2. *pag.* 160. & Gobatus *in Quinario tract.* 5. *cap.* 37. *num.* 171. ubi bene declarat, quòd per illa Verba *ad vitanda scandala*, quæ in litteris Sacræ Pœnitentiariæ inseruntur intelligendum est, ne præbeatur occasio peccandi per temeraria judicia, detractiones, odia, dissensiones, aut per imitationem mali exempli; & prædictas quatuor Regulas ex Canonistis antiquis desumptas ponit Fagnanus *in d. cap. Cum ex injuncto. num.* 9. *De novi operis nunciat.* Quæ omnia etsi prolixè ultra intentionem, necesse duxi explicare ad intelligentiam hujus materiæ in mundo frequentissimæ de Scandalo. Nunc breviter innuendum, quando circumstantia scandali sit in Confessione exprimenda.

Igitur qui peccando dedit scandalum sive directum, sive indirectum: aut, quod idem est, sive per se, sive per accidens, ut supra declaratum est 19
de scandalo activo, tenetur omnem circumstantiam ejusdem scandali manifestare in confessione; itaut declaret materiam, in qua datum est scandalum; personas, tum quo ad numerum, tum quo ad statum, quas scandalizavit; sive ex hoc scandalo activo sequutum sit scandalum passivum, idest, quod prædictæ personæ passæ sint ruinam spiritualem, & lapsæ sint in peccatum; sive non. Et in quas species peccatorum ruerint prædictæ personæ scandalizatæ; ut fusè docent Eminentiss. Cardin. de Lugo *disp.* 16. *sect.* 3. *per totam, & sect.* 4. Emin. Cardin. de Lauræa *disp.* 11. *art.* 6. *à num.* 101. *& seqq.* ac DD. quos citat, & sequitur Diana Coordinatus *tom.* 1. *tract.* 7. *resol.* 13. nec non *resol.* 14. ac etiam in *tom.* 7. *tract.* 5. *resol.* 2. *& resol.* 3. Quæ omnes excerptæ fuerunt è vereri Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 113. *aliàs* 114. Item *part.* 5. *tract.* 7. *resol.* 2. *&* 3. Pariterque *part.* 7. *tract.* 6. *resol.* 33. in quibus omnibus firmatur antedicta obligatio peccantis cum scandalo activo, declarandi, ultra circumstantiam sui ipsius personæ, omnes circumstantias concernentes materiam dati scandali, numerum, ac qualitatem personarum scandalizatarum; similque quot, & qualia peccata occasione sui scandali, ab iisdem personis fuerint commissa; eorum enim omnium reus est ille, qui scandalum dedit; idemque noviss imè docet, pluribus DD. citatis Collegium Salmant. *d. tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 92.

Corollarii loco notandum venit, quòd si quis per ignorantiam, aut oblivionem omisisset manifestare Confessario aliquam circumstantiam peccatorum, quæ confessus fuit, qualitatem suæ ipsius Personæ concernentem, de quibus hucusque actum est, satis esset confiteri illam circumstantiam omissam absque obligatione repetendi præteritas confessiones, ut docent Reginaldus *lib.* 6. *num.* 153. & alii plurimi cumulati per Dianam Coord. *d. tom.* 1. *tr.* 3. *resol.* 119. sumpta *ex part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 107. *alias* 108. in veteri, Et hæc de circumstantia QUIS.

DE-

DECISIO XXVII.

ARGUMENTUM.

Disseritur de circumstantia QUID, concernente peccata Pœnitentium, ad duos præcipuè effectus; ut scilicet Confessarius cognoscat, quando mutent speciem, & quando habeant annexam obligationem restitutionis vel bonorum, vel famæ. Repetuntur cursim ferè omnia peccata contra Præcepta Decalogi ad supradictos effectus; & plures circumstantiæ considerantur, potissimùm in peccatis Luxuriæ, & in usu Matrimonii. Dantur doctrinæ, & exempla recentia compensationis damnorum, cum faceta Historia recusatæ Restitutionis famæ.

SUMMARIUM.

1 *Circumstantia QUID, quid sit?*
2 *Infidelitatis peccatum requirit circumstantiam subjecti, ac objecti.*
3 *Blasphemiæ circumstantiæ explicandæ. Et quæ?*
4 *Superstitionis circumstantiæ, quæ?*
5 *Voti, ac Juramenti circumstantiæ.*
6 *Missæ omissæ in die festo circumstantiæ: & indevotè auditæ.*
7 *Parentum contumelia affectorum circumstantiæ.*
8 *Odii, ac Homicidii.*
9 *Luxuriæ, ac peccatorum carnalium; scilicet omnium specierum, Delectationis morosæ, tactuum, &c.*
10 *Jactantiæ de peccato commisso.*
11 *Fornicationis cum libera, & cum filia spirituali.*
12 *Copulæ cum infideli.*
13 *Coeundi modus proprius ex medicorum doctrina.*
14 *Sacrilegii in luxuria circumstantiæ.*
15 *Mulieres distent ab Altari; nec Missæ inserviant.*
16 *Leo Papa III. an ex osculo in manu sibi dato à muliere tentationem sit passus libidinosam?*
17 *Adulterii circumstantiæ. Conjugatorum peccata carnis.*
18 *Maritus an possit desistere à copula ante seminationem?*
19 *Seminans in orificio vasis naturalis an peccet?*
20 *Conjugatorum quo ad copulam obligationes.*
21 *Luxuriæ reliquæ species.*
22 *Dæmon in crimine pessimo nunquam succubus.*
23 *Ablationis rei alienæ vel per sacrilegium, vel per rapinam, vel per furtum.*
24 *Restitutio facienda ex rei alienæ injusta ablatione.*
25 *Damnorum reficiendorum casus duo recentes.*
26 *B. Corradi Eremitæ exemplum restitutionis damnorum.*
27 *Octavum Præceptum Decalogi quot peccatis transgrediatur? eorum explicatio, ac circumstantiæ.*
28 *Causæ non restituendi famam.*
29 *Exemplum detractoris renuentis restituere famam.*

SEcunda circumstantia in confessione explicanda vocatur QUID, quæ quidem concernit 1
ipsum peccatum, quod pœnitens confitetur; non quatenus peccatum est in tua specie prima, & essentiali; sed tanquam formalitas quædam, seu qualitas adveniens peccato; quæ facit illud considerabile ultra suam essentiam ob aliquem ex sequentibus respectibus. *Primò* an sit reservatum, vel habeat annexam censuram; ad hoc ut sciat Confessarius, quomodo se gerere debeat, & an habeat facultatem absolvendi? de quo respectu egimus supra *Decis. XXII. num. 15. & 16. Secundò*, an peccatum sit de illis, quæ multiplicant numerum ex tribus generibus explicatis *Decis. XXIV. num. 11. & seqq.* scilicet vel ex intentione peccandi, vel ex actione in peccando, aut ex forma exprimendi ipsum peccatum. *Tertiò* ad cognoscendum, an ipsa circumstantia gravet tantummodò ipsum peccatum, vel etiam faciat ipsam mutare speciem, prout declaravimus in *Decis. XXV.* per totam. Et *Quartò* ad effectum, ut ab hac circumstantia QUID, intelligat Confessarius, an etiam insit obligatio restitutionis ob damnum, vel nocumentum ab ipso Pœnitente illatum proximo, vel in vitæ, vel in fama, vel in rebus; & quoniam impossibile est omnes circumstantias circa QUID numerare; cùm ipsæ sint innumeræ, (ut ait Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœnit. disp. 11. art. 6. n. 151.*) ideò hìc præcipuas referemus, servato ordine præceptorum Decalogi, ad faciliorem Parochorum, Confessariorumque instructionem, tum circa mutationem specierum, tum circa obligationem restituendi.

Quo ad Primum Præceptum. In peccato infidelitatis oportet explicare circumstantiam tum *subjecti*, tum *objecti*. Illa dicitur circumstantia *subjecti*, 2
quæ ostendit sectam, ad quam pœnitens per peccatum infidelitatis deflexerat, puta si ad Paganismum, vel Judaismum, vel ad Turcas, ad Apostatas, aut Hæreticos. *Objecti* autem circumstantia est, declarare errores particulares, quos fuerat professus; ut si negasset SS. Trinitatem cum Sabellianis; consubstantialitatem Filii cum Arianis; Spiritum Sanctum cum Macedonianis; veritatem SS. Eucharistiæ cum Calvinistis, ac Lutheranis; & sic de erroribus aliis contra fidem. Ratio autem est; quare hæ circumstantiæ in specie sunt à pœnitente manifestandæ; & non sufficit, se accusare genericè, dicendo aberravi à fide; quia omnes prædictæ infidelitates habent malitiam specie diversam; opponuntur diversis bonitatibus; & diversis legibus prohibentur. Siquidem Judaismus, ac Turcismus habet circumcisionem, cui inest malitia superstitionis. Paganismus retinet Idololatriam; Calvinismus, & Lutheranismus negat Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ac Sacrificium Missæ, & admittit ritus damnatos ab Ecclesia; & per consequens tum secta, tum errores infidelitatis sunt specificè confitendi; ut probant Castropalaus *tom. 1. tr. 4. disp. 2. punct. 1. n. 6.* Leander *de Pœnit. disp. 8. sect. 2. per tot.* & alii apud Collegium Salmanticen. *d. tr. 6. cap. 8. n. 100.* Novissimè Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 11. à n. 228. & seqq.* ubi contrarium asserentes redarguit.

Quo ad Secundum Præceptum: Si Pœnitens se accuset de peccato blasphemiæ, debet explicare qua- 3
litatem blasphemiæ, an fuerit hæreticalis, an non.

Et an fuerit contra Deum, vel contra Deiparam, vel contra Sanctos; & ratio est, quia prædictæ omnes blasphemiæ differunt specie inter se. Vel si processissent ex odio Dei, hæc etiam circumstantia esset explicanda, ut probat Sanchez *in Decalog. lib.2. cap.32. num.39.* nam sicut blasphemia se opponit reverentiæ Dei, odium est contra Divinam charitatem; prout etiam blasphemiæ contra Deiparam habent malitiam specialem ab illis, quæ evomuntur contra Sanctos, ob excellentiorem cultum Hyperduliæ, quo Beatissima Virgo honoratur, eo Duliæ, quo cæteri Sancti coluntur. Præterquam quod in blasphemiis, & conviciis contra Sanctos duæ sunt specificæ malitiæ; una, contra illam personam, quæ contumelia afficitur, cùm sit per se digna honore: altera, quatenus illa malitia redundat in Deum ipsum, qui vult honorari in Sanctis suis. Ricciullus *De Personis in statu reprobo versan. libr.1. cap.7. num.14. & seqq.* Erotemata mea Ecclesiastica *capit.34. per totum*; ubi *num.5.* docui, blasphemiam committi tribus modis, per simplicem maledictionem, per convitium, ac per irrisionem; quos modos exemplis declaravi; & quòd blasphemia etiam fit scriptis, & factis contumeliosis in Deum, Deiparam, vel Sanctos; *& num.27.* ubi demonstravi pœnas infligendas in blasphemos; ac tandem *num.39.* ubi ex Volpi *resol. 26. num.24.* docui, blasphemiam eructatam in Ecclesia, vel loco Sacro non esse circumstantiam mutantem speciem, sed notabiliter aggravantem; & propterea tutius esse eam exprimere unà cum supradictis aliis speciem mutantibus ob diversas malitias. Collegium Salmanticen. alios DD. cumulans *d. tract. 6. cap 8. num.93.* ac Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in cit. disp.11. art.6. §.5.* Concordant DD. apud Tamburinum *de Exped.Confess.lib.2. cap.3. §.1.* addens, quòd qui uno impetu plures blasphemias profert, censetur unum tantùm numero peccatum committere, at saltem esse circumstantiam notabiliter aggravantem, & salubrius explicandam est dicendum.

Si verò Pœnitens se accuset de Superstitione vel
4 Divinatione, debet exprimere circumstantiam pacti cum dæmone; an fuerit implicitum, vel explicitum, quia facit differre specie. Item si dæmonem adorasset; nam commisisset Idololatriam; si adhibuisset res Sacras; nam reus esset Sacrilegii, si intendisset mortem, vel bona alicujus, quia esset peccatum homicidii, vel furti. Sanchez *in Decalog. libr.2.cap.38. à num.66.* Tamburin. ubi supra *libr.2. capit.2. §. num.15. & 16.*

Qui vovet facere rem aliquam de Præcepto, ut
5 jejunare in Quadragesima, in quatuor Temporibus, vel audire Missam in die festo, & votum confirmat Juramento, committit tria peccata specie diversa, si non servet promissum; ideò has tres omnes circumstantias tenetur confiteri. Sanchez *lib.7. de Matrim. disp.27. num.26.* Tamburin. *d. lib.2. cap.3. §.2. num.19. & 20.* addens §.3. *num.23.* quòd qui frequenter jurat falsum ex consuetudine, tenetur circumstantiam consuetudinis manifestare, quia habet specialem malitiam, prout in aliis peccatis ex consuetudine, ùt se inebriandi, blasphemandi, se polluendi, ac similibus, ut docet Sanchez *in Decalog. lib. 3. capit. 5. num. 13. & 14.*

Quo ad Tertium Præceptum Decalogi. Qui 6
non audit Missam in die festo ob aliquem malum finem, puta, ut interim furetur bona alicujus, vel carnale peccatum committat; etsi furtum, vel carnalis copula non sequatur, tenetur has circumstantias aperire, quia faciunt peccata numero, ac specie diversa. Tamburin. *d.libr.2.cap.1.§.11.num.73. & 74.* Prout etiam qui se inebriavit die festo, & ea de causa non potuit audire Sacrum. Gobatus in *Quinario tract.5. cap 45. à num.3. & seqq.* Ulteriùs, qui durante Missa, non genuflectit, vel confabulationes habet cum aliis, eos impediendo, ne Missam audiant, debet manifestare has circumstantias, quæ habent malitias specie diversas, nempè irreverentiæ actioni sacræ, scandali cum proximo, & non adimplementi Præcepti de audienda Missa. DD. apud Summam Dianam *Verb. Missam audire, n.14.* Erotemata mea *cap.47. num.18.*

Quo ad Quartum Præceptum; circa contume- 7
lias, injurias, vel offensas illatas parentibus, ac sanguine conjunctis, in primis explicandæ sunt circumstantiæ personarum ipsi pœnitenti contumelioso attinentium; videlicet, an hæ sint Pater, & Mater. Non solùm enim aggravant peccatum, sed mutant speciem ob singularem amorem, & reverentiam per filios genitoribus suis debitam. Idem de injuriis per genitores illatas filiis; nec non per fratres fratribus, ac sororibus; adeòut non sufficiat dicere in confessione, contumeliis, injuriis, vel verberibus affeci parentes, seu consanguineos; sed primum gradum supradictorum sit manifestandum. Molina *de Just. & Jur. tom.1. disp.7.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Pœnit. disp.16. sect.6. à num.303.* Collegium Salmanticen. *d. tract. 6. cap.8. à n.82. & seqq.* & Tamburin. *d. libr. 2. cap. 5. per totum*; ubi idem asserunt de Marito, ac Uxore; & de injuriis illatis Superiori tum Ecclesiastico, tum Laico; talis enim circumstantia Superioritatis est fatenda, ob duplicem specie malitiam, contra charitatem erga proximum, & contra reverentiam erga Superiorem; idemque dicendum, si offensus fuisset contumeliis, ac injuriis magnis Pœnitentis benefactor.

Quo ad Quintum Præceptum. Qui odio habuit
proximum suum, eique malum desideravit, puta mortem, inopiam, infamiam, etsi Tamburin. *d lib.2. cap.6. §.3.* putet, sufficere, si Pœnitens in Confes- 8
sione dicat, desideravi malum proximo; probabilius tamen, ac tutius est exprimere qualitatem mali voliti, quia si fuerit de eo occidendo, vel de ejus bonis surripiendis, vel detractionibus illum infamando, sunt peccata contra diversa præcepta; ideò sunt circumstantiæ aperiendæ, tanquam mutantes speciem. *cap. Propterea. de Pœnit. dist.1.* idque constanter defendit Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.11. art.6. §.3.* per totum *à num.191. & seqq.* ostendens, ex contraria sententia sequi magnum absurdum; nempè, quòd satis esset in confessione dicere: *Peccavi contra Deum, vel proximum; & nihil aliud*, quod est hæresis. Porrò qui actualiter occidisset plures, debet numerum, & conditionem interfectorum explicare, quia si inter eos esset vel Clericus, vel parens, aut consanguineus in primo gradu, vel Superior, peccatum non solùm esset numero diversum, prout supra dictum est, sed etiam specie; & idem dicendum, etiamsi unico ictu plures

tes occidisset, quod notant atque docent DD. apud Collegium Salmanticen. *d. tract. 6. cap. 8. n. 71.* Quòd si quis occidat hominem, deindè discerpat cadaveris membra, extrahatve jecur, cor, vel similia, obligatus est fateri has circumstantias, quia habent malitiam specie diversam ab homicidio; nempè malitiam feritatis. Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp. 16. sect. 12. num. 497.* Et Tamburin. *d. lib. 2. cap. 6. §. 1.* De circumstantia autem loci Sacri, in quo factum fuisset homicidium, seu vulnera inflicta, dicemus infra in circumstantia UBI.

Quo ad Sextum, & Nonum Præceptum; quia per Moralistas plures indecentissimæ circumstan-
9 tiæ referuntur in materia luxuriæ, ab his ex modestia abstinebo, & solùm necessarias narrabo. Primò igitur in peccatis carnis tam internis, quàm externis explicanda est conditio utriusque personæ; idest cogitantis, seu agentis, & illius, ad quam cogitat, vel cum qua agitur; nam ex diversitate status earum insurgit diversitas specierum, seu circumstantiarum mutantium speciem, ut omnibus notum est. Si enim alterutra persona sit religiosa, committitur *Sacrilegium*; si uxorata, *Adulterium*; si Virgo, *Stuprum*; in quo peccato inest obligatio dotandi puellam stupratam. Farinacius *de Delictis carnis quæst. 147. à num. 97. & seqq.* & Gobatus *tract. 10. num. 198.* Si consanguinea, vel affinis *Incestus*; si alterius sexus, *Sodomia*; si alterius speciei, *Bestialitas*; idcircò circumstantiæ personarum sunt exprimendæ. *cap. Si propterea. De Pœnitent. dist. 1.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 11. art. 6. §. 2.* Et quidem si in sacrilegio, vel in adulterio utraque persona sit religiosa, vel conjugata, utriusque status (non nomen) est exponendus ad Confessionis integritatem. Diana *part. 11. tract. 5. resol. 51.* quæ in Coordinato jacet in *tom. 1. tract. 7. resol. 97.* Castropalaus *tom. 1. tract. 2. disp. 3. punct. 3. num. 9.* & alii plurimi apud Collegium Salmanticen. *d. tract. 6. cap. 8. num. 71.* quod innuimus supra *Decis. XXVI. num. 7.* Et quamvis Tamburinus, infra citandus, loquens de sola delectatione morosa carnali, absque desiderio eam actu exercendi, concedat, non esse exponendam circumstantiam personæ, erga quam, seu circa quam quis morosè delectatur, puta si esset conjugata, consanguinea, vel Monialis; contrarium tamen est tenendum, quia ex objecto, in qua versatur delectatio morosa, mutatur species peccati; præter moralem impossibilitatem delectandi, & non concupiscendi personam, in qua homo sistit moralem delectationem; quod refragari non audet ipsemet Tamburinus *d. libr. 2. cap. 7. §. 1. num. 3. & 4.* ubi quòd idem tenendum est de aspectibus turpibus erga personas vel sacras, vel conjugatas; & multò magis de tactibus earundem ad malum finem, seu ex carnali delectatione, ac de colloquiis inhonestis cum delectatione; est enim narranda species carnalitatum, de quibus pœnitens sit locutus; ac ratione scandali, referendæ qualitates personæ, & numerus, coram quibus sic turpiter sit locutus.

Et quoniam non desunt, imò plurimi reperiun-
10 tur, *qui lætantur, cùm malefecerint; & exultant in rebus pessimis, Prov. 2. 14.* non levis est altercatio inter Theologos; an qui se jactat de peccato carnali commisso, teneatur in Confessione non solùm se accusare de peccato jactantiæ, sed etiam debeat exprimere peccati speciem, de qua se gloriatus est, ac jactavit. Et equidem si prædicta jactantia sit cum complacentia de eodem peccato, omnes concedunt, esse confitendam speciem ejusdem peccati, quia ipsa tanquam ab objecto specificatur, & recipit novam malitiam distinctam à sola jactantia. Castropalaus *tom. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 11. num. 5.* Sanchez, Diana, Eminentiss. Cardin. de Lugo, Dicastillus, & alii apud Collegium Salmanticen. *d. tract. 6. cap. 8. num. 77.* Et idem dicunt de jactantia vindictæ, furti, aut alterius iniquitatis. At si jactantia, & laudatio de peccato commisso sit absque complacentia ipsius, negant necessitatem aperiendi in Confessione speciem ipsius peccati, ex eo quia tota malitia jactantiæ videtur posita in captanda gloria ex malefactis. Bassæus *tom. 2. Verb. Jactantia. n. 2.* Diana *part. 3. tract. 4. resol. 160. aliàs 161.* nec non *part. 4. tract. 4. resol. 44.* ac etiam *part. 11. tract. 7. resol. 36.* Quæ sibi obtinuerunt sedem in Coordinato *tom. 1. tract. 7. resol. 37. 38. 39.* Quibus adhæret Tamburinus *lib. 2. cap. 7. num. 10.* Cæterùm contrariam sententiam, quæ verior est, probabilior, ac securior, tuentur Sanchez *in Decal. libr. 1. cap. 3. num. 13.* Candidus *Disquis. 24. dub. 31.* Lessius *de Just. & Jure. libr. 2. cap. 47. num. 42.* & alii, quos citat, & sequitur Collegium Salmanticen. *d. tract 6. cap. 8. num. 80.* ea ratione, quia, qui se jactat, & laudat de commisso peccato, non solùm quærit gloriam de peccato, sed etiam approbat ipsum peccatum; atqui approbatio peccati mortalis non potest reduci ad eam speciem, ad quam pertinet ipsum peccatum mortale, quod approbatur, cùm ab illo approbatio, sicuti & affectus procul dubio specificetur. Ergo præter malitiam inanis gloriæ, quæ reperitur in jactantia illa, qua graviter peccatur contra reverentiam Legis Divinæ, est etiam alia distincta malitia necessariò explicanda in Confessione, quæ reducitur ad speciem peccati carnalis, seu alterius generis, commissi, quatenus per illam jactantiam, & laudationem peccatum ipsum approbatur; & huic sententiæ firmiter adhæret Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 11. art. 6. §. 6. à num. 236.* Nec obliviscatur lector, quòd jactans se coram pluribus de peccato, debet exprimere numerum, ac qualitatem personarum, coram quibus se jactavit, ratione scandali, ut diximus supra *Decis. XXVI. num. 19.*

Igitur reus fornicationis debet exprimere, se fornicatum fuisse cum muliere libera tot vicibus; 11
quòd si cum diversis mulieribus peccaverit, non tenetur explicare mulierum diversitatem, nisi interrogetur à Confessario. Tamburin. *d. libr. 2. cap. 7. §. 4.* Quando autem meretrici sit imponenda restitutio pecuniæ acceptæ vel à filiofamilias, vel à Religioso, dixi in *Decisionibus meis Anni 1686. de Restit. Mense Februar. Cas. 1.* Quòd si fornicator fuisset Confessarius ejusdem mulieris, cum qua ex accidenti coiret, hanc circumstantiam esse fatendam alii affirmant, alii negant; supposito, quòd nullo modo Sacerdos usus sit aliquo prætextu ad Sacramentum, vel spiritualem filiationem spectante. DD. pro utraque opinione allegati à Collegio Salmanticen. *d. tract. 6. cap. 8. à num. 58. & seqq.* Porrò si eandem mulierem sollicitasset ad turpia in Confessione, vel occasione

casione Sacramenti Pœnitentiæ ante, vel post ad copulam perveniſſet, vel ſub aliquo prætextu Patris Spiritualis, hæc circumſtantia eſſet omnino confitenda, quia habet malitiam mutantem ſpeciem; & ultra peccatum fornicationis, intrat aliud peccatum Sacrilegii, ac Scandali; quod graviſſimis pœnis punitur ab Eccleſia; ut oſtendunt mea Erotemata, *cap.*126. *per tot.* in quo plenè cumulavi materiam ſollicitationis, & obligationem denunciandi Confeſſarios ad turpia ſollicitantes. Quòd ſi ad alia delicta ſollicitarent pœnitentes, puta ad furtum, ad vindictam, non eſſent denunciandi S. Officio; ſed peccarent triplici peccato, Sacrilegii contra Sacramenti reverentiam; Scandali contra charitatem proximi; & illius peccati, ad quod excitarent pœnitentem; ideòque hæc triplex circumſtantia eſſet ab eodem confeſſario manifeſtanda.

Qui habet copulam cum Infideli, vel naturalem, vel contra naturam, debet hanc circumſtan-12 tiam declarare, quia eſt alia ſpecies peccati contra Religionem. Sanchez *de Matrim. libr.* 7. *diſp.* 5. *num.*12. Eminentiſſ. Card. de Lugo *d. diſp.*16. *ſect.* 6. *num.*336. Sed quando in copula naturali non ſervatur debitus modus, ſed exercetur coitus vel ſtando, vel ſedendo, aut à latere, aut præpoſterè, vel viro ſuccumbente, dummodo ſervetur vas naturale, & ſemen extra illud non effundatur, non ſunt circumſtantiæ mutantes ſpeciem; & ſic neceſſariò non confitendæ. Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *diſp.*16. *num.*3. Tamburin. *d. lib.*2. *cap.*7. §.4. *num.*25.

Porrò hic non deſinam notare, quod ſcribit Zac-13 chias infra allegandus, videlicet, Mercurialem ex Lucretio, & Paulo, docuiſſe *in libr. de Morbis Mulier. quæſt.*1. *Var. Lect. cap.*6. ad generationem conferre, ſi ab hominibus coitus exerceatur more belluarum à tergo; quem modum coeundi aſſerit naturalem, etſi minùs voluptuoſum; ea ratione, quia meliùs, & promptiùs recipitur ſemen ab utero feminæ; ſed hanc ſententiam eſſe falſam, & modum Veneris exercendæ magis naturalem eſſe à parte ante, ex ipſa Anatome demonſtrant Severinus Pinæus *libr.*1. *de not. Virg.* & M. Ant. Ulmus Patavinus *libr. de Barba hum. ſect.*3. *cap.*9. Quibus conſentit ipſe Zacchias *in QQ. Medicolegal. tom.*1. *libr.*3. *tit.*2. *quæſt.*7. *num.*23. addens ex modo præpoſtero coëundi partus conceptos naſci non naturali modo in caput, ſed in pede, aut alia extraordinaria forma, cum evidenti periculo vitæ maternæ; ut ipſe vidit in praxi cum diverſis mulieribus, quæ ſibi tanquam Medico faſſæ fuerunt, à viris ſuis poſtica Venere ſemper fuiſſe cognitas; concludens ſubindè, quòd actus coëundi hoc modo celebratus inducit peccatum, ut pluribus probat Brunellus *de Sponſ. & Matrimon. concluſ.* 8. *num.* 13. Quare cavendum eſt à Moraliſtis aſſerentibus contrarium, & tenendum eſt, hanc circumſtantiam coeundi more beſtiarum eſſe confitendam tanquam peccaminoſam; & à Confeſſariis eſſe coercendos Viros, qui accedunt ad mulieres Venere poſtica, etſi naturale Vas non immutent. Si hæc præter honeſtatem videntur relata, excuſetur neceſſitas argumenti, ut veritas habeatur. Alias turpitudines extra vas ante ſeminationem exercitas, ſaltem tanquam circumſtantias notabiliter aggravantes exprimendas eſſe, nemo eſt, qui neget, ſi tutiorem opinionem ſequatur.

Sacrilegii crimen committit, ut jam dictum eſt, qui Votum caſtitatis habens rem veneream agit mente, vel actu, & hanc circumſtantiam tenetur 14 declarare; ac eam duplicem, ſi cum alia perſona eodem Voto adſtricta turpiter ſe gerat; ut docet Tamburin. *d. libr.*2. *cap.*7. §.5. At ulteriùs eandem ſacrilegii circumſtantiam, & irreverentiæ in Deum narrare debet, qui feminam concupiſcit vel dum Miſſam celebrat, vel dum aliis Euchariſtiam adminiſtrat; vel ſi Laicus eſt, immediatè ante, vel poſt Communionem ſe in turpem illam concupiſcen- 15 tiam trahi ſinit. Tamburin. *d. libr.* 2. *cap.*7. §.5. *num.*38. *Verſ. Turpiter.* Hinc abuſum magnum eſſe aliàs docuimus, quòd Mulieres propè Altaria, dum celebratur, accedant. *de Sacrificio Miſſæ, Deciſ.*6. *num.*16. nam ad removenda pericula tentationum ſemper prohibitum fuit mulieribus, celebranti miniſtrare. *cap.* 1. *in fine. de Cohabit. Clericor. & mulier.* Barboſa *de Jure Eccleſ. Univerſ. libr.* 2. *cap.*7. *num.* 24. & in Concilis ſtatutum, ut in Eccleſiis ſepararentur à viris, & ſic ſeparatæ reciperent Sacram Synaxim. Eminentiſſ. Cardin. Bona *Rerum Liturgic. libr.*1. *cap.*20. *num.*6. & Mabyllon *de Liturgia Gallic. libr.*1. *cap.*5. *num.*24. Et hic referendum 16 foret, niſi fabuloſum reputaretur, quod ſcribit Joan. Palatius *in Geſtis Pontific.* de Leone III. Pontifice Romano XCVIII. *pag.*403. his verbis: *Pontificatus exordio carnis incendium paſſus eſſe dicitur ex oſculo, quod manui ſuæ Mulier impreſſerat: additur, oſculatam manum ſibi ipſi cum præſcidiſſe.* Sed quidquid fuerit de hac narratione, quam refutat etiam Eminentiſſ. Card. Baronius *Anno Chriſti* 745. *num.*41. controverti non poteſt id, quod Apoſtolus Paulus præcipit Corinthiis; ſcilicet, quòd in Eccleſia *Mulier debet habere velamen ſupra caput ſuum propter Angelos.* 1. *Cor.*11.10. quæ verba, ut *ibidem* notat Tirinus, explicantur à S. Anſelmo, & à S. Thoma ex S. Ambroſio, *propter Sacerdotes, & Epiſcopos,* & à S. Clemente Alexandrino ob *quosvis viros bonos.*

Adulterium committi, ſi conjugatus cum alia 17 perſona coeat, certum eſt, hancque circumſtantiam tanquam mutantem ſpeciem eſſe exprimendam; prout utriusque conjugium, ſi uterque ſimul peccans ligamine Matrimonii ſit adſtrictus, probavimus ſupra *Deciſ. XXVI. num.*7. nunc autem addendum eſt, quòd quæcumque alia crimina carnalia ab uxoratis commiſſa, explicanda ſunt in ſua ſpecie, addita ſemper circumſtantia Matrimonialis ſtatus, in quo pœnitens reperitur; ut in oſculis, tactibus impudicis, mollitie, beſtialitate, ſodomia (etiam cum propria uxore) ac ſimilibus, ob ſpecialem injuriam, quæ cum his carnalibus immunditiis fit Matrimonio. Sanchez *libr.*9. *de Matrim. diſp.* 18. *num.*4. Tamburinus *d. libr.*2. *cap.*7. §.6. Sed quid imponendum adultero, & adulteræ, ſi naſcatur filius, ex adulterio, qui credatur genitus à marito, & ſint alii filii legitimi, cum quibus concurret adulterinus ad hæreditatem paternam? Videantur meæ Deciſiones *de Reſtitutione Anno* 1686. *menſe Junio, Caſu Primo.* Hic autem duo quæſita currenti calamo, quia fœtent, circa maritatos ſunt examinanda, quorum decidendorum vera ratio non ita facilè reperitur apud Theologos, & ea refert tanquam Medicus Zacchias *in d. QQ. Medicolegalib. libr.*7. *tit.*3. *quæſt.* 6. *num.*7. & 10. Primum eſt, an liceat 18 Marito deſiſtere à copula incœpta absque proprii ſeminis effuſione? Et licere, reſpondet Pontius *de Matrim. libr.*10. *cap.*11. *num* 9. dummodo tamen Uxor ſit contenta, & in Marito non adſit periculum ſpontaneæ pollutionis. At ipſe Zacchias Medi-

Medicus hanc secundam cautionem reputat impossibilem in Viro: nam, ait, in Venere exercenda semper à parte Viri concurrit calor, ac spiritus ad genitalia membra, ex quibus fit erectio, dehinc ex motu, & agitatione majorem in modum loca excalfiunt, & semen facili negotio ad exitum excitatur; & sic si Vir à coitu desistat, facillimè, vel modica ex occasione, etiam in vigilia, aut in somnis, sequitur ejus effusio. Hæc autem non semper locum habent in muliere, quæ interdum absque ulla excalfactione, absque ulla membrorum erectione, absque ullo Veneris appetitu, absque ullo motu, & agitatione, coitum exercet. Itaque in Viro videtur inevitabile periculum pollutionis, non etiam in muliere, nisi valdè in Venerem sit accensa. Quare tenendum est, hanc desistentiam à copula incœpta non esse licitam in Viro, & esse circumstantiam exprimendam in Confessione, quia facit actum lethalem, ut docent Sylvester, *Verb. Debitum. quæst.* 7. Graffius *Decis part.* 1. *libr.* 2. *cap.* 82. *num.* 16. Ledesma *de Matrim. quæst.* 49. *art.* 6. *dub.* 2. *conclus.* 4. & Henriquez *libr.* 11. *de Matrim. cap.* 15. *num.* 4. Et non esse attendendam Sanchezii opinionem, ac aliorum, quos citat *libr.* 9. *de Matrim. disput.* 19. patet, quia ipse cum assectis non considerant periculum pollutionis ex prædicta copula imperfecta. *Fornicarius autem*, ait Tamburin. *d. libr.* 2. *cap.* 7. §. 4. *num.* 26. *qui incipit, nec absolvit copulam, debet explicare, quia licet tunc sit fornicatio ex affectu; non tamen est reipsa fornicatio, sed tactus impudicus.*

Aliud Quæsitum est, an seminante Marito in
19 orificio Vasis naturalis suæ conjugis, peccet; & debeat hanc circumstantiam manifestare? Respondet Zacchias Medicus *d. quæst.* 6. *num.* 10. quòd uterus, seu vas naturalis mulieris dividitur à Medicis in tres partes, in os externum, in collum, & in os internum; subindè ait, quòd ad finem generationis expedit, ut Vir quàm penitissimè membrum in uterum intrudat; nihilominùs, si aliqualiter ab ea intrusione deficiat, si seminet saltem intra os externum uteri, ob ejus attractricem facultatem, potest semen ad se allicere, & obtineri generatio. Sequitur, ad evitandum peccatum, saltem intra os externum esse seminandum; & quòd seminans non intra, sed propè, peccat; & hanc circumstantiam tenetur exprimere; non attentis contrariis Moralistarum dictis, de quibus Armilla *Verb. Debitum conjug. Vers. Quarto quæritur*; quæ ridicula, & inania appellat doctissimus Medicus prædictus.

Demùm, circa Maritorum peccata in usu Matri-
20 monii, non sunt ignorandi à Confessario hi versus, quos ponit, & declarat Eminentiss. Card. Toletus *lib.* 7. *in Sum. cap.* 24.

Sit Modus, & Finis, sine damno solve, cohære:
Sit locus, & tempus, tactus, ne spernito Votum.

Modus est, de quo supra verba fecimus, ut non more belluarum, sed antica venere, muliere succuba, Viro incubo conjugium exerceatur. Sanchez *d. lib.* 9. *disp.* 16. *num.* 1. *Finis* est, ut maritus affectum dirigat in ipsam uxorem coeundo, non in alienam. *Damnum*, ut caveat ab uxoris abortu, si sit gravida. *Solve*, ne petenti debitum denegetur absque urgenti causa, potissimùm infirmitatis. *Cohære*, ut cohabitent simul in eadem domo, ac thoro; nisi ex legitimo motivo, quòd solet esse adulterium, separati sint. *Sit locus*, idest non sacer; sit *tempus*, idest non dies sacræ communionis, vel solemnitatis magnæ. *Tactus*, nempè non causativi pollutionis, *Ne spernito Votum*. Si enim conjuges ex communi consensu Votum castitatis fecissent, peccarent coeundo, non obtenta prius dispensatione; ut latiùs per Eminentiss. Toletum *d. libr.* 7. *cap.* 24. & 25. & per Sanchez *de Matrimon. d. libr.* 9. *per totum.*

Pro reliquis luxuriæ speciebus non est fas im-
morari, cum ad earum circumstantias in confessio- 21
ne exprimendas satis sit, ipsas species cognoscere, quæ sunt *Incestus*, cùm carnalia peccata patrantur cum consanguineis, seu affinibus; quorum gradum, saltem primum esse specificandum, diximus supra *Decis. XXV. num.* 11. *Stuprum*, cum Virgine reluctante. *Raptus*, cùm mulier, sive puer à domo parentum per vim, aut fraudem abducitur. *Mollities*, quæ est voluntaria extra Vas debitum seminis effusio ob delectationem veneream, in qua intentionis, seu objecti circumstantia præcipuè est explicanda, præter numerum pollutionum. *Crimen pessimum* perfectum, nempè concubitus Viri cum viro, fœminæ cum fœmina. Imperfectum Viri cum fœmina. *Bestialitas*, quæ est coitus cum re animata non ejusdem speciei cum homine; nempe vel cum brutis, quorum speciem explicare non est necesse; vel cum dæmone; & in hoc immani flagitio expressè confitendo variæ circumstantiæ occurrere possunt manifestandæ; an interfuerit cum ipso hoste pactum aliquod; sacrarum rerum, vel imaginum abusus; An fuerit fœminea in forma, vel in virili; Incubus, vel succubus; An in figura Uxoratæ, Consanguineæ, aut Religiosæ; An congressus fuerit naturalis, vel contra naturam. Ut latiùs considerandum scribit Tamburinus *d. libr.* 2. *cap.* 7. §. 7. 8. 9. & 10. ubi DD. allegat; & P. Segnerius *in Confessario instructo cap.* 12. Ubi *num.* 4. de ne- 22
fando crimine unum singulariter notandum refert; dæmonem, scilicet, sæpè succubum fuisse in fornicatione; sed nunquam in præpostera Venere, adeò eam turpem, & execrandam agnoscit.

Quo ad Septimum, ac Decimum Decalogi præ-
ceptum; nimium opus esset referre omnes casus, & omnes circumstantias, tum aggravantes, tum mutantes speciem in peccatis sivè opere, sivè mente contra hæc præcepta commissis, habentibus obligationem restitutionis rei alienæ, vel damnorum illatorum; ad quam præcipuè Confessarii tenentur respicere. Idcircò duo tantummodo consideranda 25
Lectori hic proponam. *Unum* est, quòd ablatio rei alienæ, & damnificatio in bonis proximi causat tria peccata specie diversa, nempè *Sacrilegium*, *Rapinam*, & *Furtum*; quas quidem species exprimere oportet in Confessione pro ejus integritate. *Sacrilegium* est ablatio furtiva rei sacræ, vel Ecclesiæ, & committitur tripliciter. *Primò* surripiendo rem sacram de loco sacro, ut Calicem de Sacristia. *Secundò* auferendo rem sacram de loco non sacro; ut si quis furetur prædictum Calicem de domo Parochi, vel Æditui, aut Massarii. *Tertiò* auferendo rem non sacram de Jure Ecclesiæ, ut ejus pecuniam, ceras, oleum, vel aliam rem quamcunque profanam, sed consignatam, aut commodatam ipsi Ecclesiæ. Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp.* 16. *sect.* 10. *à num.* 469. & alii apud Tamburinum *d. libr.* 2. *cap.* 8. *num.* 5. qui propterea advertunt, quòd furari rem ad Ecclesiam non pertinentem in Ecclesia, ut crumenam divitis in ea orantis, non est Sacrilegium, sed simplex furtum. Quam tamen assertionem rejicit Collegium Salmanticen. *d. tract.* 6. *cap.* 8. *n.* 102.

per text. *in cap. Quisquis.* 17. *quæst.* 4. ubi generaliter loquitur; & dicitur, esse Sacrilegium surripere rem ex Ecclesia; cui semper fit injuria. Porrò si Sacrilegium modis supra relatis fiat cum fractione muri, seræ, portæ, vel fenestræ Ecclesiæ, fur incurrit excommunicationem latæ sententiæ, *cap. Quisquis* 17. *quæst.* 4. *& cap. Conquesti* 22. *de Sentent. Excommunic.* Quæ post denunciationem factam nominatim ab Episcopo, est Papæ reservata; secùs autem antequam fur sacrilegus denuncietur excommunicatus; quia tunc facta restitutione, ac data satisfactione loco Sacro potest ab omni Confessario absolvi. Thesaurus *de Pœnis, part.* 2. *Verb. Sacrilegium cap.* 3. & ibi Doctores. *Rapina* est rei alienæ ablatio, sed cum violentia, & per consequens contumeliosè contra dominum. *Furtum* verò est contrectatio rei alienæ occulta; cujus valor, aut quantitas exprimenda venit in Confessione; ut Confessarius sciat, quomodo se gerat circa imponendam obligationem restitutionis; maximè si de dicto valore, aut quantitate interroget pœnitentem, quem de ea interrogare omnis Confessarius prudens tenetur. Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp.* 16. *sect.* 3. *num.* 123. & Tamburin. *d. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 1. nam in omnibus supradictis casibus imponenda est Restitutio, de qua latè egi in d. meis Decisionibus *Anni* 1686.

Alterum considerandum, quod Confessariis propono est, in quacunque injusta ablatione rei 24
alienæ; & in peccatis, ex quibus damnum illatum est proximo in bonis temporalibus, faciendam esse restitutionem eidem proximo damnificato, vel æqualem compensationem damnorum. Verùm qui, & quot sint casus obligantes ad restitutionem? non est præsentis Decisionis exponere; plurimi enim, & innumeri sunt, tum ex actuali injusta ablatione rei alienæ per furtum, rapinam, & Sacrilegium; tum per contractus usurarios, & illicitos; de quibus satis abundè tractavi in Decisionibus meis *Anni* 1685. *de Usuris*; ac etiam in subsequentibus Decisionibus *Anni* 1686. in quibus materiam Restitutionis exposui, & singulis mensibus per varia quæsita, & jucundos, ac practicos casus obligationem de re aliena restituenda, damnisque illatis compensandis enucleavi; ad quas Decisiones studiosus recurrat. Pro nunc retineatur certum hoc principium, quòd qui damnum intulit proximo per actionem injustam, debet eum resarcire; ut fusissimè probat Eminentiss. Card. de Lauræa *in* 3. *libr. Sent. tom.* 2. *de Virtutibus Cardinalib. disp.* 23. *art.* 2. §. 2. *per tot.* Et juxta hoc principium respondi, esse obligatum restituere 25
damna, & expensas; *Primò* Paulum, qui deferens secum contrabannum sericeum, hospitatus cum eo in domo Petri, causa fuit, ut Petrus, etsi inscius, & innocens, processatus à justitia fuerit passus multa damna, ac expensas. *Secundò*, nonnullos habitantes septem Communium, qui rogarunt venditorem casei, ac butyri, indè Patavium cum equo venientem, ut deferret supellectilia eorum consanguineo, in carceribus Prætoris Urbis ob delictum detento; in quibus supellectilibus intruserant instrumenta ferrea ad fracturam carceris, quem fregit, & aufugit; & hac de causa carceratus fuit prædictus casei venditor, qui ad probandam suam innocentiam, & obtinendam sui ipsius liberationem multas expensas, ac damna pariter fuit expertus. Tandem ad restitutionem tenentur non solùm surripientes rem alienam, ac cooperantes. *cap. Qui cum fure. de furtis*; sed etiam, qui ex officio obligati sunt ad rei ablatæ custodiam ex officio, ut Tutores, Depositarii, Guardiani, ac similes; nisi se omni culpa carere demonstrent. Rota *part.* 2. *recent. decis.* 762.

Non est hic tacendum insigne in resarciendis damnis illatis exemplum B. Corradi Eremitæ, qui 26
cùm esset Nobilis Placentinus, & nimis deditus venationi, quadam nocte posuit ignem in Sylva ad feras excitandas; sed vento ignis auctus combussit nonnullas domos, ac familias non longè stantes; quæ accusarunt reum illius incendii quemdam hominem pauperem; qui carceratus, positus ad tormenta, præ nimio dolore, fassus fuit, se sylvam incendisse; undè fuit damnatus ad mortem. Corradus, his auditis, se Judici præsentavit, reumque, etsi involuntarium, se dixit ejusdem incendii; cum oblatione ferendi condignas pœnas; quare, liberato paupere, fuit ipse condemnatus ad resarcienda omnia damna familiarum, in quibus resarciendis consumpsit omnia bona sua; factusque egenus, vitam Eremiticam amplexus meruit sanctitatis coronam adipisci. Ita Hieron. à Basilica Petri *in Ephemerid. Sacr. die* 19. *Februar. tom.* 2.

Quo ad Octavum Decalogi Præceptum. Plures sunt species peccatorum contra ipsum, & per 27
consequens plurimæ circumstantiæ à Confessario attendendæ, & requirendæ à Pœnitente. Peccata sunt *Mendacium, Detractio, Contumelia, Derisio, Susurratio, Judicium temerarium, & Libellus famosus*, de quibus differunt mea Erotemata *cap.* 104. *ac seqq.* ubi casus plurimi cum circumstantiis tum aggravantibus, tum mutantibus speciem, & habentibus obligationem restituendi famam; quos legisse, & meminisse lectorem juvabit. *Mendacium* est verbum falsum cum intentione fallendi; & est Triplex: *Jocosum* ex levitate, *Officiosum* ad alterius instantiam, *Perniciosum* in alterius detrimentum. In genere suo est peccatum *Veniale*, si de re levi; *Mortale*, si detrimentum sit grave; vel si ei annectatur Juramentum, quod aggravat in infinitum; & est circumstantia in mendacio pœnitùs confitenda. In actu verò Confessionis mendacium tunc est mortale, quando irritat Sacramentum, & facit Confessionem nullam. Reginaldus *libr.* 24. *num.* 44. vel quando est de re gravi. Summa Diana *Verb. Confessionis requisita. num.* 36. & *in Verb. Mendacium. num.* 2. *Detractio* est occulta, & injusta denigratio, seu læsio famæ proximi absentis. Et est duplex, *Formalis*, quando fit animo auferendi famam proximo. Et *Materialis*, dum fit ex loquacitate absque dicta intentione. Committitur autem octo modis, his carminibus contentis, quorum primi quatuor dicuntur *directi*; alii quatuor *indirecti*; videlicet:

Imponens, Augens, Manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remissè.

Horum

Horum modorum explicationem dant eadem mea Erotemata *d. cap.* 104. *Contumelia* est injuria; qua, in præsentia alicujus probi viri, eidem objicitur aliquod crimen, vel defertur. Et in hoc peccato, circumstantia exprimenda est qualitas personæ contumelia affectæ, si sit Pater, vel Mater, vel Superior. Bonacina *de Restit. in partic. disp.* 2. *qu.* 5. *punct.* 1. *num.* 7. Et Erotemata mea *cap.* 105. *num.* 3. Sed Utrùm sint exprimendæ contumeliæ individualiter dictæ? Alii DD. negant, & alii affirmant securiùs; quos allegat Collegium Salmanticense *d. tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 77. idem dicens tenendum in detractionibus. *Derisio* est actus, quo quis violat honorem alterius, verbis, vel factis, cum intentione causandi erubescentiam, vel confusionem in proximo irriso. Et differt à contumelia; nam illa fit seriò ad causandam injuriam, hæc ex joco ad confusionem. Differt etiam à *Subsannatione*; nam hæc fit signis, non verbis, ut naso rugato, vel expansa lingua; & est peccatum mortale, si causetur magna tristitia in derisо. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 75. *art.* 2. *Susurratio* est peccatum linguæ, quo quis manifestat defectum personæ absentis ad seminandas discordias, & dirimendas amicitias. Est autem peccatum mortale in genere suo, gravius detractione, ac contumelia; nam lacerat famam, & spoliat amicitia; & ex ea sequuntur sæpè sæpiùs alia mala; quæ sunt circumstantiæ vel notabiliter aggravantes, vel mutantes speciem in Confessione dicendæ; ut rixæ, odia, homicidia, & alia hujusmodi. Bonacina *d. quæst.* 5. *punct.* 2. *num.* 1. *Judicium temerarium* est credere malum de proximo ex levibus indiciis, & est mortale, si credatur malum grave; Veniale, si leve. *Libellus famosus* est scriptura, vel signum, quo quis prætendit infamiam alicujus publicam facere; sivè ea vera sit, sive non. Sylvest. *in Summa Verb. Libellus.* Erotemata mea *cap.* 107. ubi probavi, habere vim libelli famosi *Litteras orbas*, quæ à malignis scribuntur, & mittuntur Superiori contra aliquem; quod est peccatum mortale. Et fit etiam signis, e. g. dum quis affigit cornua ad domum alicujus, ut publicet incontinentiam ejus Uxoris. In his omnibus peccatis præcipua circumstantia est obligatio restituendæ famæ, ut docent omnes DD. quos referunt mea Erotemata *ubi supra*, & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. tom.* 2. *in* 3. *Sentent. de Virtutib. in genere disp.* 23. *art* 9. nisi aliqua legitima causa excuset à restitutione; quas Lohner *de Scientia Confessarii pag.* 54. restrinxit in his versibus:

28 *Si fama obtenta est; & apertum oblivio crimen*
Abstulit: aut rapta à læso sibi fama vicissim est,
Si donet læsus, vel condonare putetur.
Reddere sique potens non sis, vel non sine damno
Majori; vel famam alia si læsus eandem
Perdidit ipse via: nihil illi reddere debes.

A declaratione harum causarum, excusantium à restitutione famæ, abstineo; quia ex se satis claræ sunt. Cæterùm quia absque comparatione difficilior est restitutio famæ ablatæ, quàm temporalium bonorum; & ut Confessarii cautè agant in absolvendis pœnitentibus, qui aliquo ex supra relatis modis famam proximi denigrarunt, antequam eam restituant, vel certitudinem exhibeant eam restituendi; audiant quod fecerunt præterito sæculo duo insignes Theologi, P. M. Alphonsus de Castro Franciscanus; ac P. M. Victoria Dominicanus cum quodam detractore; ut refert P. Menochius in sua *Historia Miscell. part.* 2. §. 304. Vir quidam nobilis Hispanus coram pluribus Equitibus falsò se jactaverat, copulam habuisse carnalem cum Matrona quadam, cujus fama apud illos Equites læsa remansit. Paulo post detractor iste, stimulis conscientiæ punctus, accessit ad P. M. Alphonsum de Castro, eruditissimum virum, rogans, ut ejus Confessionem Sacramentalem audiret. Annuit ille; cœpitque detractor, se accusare de ablata fama Matronæ. Tunc surgens M. Alphonsus de Sede confessionali exclamavit, dicens: damnatus es; peccatum tuum est sine remedio; statimque discessit. Confusione, ac terrore obrutus ipse pœnitens, audito nomine P. M. Victoriæ celeberrimi Theologi Dominicani, ivit ad eundem, petens audire, & juvari, narransque se fuisse expulsum à P. Alphonso de Castro, & condemnatum ad inferos irremediabiliter. Obstupuit P. M. Victoria, reflectens, nullum dari peccatum, pro quo non habeatur remedium, si concurrat in pœnitente vera detestatio, ac voluntas satisfaciendi pro illo. Consolatus est igitur pœnitentem, & hortatus, ut confiteretur peccatum suum; quod ille fecit, detractionem suam narrando, qua calumniatus fuerat illam Matronam, & ejus famam denigraverat. Tunc P. Victoria: Eja, ait, bono animo esto. Peccatum hoc habet suum remedium. Vade, reperi Equites illos, retracta dictum tuum, juramento affirma, te tunc dixisse falsum ex mera jactantia; Matronam illam esse pudicam, innocuam. Respondit Pœnitens: talis retractatio mihi non expedit; nunquàm enim fiet, quòd me mendacem dicam coram Equitibus illis; ego enim etiam sum Eques. Hac responsione, & negativa audita, P. Victoria vociferatus inquit: P. Alfonse de Castro, me sapientior, & prudentior fuisti, judicans, peccatum pœnitentis hujus sine remedio. Et conversus ad malè dispositum pœnitentem, dixit: Utique sine remedio est peccatum tuum, quando recusas, restituere famam Matronæ, retractando, quod impudens, ac falsò dixisti. Ac abiit. Utinam nostris diebus, nostrisque Confessariis consimiles pœnitentes non occurrerent. 29

Hæc satis sint ad hoc, ut Parochi, & Confessarii genericam habeant notitiam circumstantiæ QUID; ideſt, ut sciant, quando qualitas peccato adhærens vel ipsum aggravet notabiliter, vel mutet speciem, vel inducat obligationem restitutionis ob damna, & nocumenta proximo illata; de quibus disserit Reginaldus *in Praxi libr.* 14. *à num.* 33. *& seqq.*

DECISIO XXVIII.

ARGUMENTUM.

Explicantur quinque sequentes circumstantiæ peccati, UBI, QUIBUS AUXILIIS, CUR, QUOMODO, QUANDO; & ostenditur, quando aggravent; mutent speciem; & sint in Confessione manifestandæ. Exempla duarum Meretricum, recusantium in loco Publico coire.

SUMMARIUM.

1 *Ubi circumstantia indicat locum Sacrum, & locum Publicum.*

2 *Blasphemiæ, & alia peccata linguæ dicta in loco Sacro, an sint etiam Sacrilegia?*

3 *Ebrietas in Ecclesia quid sit?*

4 *Copu-*

4 *Copula carnalis in Ecclesia quando sit Sacrilegium ?*

5 *Fœminæ ingredientes claustra Religiosorum sunt excommunicatæ.*

6 *Sanguinis humani effusio violenta in loco Sacro est Sacrilegium ; item actus forenses, ac sepelire excommunicatum in eo ; nec non ex illo extrahere Reos.*

7 *Reorum septem genera non gaudentium immunitate loci Sacri.*

8 *Vendere res in Ecclesia sacrilegum.*

9 *Locus publicus addit peccato circumstantiam scandali.*

10 *Meretrices recusantes coire in loco publico.*

11 *Circumstantia* Quibus Auxiliis *declaratur.*

12 *Ignorantia affectata exprimenda in Confessione ?*

13 Cur , *circumstantia in quo versatur ?*

14 Quomodo *circumstantia declarata.*

15 *Recidivorum periculum.*

16 *Festivo die peccare, an sit circumstantia gravans, vel mutans speciem.*

CIrcumstantia *UBI* respicit locum, in quo committitur peccatum ; quòd aliquando aggravatur notabiliter ex hac loci circumstantia ; aliquando mutat speciem, & aliquando augetur numero. 1 Igitur duo sunt loca per pœnitentem explicanda, quando in eis peccavit. Locus Sacer, & locus Publicus. Appellatione loci Sacri venit Ecclesia, in qua Divinum Sacrificium celebratur, ubi si peccata committantur, vel graviora fiunt, vel multiplicantur numero, vel transeunt in Sacrilegium. 2 Declaro hanc circumstantiam sequentibus exemplis. Primò de Blasphemiis, vel detractionibus prolatis in loco sacro ; sivè etiam de verbis turpibus , aut cantilenis inhonestis. Et quamvis plures DD. teneant, hæc peccata non transire in sacrilegium ; nihilominùs tutior est opinio contraria, quia fit magna irreverentia loco Sacro, quem decet sanctitudo, ut advertit Suarez *de Relig. libr.* 3. *cap.* 7. Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp.* 16. *sect.* 10. & innuit Gobat. *in Quinario tract.* 5. *cap.* 49. præcipuè si plures adsint, qui audiant ; tunc enim, & peccatum Scandali naturam, ac Sacrilegii assumit ; & hæ omnes circumstantiæ sunt in Confessione exponendæ. 3 Secundò quæritur de potationibus, & ebrietatibus factis in Ecclesia ; & si data opera, ac pluribus videntibus fiant, in Sacrilegii, ac scandali species transeunt. Gobatus *d. tract.* 5. *cap.* 48. secùs si ex accidenti, aut si potationes fuerint aliqua honesta causa vestitæ, ut dum operarii ornant Ecclesiam, vel aliquod opus faciunt ; & ex labore, accensa siti, ita bibunt, ut rationem perdant. Tertiò exemplificatur de furto ; de quo præcedenti *Decis. XXVII. num.* 22. dictum est, esse Sacrilegium quocunque modo res ex Ecclesia surripiatur ; ut sentit Castropalaus *tom.* 2. *tract.* 11. *disp. Unic. punct.* 4. *num* 4. & Collegium Salmantic. 4 *d. tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 102. Quartò dubitatur de copula carnali habita in Ecclesia, extra casum urgentis necessitatis. Et quamvis Vasquez, Diana, & alii citati à Collegio Salmanticen. *d. tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 101. asserant, non esse Sacrilegam, si sit occulta ; quia ex sola publica effusione seminis, aut sanguinis humani Ecclesia polluitur ; nihilominus quo ad peccatum coeuntium, etsi occultè, in Ecclesia, dicendum est, assumere speciem Sacrilegii, & esse hanc circumstantiam semper in confessione manifestandam ; ob gravem injuriam, quæ infertur loco Sacro per actum illum sordidum, & indecentissimum ; & ita sentiunt Suarez *d. tract. de Relig. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 4. & alii gravissimi Theologi, quos allegat, & sequitur ipsum Collegium *d. num.* 101. addens *num.* 103. eandem malitiam contrahere illum, qui desideraret, aut procuraret coire in loco Sacro, etiam opere non completo ; secus autem si pollutio haberetur in Cellis Religiosorum. Idem Collegium Salmantic. *ibid. num.* 104. At ingressus fœminæ in Clau- 5
stris Regularium subjacet excommunicationi Papali. Lezana *in Summa tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 9. Cæterùm per effusionem menstruorum fœminæ in Ecclesia , ea non polluitur , neque seminis in somnis, aut alio modo in effundente inculpabili. Passerinus *de Pollut. Eccles. disput.* 7. *cap.* 2. 3. & 4. Erotemata mea *cap* 30. *per tot.* Quintò sacrilegium 6
incurrit, qui Ecclesiam polluit per effusionem sanguinis humani in ea commissam ; dummodò tamen effusio sit notabilis quantitatis, & percussio sit culpa lethalis , ut ex pluribus exemplis declarant eadem mea Erotemata *cap.* 29. Sextò Sacrilegii crimen incurrunt Judices laici, qui in Ecclesia erigunt Tribunalia, testes citant, ac examinant, vel sententias proferunt. *cap.* 1. *de Immunit. Eccles.* Sperellus *Decis* 104. *à num.* 51. *& seqq.* Sextò sacrilegè peccant, qui in loco Sacro sepeliunt excommunicatum, vel infidelem. *cap. Ecclesiam.* 1. *& 2. de Consecrat. dist.* 1. *cap. Consuluisti. & cap. fin. de Consecrat. Eccles. vel Altar, cap. Unic. eod. in* 6. *cap. Ad hæc. de Privileg. cap. Is, qui. de Sent. Excommun. in* 6. Erotemata mea *cap.* 31. ubi plurimi casus de hac Sacrilegii specie reperiuntur. Septimò tandem sacrilegium committunt, qui violant immunitatem loci Sacri extrahendo ab Ecclesia reos, qui ad illam confugerint. *cap. Ecclesiæ, cap. Inter alia. de Immunitat. Eccles.* Et extat Bulla famosa Gregorii Papæ XIV incipien. *Cùm aliàs nonnulli, &c.* quam doctissimis Commentariis declarant Farinacius *Oper. Criminal. tom.* 10. *in fin.* Novarius *in Summa Bullar. part.* 2. *Comment.* 80. & de eadem copiosè disserunt mea Erotemata *cap.* 32. ubi *num.* 47. notan- 7
tur septem genera delinquentium, qui confugientes ad Ecclesiam non gaudent immunitate, & sunt : 1. Publici latrones, & grassatores viarum. 2. Depopulatores agrorum. 3. Mutilantes , vel homicidium committentes in Ecclesia, vel Cœmeterio voluntariè. 4. Homicidæ proditores. 5. Assassini. 6. Hæretici. 7. Rei læsæ Majestatis in personam Principis. In his tamen casibus necessaria est licentia Episcopi, ut extrahantur prædicti Rei ex loco Sacro, aliàs incurritur excommunicatio Papæ reservata. Thesaurus *de Pœnis part.* 2. *Verb. Immunitatem Localem, cap.* 1. *Vers. Limita.* Octavò : Sacrilegium pariter contrahunt, qui in Ecclesia 8
vendunt res temporales, aut faciunt mercatus, sivè adeò propè Ecclesiam, ut impediant Divinum cultum. *cap. Decet. de Immunit. Eccles. libr.* 6. Reginald. *d. lib.* 14. *num.* 42. Nonò : circumstantia *Ubi* est explicanda, si peccatum committatur in loco 9
publico ratione scandali. *cap. Nemo,* & ibi, *Gloss.* 32. *quæst.* 4. & ideò, qui publicè fornicatur, plus peccat propter plurimorum scandalum, quàm qui occultè. Sanctus Thomas 1. 2. *quæst.* 73. *art.* 8. Reginald. *d. libr.* 14. *num.* 45. Et quamvis hæc publicitas in rebus venereis videatur moraliter impossibilis, cum nemo sit pejor Thaide meretrice famo- 10
sa, quæ interpellata a Paphnutio Abbate, respondit, nunquam se exercituram Venerem coram hominibus ; ut scribit Marc. Marulus *lib.* 3. *cap.* 2. vel

scor-

scortò illo requirente S.Ephrem, ut secum coiret, qui cum ei respondisset, libenter, sed in platea. Absit, replicavit fœmina, in loco publico. Metaphrastes *in Vita ejusdem S. Ephrem*; & Matthæolus *in Sylva Historiali tom.*1. *lib.*4. *cap.*1. *tit.*9. *num.* 2. *&* 3. Nihilominus frequentissima est, etsi inobservata, etiam in peccatis carnis, tum in illis, qui domum conducunt pro suis concubinis, ad quas accedunt cum scandalo parentum, ac vicinorum; tum etiam in Religiosis, qui non verentur ingredi domos publicarum meretricum, & exire ex ipsis absque rubore; quamvis videantur, ac observentur à transeuntibus, & ab aliis in eodem vico habitantibus; qui omnes gravissimum scandalum, ultra peccatum carnis, committunt; & deturpant bonum nomen sui Ordinis; quæ quidem circumstantiæ sunt omnes in Confessione exprimendæ; quia non solùm aggravant peccatum, multiplicant numero, sed transire illud faciunt in aliam speciem. De blasphemiis autem, homicidiis, ebrietatibus in loco publico patratis, nemo est, qui nesciat circumstantiam scandali indè insurgentem, & necessario confitendam. Hæc de circumstantia UBI.

Sequitur quarta circumstantia *QUIBUS AUXILIIS*: quæ tria concernit, *Instrumenta*, *Media*, & *Concausas*, quibus quis usus est, in peccato. Quo ad *Instrumenta*, ea, per se loquendo, non sunt exprimenda in Confessione, puta, an quis occiderit hominem Ense, vel Sclopo. An superstitionem fecerit, aqua, vel terra, vel sale, Collegium Salmanticen. *d. tract.*6. *cap.*8. *num.*105. Dixi *per se loquendo*, quia ex accidenti, etiam instrumentum esset explicandum, prout evenit paucis abhinc annis inter duos Presbyteros, qui in Sacristia rixantes, ad manus venientes, unus arrepta Cruce ibi existente, cum ipsa graviter percussit, ac vulneravit adversarium. Quo ad *Media*, hæc ut plurimùm erunt manifestanda, si per eorum usum Religio offendatur, ut si quis abusus sit Aqua benedicta, rebus sacris, Sacramentis, & similibus. Collegium Salmanticens. *d. tract.*6. *cap.*8. *num.*105. Quo ad *Concausas*; de eis est facienda manifestatio, tum ob scandalum, & ruinam spiritualem proximi; ut in eo, qui diù sollicitavit mulierem renitentem ad peccatum, ad quod tandem eam induxit; tùm ob injustitiam, seu violentiam; si vi, aut minis cum eadem usus esset, ad idem effectum carnaliter peccandi; prout etiam, si alios homines, aut famulos secum vi, aut minis duxisset, qui eum adjuvarent in committendo aliquo peccato, puta furti, homicidii. Collegium Salmanticen. *ubi supra num.*106. & Reginaldus *d. lib.*14. *numer.*46. qui asserunt, tunc hanc circumstantiam gravare peccatum, multiplicare numerum, ac mutare speciem. Sed petes, an explicanda sit ignorantia affectata, quæ causa fuit peccati; e.gr. quis non curat scire, an mulier, cum qua vult coire, sit libera, vel conjugata? Vel plures rustici declinant audire Missam in die festo sui Parochi, ne audiant, an in hebdomada sint vigiliæ cum jejunio, & cum verè sint, non jejunant, & comedunt carnes? Et verior opinio est, hanc affectatam ignorantiam esse circumstantiam omninò explicandam, quia habet suam malitiam propriam, distinctam à malitia peccati subindè commissi; vel à periculo, cui se exponit de majori peccato committendo; ut latè probat Sanchez *in Decal. lib.*1. *cap.*17. *num.*10. & disserit Summa Diana *Verb. Circumstantia per Quæ? num.*53. *& seqq.* ubi DD.

Quinta circumstantia *CUR*, denotat finem, propter quem peccator decrevit peccare; qui finis si habet suam propriam malitiam, eò quia prohibitus sit ab aliquo alio præcepto, est omninò explicandus; ut si quis furetur, ad hoc ut possit fornicari, & solvere mercedem meretrici; vel non audiat Missam, ut interim reperiat solam domi mulierem, cum qua vult peccare; vel juret falsum, ut noceat alicui. Colleg. Salmanticen. *d. tract.*6. *cap.*8. *num.*107. Reginald. *d. lib.*14. *n.*47. & Summa Diana *Verb. Circumstantia Cur? num.* 93. *&* 94. ubi disputant, an si finis, ob quem quis peccavit, non sit malus; puta si quis perdiderit Missam, ut attenderet studio, talis finis sit explicandus; & quamvis aliqui DD. apud Eminentiss. Cardin. de Lugo *disp.*16. *num.*478. affirment; contrarium tenent alii plurimi, quos citat, & sequitur idem Collegium Salmanticen. *ubi supra num.* 108. ex illa præcipua ratione, quòd tota malitia stat in transgressione præcepti de audienda Missa, quo præcepto circumscripto nulla malitia remanet in actu studendi; ideò explicata à pœnitente transgressione dicti præcepti, integrè confessus est suum peccatum. Nec omittendum, ad hanc circumstantiam *Cur*, reduci posse inordinatum affectum ad honores, ad divitias, ad vindictam, & similes; eò quia aggravatur ipse affectus inordinatus, & aliquando transit in aliam speciem, nempè superbiæ, avaritiæ, iræ; ut notat Reginaldus *d. libr.*14. *num.*49.

Sexta circumstantia *QUOMODO*, denotat tres qualitates peccati, quæ ut plurimùm tanquàm notabiliter aggravantes sunt exprimendæ à pœnitente. Hæ sunt *Intensio* in peccando, *Extensio* continua; & *Extensio* discreta, seu interrupta in commissione peccati. Prima qualitas, idest intensio, gravat; quia provenit à voluntate peccatoris, qui quantò majori libertate, & intensione affectus peccat, eò gravius est ejus peccatum; ut tradit Sanctus Thomas 1.2. *qu.*73. *art.*6. licèt igitur non sint exprimendi modi, quibus aliquis procuraverit sibi augere delectationem in rebus venereis, vel in vindicandis injuriis; illam tamen accensionem animi, & ardentem voluntatem, ac delectabilitatem in peccando, tutius est, ut manifestet, tanquam circumstantiam *QUOMODO* notabiliter gravantem. Reginald. *d. libr.*14. *num.*49. *&* 50. Collegium Salmanticen. *d. tract.*6. *cap.*8. *num.*112. Summa Diana *d. Verb. Circumstantia à num.* 95. *& seqq.* Extensio continua peccatum ipsum aggravat, quia tantò gravius est peccatum, quantò diutiùs infelicem animam tenet alligatam. *cap. ult. de Consuetud.* sicque consuetudo peccandi sivè in rebus carnalibus, sivè in odio, aut vindicta, convenit ut explicetur, propter circumstantiam notabiliter aggravantem, ultra numerum actualium peccatorum; videtur enim qui consuetudinarius est, magis contemnere Deum. Abb. *in cap. Cùm haberet. num.*4. *De eo, qui duxit in Matrim. &c.* Tandem extensio discreta, seu reiteratio peccati antea remissi, aut voliti, ultra multiplicationem numeri, de qua dictum est supra *Decis. XXIV. n.*12, aggravat notabiliter peccatum, quia homo iterùm peccans magis contemnit Dei bonitatem, à qua obtinuerat remissionem ejusdem peccati; ut probat S.Thomas 3. *p. q.*88. *art.* 1. & Reginald. *d. libr.*14. *num.*52. quod principaliter

liter in recidivis procedit ; de quorum periculo, ac peſſimo ſtatu legat ſtudioſus Confeſſarius P. Segnerium *in Concion. Quadrageſ. Conc. XXXVII. & in Chriſtiano Inſtructo part. 3. diſc. 22. per tot.* ubi rationibus, ſcripturis, ac exemplis oſtendit, difficilem recidivorum converſionem.

Septima, & ultima circumſtantia eſt *QUANDO*; & hæc reflectit ad diem, & ad tempus, in quo committitur peccatum; nempè an fuerit dies
16 feſtivus, dies Jovis, aut Veneris Sancti; dies, qua peccator ſumpſerat Sacram Euchariſtiam. Et quod peccare in his diebus ſit circumſtantia notabiliter aggravans, nemo eſt, qui neget, quia reſultat peccatum in majorem Dei contemptum. At diſputant DD. an hæc ſit circumſtantia exprimenda ? & quamvis Neoterici negent, quos citat Diana Coordinatus *tom. 1. tract 7. reſol. 54. & reſol. 55.* quarum prima fuit extracta *ex part. 1. tract. 7. reſol. 32.* altera verò *ex part. 11. tract. 8. reſol. 59.* in veteri ; nihilominùs graviſſimi Theologi, ac Sancti Doctores, pariter ibidem à Diana allegati, affirmant; à quorum ſecuriori opinione non eſt diſcedendum; non ſolùm quia peccare in die feſto includit ſpecialem quandam irreverentiam Dei, ſed etiam quia ſæpè ſæpiùs tale peccatum multiplicatur ſpecie; ut in metente ſegetes alienas in die feſti; in vacantibus crapulæ, ac ebrietati, ſeu aleārum ludo cum detrimento familiæ, aliisque caſibus, quos conſiderant DD. apud Reginaldum *d. libr. 14 à num. 56. & ſeqq.* Summa Diana *à num. 111. in Verb Circumſtantia.* Collegium Salmanticen. *ubi ſupra num. 113.* Et expreſsè docet Eminentiſſ. Cardin. de Lauræa *d. diſp. 11. num. 261. & 262.* cujus opinio apud me magnoperè ponderat, ob eximiam tanti Patris ſcientiam, ac ejus heroicam prudentiam, & pietatem; non enim tranſcribit, quòd alii ſcripſerunt, ſed ſuas concluſiones ponit in trutina veritatis ; & earum juſtum valorem exquirit fortiſſimis argumentis, Sanctorum Patrum ſenſu confirmatis. Additur, quòd frequenter peccata commiſſa in diebus feſtis ſunt cum ſcandalo proximi, quod multiplicat peccatum, ut negare non audet, etſi laxioribus adhæreat Gobatus in *Quinario tract. 5. cap. 47. & cap. 48.*

DECISIO XXIX.

ARGUMENTUM.

Mendacii maligna natura expoſita, ejusque ſpeciebus, ab ipſo immunem eſſe debere Confeſſionem Sacramentalem, oſtenditur, ut ſit Fidelis. Mentiri in Confeſſione, quando ſit Mortale, & quando Veniale, quinque Regulis demonſtratur. Exempla gravia, ac lepida ad evitandum quodcumque mendacium referuntur.

SUMMARIUM.

1 *Fidelis Confeſſio quænam ſit ?*
2 *Mendacium, quid ſit ? quot modis proferatur ? & quot ejus ſpecies ?*
3 *Mendacium cur ſit ſemper peccatum?*
4 *Priſcillianiſtæ, ac alii hæretici docentes licitum mendacium.*
5 *Mendacium neque ex divina diſpenſatione poſſet eſſe licitum.*
6 *Exemplum mendacii jocoſi morte puniti.*
7 *Exemplum præmii dati B. Erluchæ nolenti dicere mendacium.*
8 *Obſtetrices Ægyptiæ an mendacium dixerint Pharaoni?*
9 *D. Thomæ Aquinatis lepidum dictum, in odium jocoſi mendacii.*
10 *Tacere Veritatem aliquando licet ; Dicere mendacium nunquam.*
11 *Mendacium in Confeſſione quando ſit mortale, & quando veniale?*
12 *Adoleſcentulæ ſimplicitas confitentis enormia peccata, non facta; ſed reperta in methodo examinandi conſcientiam.*

POſt duas primas Confeſſionis conditiones, hucusque explicatas, quòd ſcilicet ſit *Diligens*, & quòd ſit *Integra* ; ſequitur tertia declaranda, quòd nempè ſit *Fidelis*. Fidelitas igitur requiritur 1
in Confeſſione Sacramentali, ut ſit valida; quæ quidem conſiſtit in eo, ut pœnitens fideliter manifeſtet ſuam conſcientiam Confeſſario, & dum confitetur peccata ſua, abſtineat à mendacio, ut tetigimus ſupra *Deciſ. XXVII. num. 27.* ſiquidem mendacium in Confeſſione ut plurimùm facit eam ſacrilegam, & reddit abſolutionem invalidam, ut infra oſtendemus.

Pro intelligentia hujus tertiæ conditionis præmittendum eſt, quòd *Mendacium eſt verbum falſum cum intentione fallendi.* Eminentiſſ. Cardin. Toletus *libr. 8. cap. 54. num. 1.* ubi illud appellat *verbum*, quia propriè committitur voce ; undè alii definiunt mendacium, ut ſit *Falſa vocis ſignificatio cum intentione fallendi, ſeu falſum dicendi. cap. Beatus. 22. q. 2.* Mendezius *in Luce Fidei libr. 10. cap. 17. num. 2.* & dicitur *Mendacium à mentiri*; quaſi contra *mentem ire*, dum mendax aliud habet in ore, & aliud in mente ; & ſolet proferri mendacium quatuor modis. *Primò:* cùm id affirmatur, quod nec eſt, nec eſſe putatur; ut ſi Petrus ſciens, Paulum eſſe Venetiis, affirmet, eum eſſe Patavii. *Secundò:* cùm id negatur, quòd verè eſt, & eſſe cognoſcitur ; ut ſi Petrus neget, Paulum eſſe Venetiis, ſciens certò ibi eum eſſe. *Tertiò:* cùm quis aſſerit certum eſſe, quòd in mente ſua eſt dubium. Et *Quartò:* cùm pro dubio affirmat id, de quo habet certitudinem. Quamvis autem octo ſpecies mendacii aſſignentur *in cap. Primum eſt. 8. 22. q. 2.* communiter tamen omne mendacium ad tres tantùm reſtringitur ; itaut aliud ſit *Jocoſum*, aliud *Officioſum*, & aliud *Perniciosum*. Primum eſt, cùm profertur aliquid falſum hilaritudinis, & riſus excitandi gratia dicitur aliquid, quod non eſt verum, vel ad complacendum amico, vel ad eum juvandum. Tertium verò, cùm id, quod falſum eſt, in alicujus detrimentum affirmatur ; aut negatur id, quod eſt verum. Mendezius *d. libr. 10. cap. 17. num. 2.* & Abelly *in Medulla Theolog. part. 2. De Octavo Decal. præcept. ſect. 8. §. 1.* 2

Omne Mendacium eſt intrinſecè malum, ac proindè peccatum ; ea ratione, quia, ut obſervat S. Thomas *2. 2. qu. 110. art. 3.* locutio inſtituta eſt 3
à Deo, ut homines ſui animi ſenſus invicem manifeſtarent; & alii alios id, quod eſſet ignotum, edocerent, Perverſitas ergo eſt, ac Dei offenſa, uti locutione ad fallendum ; ac proindè perniciosum mendacium eſt mortale peccatum, niſi levitas materiæ excuſet; Officioſum, ac Jocoſum ſunt

culpæ

culpæ veniales, nisi jungantur Juramento falso; tunc enim, quia Deus graviter inhonoratur, dum vocatur in testem falsitatis, etiam illa sunt mortalia peccata; juxta illud: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Psal.* 5. 7. Et *Sap.* 1. 11. *Os, quod mentitur, occidit animam.* Hinc diabolus vocatur pater mendacii, quia *non est veritas in eo, & quia mendax est. Joan.* 8. 44. & homines illi, qui fuerunt subordinati à Jezabele ad confirmandum mendacium, dicuntur *Viri diabolici. 3. Reg.* 21. 13. omnis enim mendax est filius diaboli, unde Adden. & Eminentiss. Cardin. Tolet. *d. libr.* 8. *cap.* 54. ponit hoc pulchrum dictum: *Intemperantia facit hominem belluam, Mendacium diabolum, Veritas semideum.*

Porrò non est ignorandum hæreticos Priscillianistas, qui fuerunt in fine quarti sæculi, inter cæteros errores, docuisse, *Mendacium non esse peccatum, etiam juncto perjurio*; ac propterea solitos fuisse dicere, *Jura, perjura, secretum prodere noli*, ut scribit Spondanus *ad Annum Christi* 381. *num.* 16. & refert Salelles *de S. Inquisit. libr.* 3. *cap.* 8. *num.* 347. quos confutavit S. Augustinus scribens eorum causa librum contra mendacium; nec defuerunt alii hæretici imitatores eorundem Priscillianistarum; nempè in fine sæculi decimi tertii, Gerardus Sagarellus Parmensis Hæresiarcha, & eo extincto, hæretici flagellantes, qui omnes profitebantur licitum esse mentiri, quod observat idem Salelles *d. libr.* 3. *cap.* 15. *num.* 181. *& num.* 200. At errores erant hæreticales; nam de fide est, quòd omne mendacium ex genere suo est peccatum: adeòut nullo casu nec ad vitandam sui, vel alterius mortem, nec ad pudicitiam servandam, nec pro salute animæ, nec etiam pro Dei gloria mentiri liceat. *d. cap. Primum est. cap. Ne quis arbitretur. & cap. Faciat homo. cum duob. seqq.* 22. *q.* 2. Idem S. Thom. *in* 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. & est magnæ observationis dignum, quod ex multorum sententia scribit Fagnanus *in cap. Falsidicus. num.* 58. *De crimine falsi*, his verbis: *Deum ex potestate absoluta posse dispensare etiam in Lege naturali, eamque immutare auferendo malitiam à quibusvis actibus Lege naturæ prohibitis; itaut nullum sit peccatum furari occidere, fornicari, &c. & tamen conveniunt omnes, nullam cadere dispensationem in Odio Dei, & in Mendacio; quibus sic essentialis, intrinseca, & inseparabilis est malitia, & inordinatio, ut nec per Omnipotentiam Dei absolutam possit auferri.* Quod etiam tenet, & latissimè probat Suarez *de Legibus libr.* 2. *cap.* 15. *per totum.* Et ante illum S. Bonaventura *in* 3. *Sent. dist.* 38. *q.* 2. *num.* 25. *&* 26. Et igitur irrefragabile, quòd mendacium est intrinsecè malum, quia repugnat veracitati; & homines mendaces sunt Deo odibiles, quod patet ex illis verbis: *Prov.* 12. 22. *Abominatio est Domino labia mendacia*; & frequenter Deus comprobavit miraculis & punitionem debitam mendacibus, & protectionem suam erga diligentes veritatem.

Legitur in Vita *SS. Julii, ac Juliani fratrum*, quam 6 describit ex Joanne Gamancio Hieronymus à Basilica Petri *die* 31. *Januarii*; quòd iisdem fabricantibus Ecclesiam in Terra Gozani, posita inter Novariam (patriam Petri Lombardi clarissimi Theologi, Magistri sententiarum cognominati, ut notat Ferrarius *in Lexico Geograph. V. Novaria*) & Ortam, pauperes habitantes ibidem personalem præstabant opem; cumque illac transirent aliqui rustici cum curru vacuo, quem boves trahebant, dubitantes, ne rogarentur, aliquod servitium fabricæ cum eodem curru exhibere, unus eorum sociis dixit: fingam me mortuum in curru, & vos excusationis causa respondete, quòd non potestis immorari, sed ad Parochialem pro defuncto sepeliendo sollicitè ire debetis. Ista rustici mentientes dixerunt Sanctis Julio, ac Juliano poscentibus ex charitate eorum opus; & ab iisdem Sanctis additum fuit: *Ite fratres, ite, & mortuo sepulturam date.* Iverunt, & cùm jam distarent à fabrica, ridentes, ac jocantes excitabant socium, ut è curru descenderet; sed quia non respondebat, crediderunt, eum dormire. At erat somnus mortis, nam mortuum verè repererunt in curru, in pœnam sui mendacii. E contra in Vita *Beatæ Erluchæ* narrat idem à Ba- 7
silica Petri *die* 18. *Aprilis*, fratrem ejus Beatæ, quem inimici homines persequebantur ad internecionem, in domum Sororis cucurrisse, rogasseque, ut ab hostibus eum tutaret. Dum Beata vellet claudere ostium domus, comparent persecutores, eamque interpellant, an ingressus sit ibi ejus frater? Illa, timens fatendo fratrem perdere; mentiendo Deum offendere; elegit Dei offensam evitare, veritatem dicendo; vitamque germani fratris Divinæ custodiæ relinquere. Igitur confessa fuit fratris ingressum; & illicò homicidæ illi per totam domum illum quærentes, haud potuerunt invenire, Deo ipsum miraculosè occultante, in præmium veridici responsi per sororem dati, ac ab ea mendacii neglecti.

Sed dicet aliquis: obstetrices Ægyptiæ dixerunt 8
mendacium Regi Pharaoni, qui cùm præcepisset eis, ut omnes filios Hebræorum masculos nascentes interficerent, ipsæ obstetrices *non fecerunt juxta præceptum Regis Ægypti, sed conservabant mares.* Et de hoc interpellatæ à Pharaone, responderunt: *Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres; ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt.* Ergo mentitæ sunt, & nihilominus ait textus sacer *Exod.* 1. 20. *Bene ergò fecit Deus obstetricibus. Et ædificavit eis domus:* id est, (ut commentatur ibi Cornelius à Lapide) *dedit eis prolem, & progeniem numerosam, divitem, honoratam, insignem, longævam, ac diuturnam* in remunerationem mendacii. Ergo non probatur, mentiri esse intrinsecè malum, & Deo odibile.

Respondetur, quòd nonnulli Patres antiqui opinati sunt, in aliquo casu licitum esse mendacium ad aliquod bonum consequendum; prout prædictæ obstetrices mentitæ fuerunt ex charitate pro salvanda vita puerorum Hebræorum. Ita Origenes *lib.* 4. *contra Celsum*; Clemens *lib.* 7. *Stromat.* & Cassianus *Collat.* 17. *à cap.* 17. *& seqq.* qui hunc errorem hausisse videntur ex Schola Platonis, cujus hæc est sententia *lib.* 3. *de Republic. Mendacio, licèt re mala, utendum tamen est quandoque, tanquam elleboro, ac medicamine: ergo & Principes Urbium, & si quibus aliis hoc conceditur, oportet aliquando mentiri, vel contra hostes, vel pro patria, & civibus.* Et de hoc errore antiquorum, ut aliquando mentiri liceat, disserit etiam Menochius *in Hist. Miscell. Sacra, part.* 1. §. 145. *& part.* 3. §. 23. ubi ait, non posse talem errorem sustineri, vel excusari; semper enim peccatum est mentiri, ut mox diximus; idcircò scriptum est ab Apostolo Paulo *ad Ephesios cap.* 4. 25. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo:* & non semel narravit mihi Eminentiss. ac Reverendiss. S. M. Dominus

meus *Gregorius Cardinalis Barbadicus Episcopus Patavinus* (qui quantò severior, ac gravior erat tempore Pastoralium operationum, eò dulcior, ac suavior existebat in horis recreationis) se à viris
9 doctis, ac Religiosis didicisse; quòd vivente Angelico Doctore S. Thoma Aquinate, in quo & sublimis scientia, & simplicitas religiosa enitebat, duo Fratres, quadam die, otiosiloqui apud fenestram dormitorii, per quod tunc Sanctus Doctor transibat, eum vocaverunt illudentes, ac dicentes: *Festina*, Thoma, *curre ad hanc fenestram, & videbis Asinum per aëra volantem.* Cucurrit Angelicus ad fenestram; at illi irridentes dixerunt: quàm stultus es, credere, quòd Asinus volaret? Ad hæc piissimus, ac prudentissimus Doctor respondit: *Potius volui credere, quòd volaret Asinus, quàm quòd duo Religiosi dicerent mendacium.* Adeò suasum erat Divo Thomæ in nullo casu licitum esse mentiri. Cæterùm quo ad obstetrices Ægyptias Tirinus *in Exod. d. cap. 1. in fin.* ait: *Nota, non placuisse Deo, neque remunerari hic mendacium obstetricum; sed solam pietatem Hebræis exhibitam; nam erant hic varii actus boni, prorsùs distincti ab illo mendacio.* Idemque asseverans SS. Patres, quos allegat Cornelius à Lapide *ibid.* At mihi placet Cardenas, qui in *Crisi Theologica Dissert. 19. cap. 5. num. 63.* observat, optimè posse obstetrices vindicari à mendacio; nam verisimile, ac credibile est, quòd ubi fœminæ Israeliticæ audierunt decretum Pharaonis de occidendis masculis Hebræis ab obstetricibus, ipsæ fœminæ Israeliticæ didicerint obstetricandi artem, ut prædicti masculi servarentur; quare dum obstetrices Ægyptiæ dixerunt Pharaoni: *Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres; ipsæ enim obstetricandi habent scientiam; & priusquàm veniamus ad eas, pariunt. Exod. 1. 19.* absque mendacio id dicere potuerunt, non enim difficile erat mulieribus Hebræis discere modum, parturientes adjuvandi; & à seipsis in partu fœminas obstetricantes assumere. Nisi dicamus, (quod magis veritati arridet) easdem obstetrices Ægyptias tacuisse verum; quòd scilicet ipsæ servassent vivos tenellos Hebræos; non autem mendaciter dixisse, se eos vivos non servasse; aliud enim est tacere ve-
10 ritatem; & aliud dicere falsitatem. Falsum dicere, nunquam licet; Veritatem tacere aliquando licet extra judicium, & citra præjudicium alterius ob rationabilem causam. *cap. Utilem & cap. seqq. 22. quæst. 2.* S. Thomas 2. 2. *quæst. 111. art. 1.* & S. Antoninus *in Sum. part. 4. tit. 10. cap. 1. col. 5.* ut latiùs disserui in meis Decisionibus *Anni 1687. ad Casum Prudent. Mensis Decembris:* ubi docui, quando quis uti possit verbis æquivocis, ac amphibologicis juxta traditionem Fagnani *in cit. cap Falsidicus. num. 147. & 148. de Crim. falsi*, & juxta doctrinam Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in 3. Sent tom. 2 disp. 25. art. 6. §. Unico*; ubi cùm *num. 102.* firmaverit, in nullo casu licere ad celandam veritatem dicere mendacium cujusvis generis, subdit *num. 104.* quòd non quilibet tenetur omne verum naturale, & humanum sibi notum manifestare; concludens *num. 112.* quòd aliquando, dum urget necessitas loquendi de rebus humanis, licitum est ex aliquo honesto fine æquivocare, seu amphibologicè loqui; non manifestando explicitè veritatem; quam conclusionem probat variis exemplis Sacræ Scripturæ; Canonibus, & auctoritatibus Sanctorum; ac de hac materia noviss imè differens Cardenas ponit quatuor modos licitæ æquivocationis *d. dissert. 19. cap. 4.* quos legisse studiosum non pigebit; advertendo tamen, quòd æquivocare prædictis quatuor modis licitum est; non autem adhibere restrictiones mentales; siquidem hæ omnes proscriptæ, ac damnatæ sunt ab Innocentio Papa XI. *Anno 1679. in Propos. 26. 27. & 28.* quas extendit idem Cardenas *d. Dissert. 19. in princ.*

His ita præmissis, ut lectori clarè pateat malignitas Mendacii; ab eodem cavere debet Pœnitens in confessione, & tenetur esse *Fidelis* in se accusando coram Confessario de numero, speciebus, ac circumstantiis suorum criminum absque mendacio, ut latè disserunt Suarez *de Pœnitent. disp. 22. sect. 10.* Eminentiss. Card. de Lugo *disp. 16. sect. 2. §. 6.* Navarrus *in cap. Fratres. de Pœnit. dist. 5.* Layman. *in Theol. Moral. lib. 4. tract. 6. cap 8.* & alii, quos citat Diana *part 3. tract. 4. resol. 95.* Quæ jacet in Coordinato *tom. 1. tract. 3. resol. 115.* Et quoniam dicere mendacium in confessione aliquando 11
est peccatum mortale, confessioque est invalida; & aliquando peccatum est tantùm veniale, ac valida est confessio; idcircò ad certitudinem hujus materiæ sequentes Regulæ sunt observandæ.

Regula prima: Qui in Confessione implicitè, vel explicitè negat peccatum mortale, quod hic, & nunc tenetur confiteri, peccat mortaliter; ea ratione, quia Sacramentum remanet irritum ob defectum integritatis, quæ destruitur à dicto mendacio. Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art 4. concl. 3.* Navarrus *in cap. Fratres. num. 14. de Pœnit. dist. 5.* Reginaldus *lib. 6. num 67.* & Gobatus *d. tract. 6. num. 539.*

Regula Secunda: Qui se accusat in confessione de peccato mortali, quod tamen non patravit, mortaliter delinquit; & ratio est, quia judicium Confessarii fallitur, ac variatur per illud mendacium in re gravi; & ei datur occasio perperam impendendi Sacramentalem absolutionem. Navarrus *in d. cap. Fratres num 26.* Reginald. *d. num. 67.* Tamburinus *de Exped. Confess. libr. 2. cap. 10. §. 2, num. 39.* & Gobatus *d. tract 6. num. 540.* qui ulteriùs hanc Regulam procedere volunt, etiamsi pœnitens pro certo confiteretur peccatum, de quo dubius est, an illud commiserit; nec non si adderet, se illud aliàs confessum fuisse, quod tamen nunquam fecerit; nam auget injuriam Sacramento, addendo mendacium mendacio, & decipiendo in re gravi Confessarium; ut considerat etiam Eminentiss. Card. de Lugo *disp. 14. sect. 8. num. 125.* aut etiam si occidisset Petrum, & se accusaret, occidisse Paulum, quia exprimit homicidium, quod non fecit; & tacet, quod patravit. Tamburin. *d. lib. 2. cap. 10. §. 2. num. 45.* Nisi fortè ipse pœnitens ex indiscreto fervore mentiretur absque intentione fallendi Confessarium; esset enim mendacium materiale tantùm, & ad summum peccatum veniale, quia indiscretè se accusans, agit contra rectam rationem, ut ait Cardin. Cajetanus *in Verb. Confessio Sacramentalis. condit. 4.*

Regula Tertia: Tunc quoque mendacium in confessione est lethale, quando tota confessio constat vel meris venialibus confictis, vel uno solo veniali pariter conficto. Reginald. *d. libr. 6. num. 69.* prout etiam quando pœnitens se accusat de veris venialibus commissis, de quibus tamen vel non dolet, vel non habet propositum se emendandi. Angelus *Verb. Confessio. num. 57.* Suarez *d. disp. 22. sect. 10. num. 6.* Layman. *d. libr. 4. tract. 6. cap. 8. num. 15.* & Gobatus *d. tract. 6. num. 541.* ea mani-

festa

festa ratione, quia pœnitens in tali casu mentiendo efficit Sacramentum nullum, quia nulla materia apponitur formæ. Et ab hac communi opinione puto, non esse recedendum, quidquid dicat in contrarium Philippus Faber assertus Professor Theologiæ in hac Academia Patavina mihi incognitus, quem allegat Diana Coordinatus *tom.* 1. *tract.* 3. *resol.* 115. desumpta ex veteri *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 95.

Regula Quarta. Venialiter solummodo peccat, qui mendaciter se accusat de peccato veniali non commisso, quando ante, vel post ipsum mendacium exponit alia peccata vera sivè gravia, sivè venialia cum debito dolore, ac proposito se emendandi; siquidem Sacramentum non remanet irritum, attenta sufficienti materia. Reginald. *ubi supra num.* 68. *&* 69. idemque est dicendum; si circa aliqua venialia deficiat dolor, vel propositum, ut ex Suarezio, Dicastillo, ac Eminentiss. Lugone firmat Gobatus *d. tract.* 6. *num.* 542.

Regula Quinta: Mendacia, quæ committuntur à pœnitente in confessione, accusando se de peccatis non commissis prout in Regula secunda, ac tertia, continent triplicem malitiam; *Unam* oppositam virtuti Religionis, quæ obligat ad non inurendam injuriam Sacramento, prout fit in dictis casibus, unde nascitur peccatum Sacrilegii; *Alteram*, adversùs veracitatem; narrando, ac dicendo falsum: *Tertiam*, adversùs legem de non se indebitè infamando, quam transgreditur pœnitens imponendo sibi crimen grave, quod non fecit; & ad has omnes malitias fas est, ut Confessarius attendat, quando qui mendax fuit in antecedenti Confessione, retractat mendacium, & de illo se accusat; ut rectè judicare valeat super prædicta infidelitate præteritæ exomologesis, ac crimine mendacii; & pro illo imponere condignam pœnitentiam; nam ubi mendacium fuit ob narrationem conficti peccati mortalis, assumit mortalem triplicatam malitiam; venialem verò, si de confícto veniali fuisset confessio. Gobatus *d. tract.* 6. *num.* 544. *&* 545. ubi bene advertit, quòd si pœnitens mentiatur in confessionali ante, vel post absolutionem, sed nullo modo in ordine ad confessionem, non affricat suo mendacio pravitatem ullam sacrilegii, aut culpæ lethalis; quod etiam scribunt Eminentiss. Card. de Lugo *d. disp.* 16. *sect.* 2. *num.* 98. & Tamburinus *d. libr.* 2. *cap.* 10. §. 2. *num.* 42. neque etiam si negaret peccatum mortale commissum, sed aliàs confessum. Reginaldus *d. lib.* 6. *num* 70. aut Veniale, quod non intendit confiteri; vel si interrogatus à Confessario de rebus extraneis à confessione, negaret eas scire, quamvis verè illas sciret. Navarrus *in d. cap. Fratres. à n.* 23. *& seqq. de Pœnitent. dist.* 5.

Hæc scripsisse volui contra mendaces in confessione, vel affirmantes id, quod non fecerunt; vel negantes ea, quæ commiserunt. De primis rarus erit casus, nisi aliqui pœnitentes adeò simplices reperiantur, qui adinstar illius adolescentulæ, de
12 qua Paulus de Barry *in Solitudine Philagiæ die* 2. *ante exam. pro Confess. pag.* 64. narrat, quòd transcripserat ex suo officiolo omnes species peccatorum adversùs singula præcepta Decalogi; quas etiam enormes audiens Sacerdos dixit: hæc verè fecisti; Absit, ait illa: sed ea narro, quia reperta in methodo examinandi conscientiam, rata sum, omnia esse narranda, idcircò monita à Confessario de fidelitate circa commissa tantùm dicenda; paginam illam laceravit. At de aliis tacentibus, ac negantibus crimina patrata, potissimùm ob verecundiam, utinam non frequentes essent casus, prout experiuntur Religiosi Missionarii, qui præcurrunt ante Episcopos diœcesim visitaturos, & præmissis fructuosis concionibus de integritate, ac fidelitate Sacramentalis Confessionis, coguntur multiplices confessiones generales excipere, ad sanandas nullitates præteritarum. De utilitate autem Confessionis generalis legendus est P. Paulus Segneri *in Pœnitente Instructo cap. ult.* De remediis verò curandi mendacia in confessione videndus P. Franciscus Stadiere *Inganni della Vita spirituale tract.* 15. *cap.* 6. ubi quatuor radices demonstrat, è quibus insurgunt prædicta mendacia, & occultatio propriorum criminum.

DECISIO XXX.

ARGUMENTUM.

Præsens Decisio continet quartam conditionem Confessionis Sacramentalis, ut scilicet SIT OBEDIENS; hoc est, ut Pœnitens sit dispositus acceptare, & exequi pœnitentiam, quam ei injunxerit Confessarius, & ei obedire circa alia concernentia salutem Animæ. Examinatur famosa Quæstio, An sit absolvendus Pœnitens recusans Pœnitentiam Confessarii, asserendo, se velle eam facere in Purgatorio. Stultam esse hanc assertionem exemplum relatum à S. Antonino demonstrat.

SUMMARIUM.

1 *Obediens debet esse Confessio Sacramentalis. Et in quibus?*
2 *Obedire Confessario an Pœnitens teneatur de Præcepto? rationes pro negativa.*
3 *Purgatorium cur sit constitutum à Divina Justitia?*
4 *Exemplum indiscreti Confessarii cum quodam bajulo pœnitente.*
5 *Contritio summa delet omnem pœnam. Exempla contritorum.*
6 *Pœnitentia est omninò acceptanda, & exequenda à Pœnitente. Rationes, ac fundamenta hujus opinionis affirmativæ.*
7 *Verbum* Debet *importat necessitatem.*
8 *Pœnitens recusans pœnitentiam non est absolvendus, nisi excusetur impotentia physica, vel morali.*
9 *Refutantur fundamenta opinionis contrariæ.*
10 *Purgatorium eligere, & satisfactionem in hac vita negligere, insipientis est.*
11 *Exemplum Pœnitentis, qui elegerat stare per tres dies in Purgatorio.*
12 *Obedire debet pœnitens Confessario circa pœnitentiam sub mortali.*

QUarta tandem conditio Confessionis Sacramentalis, ut sit perfecta, est, quòd sit *Obediens*, ut diximus supra *Decis. XV. num.* 32. videli- 1
cet, ut pœnitens, qui sua peccata confitetur, habeat animum, & propositum exequendi quidquid

Confessarius judicaverit necessarium ei injungere, tum in casibus restitutionis, tum in fugiendis occasionibus peccandi, ac acceptandis remediis, ne deinceps cadat in peccata; ac demùm in acceptanda pœnitentia, eaque adimplenda, quam ipse Confessarius illi imponere voluerit; ut dixerunt Eminentiss. Cardin. Toletus *libr. 3. cap. 9 num. 3.* Reginaldus *lib. 6. num. 90. in fin.* & passim omnes. Porrò hic examinanda est antiqua, ac famosa illa Quæstio, Utrùm hæc obedientia in pœnitente sit de præcepto; aut pendeat ab ejus libera voluntate; itaut, si dicat, nolle facere aliquam pœnitentiam in hac vita, sed esse contentum satisfacere pro suis peccatis in Purgatorio, nihilominus sit à Confessario absolvendus, & absque ulla pœnitentia dimittendus. Tractant hanc quæstionem Suarez *de Pœnitent. disp. 38. sect. 7.* Navarrus *in cap. Considerent. §. Ponat. de Pœnitent. dist. 5.* Emin. Card. de Lugo *eod. tract. disp. 25. sect. 5.* Comitolus *Responsa Moral. lib. 1. quæst 35.* ac plurimi Theologi, & Summistæ utriusque Scholæ collecti per Dianam Coordinatum *tom. 1. tract 6. resol. 2. resol. 3. & resol. 4.* quæ fuerunt excerptæ ex Diana veteri *part. 3. tract. 4. resol. 51. & tract. 15. resol. 52.* nec non *ex part. 11. tract. 7. resol. 2.* & novissimè post ipsum Collegium Salmanticen. *In cursu Theol. Moral. De Sacramentis in genere d. tract 6. cap. 10 punct 4.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœnit. disp. 22. art. 7.* ac doctissimus Mastrius *in 4. Sent. disp. 5. quæst. 22.* ubi indolentiam faciunt tanquam boni Scotistæ contra illos, qui declamant, eorum subtilissimum Doctorem, ac Magistrum docuisse; posse Pœnitentem absolutè quamcumque pœnitentiam recusare; non enim cum hac generalitate locutus est Scotus.

Igitur plurimi DD. tam antiqui, quàm moderni tenent, posse pœnitentem recusare pœnitentiam 2
sibi à Confessario propositam, dicendo, velle eam facere in Purgatorio, & moventur sequentibus argumentis.

Primò: quia sicut homo extra Sacramentum potest abstinere à satisfactione pro suis peccatis in hac vita, & pro iisdem velle luere, ac satisfacere in alia, idest in Purgatorio; ita potest idem velle, ac idem facere in Sacramento Pœnitentiæ. Consequentia probatur; Sacramentum hoc obligat ad obtinendam remissionem culpæ, & commutationem pœnæ æternæ; non autem ad satisfactionem pœnæ temporalis. Ergo cùm pœnitens se accusat de suis peccatis cum dolore, ac proposito emendationis, satis est pro absolutione obtinenda.

Secundò: Quando sunt duo modi satisfaciendi justitiæ pro aliquo delicto, potest reus eum eligere qui ex illis duobus sibi magis placuerit. Sed satisfacere possumus pro peccatis vel in hac vita, vel in Purgatorio. Ergo pœnitens potest juxta suum placitum unum ex illis eligere.

Tertiò: Si hoc verum non esset, Purgatorium esset superfluum; siquidem constitutum est à divina justitia, ad ibi satisfaciendum pro peccatis jam remissis. Ergò nil prohibet pœnitenti, quin ibi velit satisfacere.

Quartò: Judicium Sacramentalis Confessionis est voluntarium ipsi pœnitenti, qui non potest absolvi, nisi ipse velit; ergo neque potest obligari ad acceptandam pœnitentiam, ac satisfaciendum in hac vita, nisi concurrente ejusdem voluntate.

Quintò: In judiciis fori exterioris non est prohi- 3
bitum appellare à pœna imposita per judicem inferiorem ad Tribunal Judicis superioris. Sed in nostro casu pœnitens recusando pœnitentiam Confessarii, & dicendo se velle eam facere in Purgatorio, quodammodo appellat à sententia Judicis inferioris ad Tribunal Judicis supremi, & petit transferri ad carceres Divinæ justitiæ. Ergo hoc ei non est prohibendum:

Sextò: Quilibet potest renunciare beneficio pro se introducto. *cap. Ad Apostolicam. De Regular.* Barbosa *Axiom. 96. num. 2.* Sed satisfacere in hac vita adimplendo pœnitentiam à Confessario injunctam, est favorabile pœnitenti, ut effugiat pœnas ignis Purgatorii in alia. Ergo, si vult renunciare huic favori, id facere potest.

Septimò: Finis Sacramenti pœnitentiæ est salus peccatoris. Sed si peccator, qui dolet de peccatis confessis, & habet propositum non recidivandi, non absolveretur ob recusatam ab eo acceptationem pœnitentiæ, ejus salus non procuraretur, sed ejus perditio; quia desperatus recederet, & in majora peccata se projiceret. Ergo etiamsi non acceptet pœnitentiam, est absolvendus.

Octavò: Qui confitetur in gravi infirmitate, vel morti proximus, absolvitur, etiamsi nullam faciat pœnitentiam. Ergo id fieri potest etiam extra casum infirmitatis.

Nonò: Si pœnitens esset obligatus acceptare, & adimplere pœnitentiam sibi à Confessario designatam; sæpè sæpiùs cogeretur suscipere pœnitentias indiscretas, & sibi impossibiles; puta si melancholico, & ad desperationem prono imponantur ea, quæ augent melancholiam, & tristitiam, ut est nimias orationes recitare, abstinere ab honestis conversationibus, & similia, de quibus Navarrus in *d. cap. Considerent. §. Ponat. n. 4. de Pœniten. dist. 5.* Et ego audivi à Confessario pio, ac docto, quòd in sua Religione fuit punitus quidam Sacerdos expositus Confessionibus audiendis, qui in hebdomada Sancta, circa Confessionalem sedem magna pœnitentium multitudine adstante, auditus fuit disputare cum paupere quodam bajulo, sua peccata confesso, recusante acceptare pœnitentiam decem dierum jejunii in pane, & aqua; allegante suos corporales labores, ac rogante, ut in aliis piis operibus sibi congruis eam commutaret. At inflexibili extante Sacerdote, recessit bajulus inabsolutus, & paulò post, distans aliquantulum, ad eundem conversus, ait: *Pater, Pater: ostenditque ei quinque digitos dexteræ manus,* innuens, se paratum acceptare quinque dies jejuniorum. At Confessarius respondit: *nequaquam*; sed *extendit ambas manus, & decem digitos,* illos excutiens ac si ageret ludum *della mora*; reiterans suæ voluntatis actum, ut decem diebus jejunaret; undè mœstissimus bajulus abiit, scandalum passi sunt adstantes, à quibus monitus Superior illius imprudentis, ac indiscreti Confessarii, eum acri pœnitentia coercuit, & à Sede Confessionali omninò removit. Itaque facilè est consimiles indiscretos Sacerdotes reperire, qui nimis urgeant pœnitentem; quem expedit posse recusare pœnitentiam, & petere absolutionem; protestando, contentum esse, eam facere in Purgatorio. 4

Decimò. Idem jus est de parte, ac de toto. Barbosa *in Locis com. loc. 82.* Sed potest Confessarius injungere modicam pœnitentiam pœnitenti, & sic tenuem partem explendam in hac vita; relinquendo residuum purgandum in Purgatorio. Ergo poterit etiam nihil injungere, & permittere, ut tota pœna debita pro peccatis luatur in Purgatorio.

Undecimò. Dari potest Confessio Sacramentalis, in qua pœnitens se accuset vel de solis peccatis venialibus, vel etiam de mortalibus; sed aliàs confessis,

sis, ac dimissis. At in hoc casu ex communi Doctorum placito, pœnitentia vel non acceptata, vel non adimpleta non excedit culpam venialem. Mastrius *d. disp. 5. num. 604.* Suarez *tom. 4. in 3. part. D. Thomæ disp. 38. sect. 7. num. 4.* Layman. *lib. 5. tract. 6. cap. 15. num. 7.* & Diana Coordinatus *d. tom. 1. tract. 6. resol. 5. & resol. 47. ac resol. 48.* Ergo non est verum, quòd semper teneatur pœnitens acceptare, ac exequi pœnitentiam.

Duodecimò, & ultimò. Tanta potest esse Contritio in pœnitente, ac displicentia de peccatis, ut 5 non sit opus pœnitentia, quia valet ipsa summa contritio ad satisfaciendum Divinæ Justitiæ pro quacunque pœna aliàs luenda; ut docuimus supra *Decis. VI. num. 6.* Hinc legitur in Chronicis Sancti Francisci, mulierem concionem audientem, magno dolore de suis peccatis contritam, expirasse; & orante Concionatore, revelatum sibi fuisse, ejus animam ad Cœlum convolasse. Aliumque peccatorem, qui propriam filiam violenter oppressérat, ad pedes Episcopi cum lacrymis hoc facinus confessum, sibi pœnitentiam gravem postulantem, præ nimio dolore decessisse; retulitque deindè pius ille Episcopus, *quòd ille pœnitens sine ulla alia Purgatorii pœna, validissima tantùm contritione purgatus ad gloriam evolaverit.* Ita Daurioultius *in Catechismo Histor. part. 3. cap. 5. tit. 37. §. 2. ac 3.* & Mattheolus *in Sylva part. 2. lib. 8. cap. 1. tit. 18 Exempl. 2. & 3.* His itaque rationibus permoti hanc opinionem tenuerunt Gabriel *in 4. dist. 16. quæst. 2. dub. 1.* Cajetan. *quæst. 2. de Satisfact.* Sylvester *in Verb. Confessio. 1. §. 25. & §. 26.* Angelus *eod. Verb. 1. §. 36.* Navarrus *in d. cap. Consideret. §. Ponat.* Abbas *in cap. Significavit. de Pœnit. & Remiss.* Et cum his tenuisse fertur Scotus *in 4. dist. 15. qu. 1. §. De secundo principali. Vers. Quia ergo;* necnon *dist. 19. §. Ad quæstionem motam, sub Litt D.* 6 cujus auctoritate freti eandem defendunt Scotistæ veteres, ac juniores Faber, Hiribarnes, Aretinus, Poncius, & alii plures apud Castropalaum *tract. 23. disp. Unica, punct. 21. §. 4.* & Collegium Salmanticen. *tract. 6. de Sacram. in genere cap. 10. punct. 4. num. 48.*

Contraria verò Sententia, quæ omnino tenenda est, innititur sequentibus fundamentis.

Primò: ex *cap. Multiplex. 49. de Pœnit. dist. 1.* ubi S. Leo Papa ita scribit: *Mediator Dei, & hominum Homo JESUS CHRISTUS hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus pœnitentiæ satisfactionem darent; & eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* En igitur potestas in Sacerdote injungendi satisfactionem, & in pœnitente obligatio eam adimplendi, ut possit Deo reconciliari.

Secundò: ex *cap. Omnis utriusque sexus. de Pœnit. & Remiss.* ubi expressè decernitur, teneri omnem utriusque sexus fidelem, qui doli sit capax, singulis annis semel saltem proprio Sacerdoti confiteri omnia peccata, in Paschate Eucharistiam sumere, & *injunctam Pœnitentiam propriis viribus adimplere.*

Tertiò: Ex Concilio Lateranensi, cui præfuit Leo X. in quo præceptum fuit, ut blasphemi absolvi non possint, *nisi gravissima pœnitentia* (verba sunt Concilii) *severi Confessoris arbitrio injuncta.* Ecce necessitas acceptandi pœnitentiam, ad obtinendam absolutionem.

Quartò: Ex Concilio Florentino, in quo, ubi definit sunt essentialia Sacramenti Pœnitentiæ, dicitur, quòd *Pars Pœnitentiæ satisfactio est, secundùm arbitrium Sacerdotis.* Si ergo satisfactio secundùm Sacerdotis arbitrium est pars Sacramenti, non potest à pœnitente recusari.

Quintò: Ex Concilio Tridentino *sess. 14. de Confess. cap. 8.* ubi hæc verba: *Debent ergo Sacerdotes* 7 *Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere.* Porrò verbum *Debet*, in jure importat necessitatem, & inducit obligationem. *l. Sæpè. ff. de Offic. Præsid.* Fagnanus *in cap. Qualiter. num. 37. de Cleric. non residen.* Ideò ipsum Concilium *eadem sess. 14. Can. 15.* decrevit, quòd *Si quis dixerit Claves Ecclesiæ esse datas tantùm ad solvendum, non etiam ad ligandum; & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi, &c. Anathema sit.*

Sextò: Ex ratione Sacramenti Pœnitentiæ instituti ad modum judicii, cujus virtute Sacerdos habet potestatem tanquam Judex puniendi pœnitentem, & illi incumbit obligatio pœnam acceptandi, ac exequendi.

Septimo: Quia imò Confessarius tanquam Judex tenetur imponere pœnitentiam, *ob præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem*, ut ait Concil. Tridentin. *d. sess. 14. cap. 8.* At si liceret Pœnitenti eam recusare; inutilis esset Confessarii auctoritas vindicandi, ac castigandi peccata. Ergo

Octavò: Ulteriùs Sacerdos tanquam Medicus debet advertere in pœnitentia injungenda, ut deserviat *ad novæ vitæ custodiam, & ad infirmitatis medicamentum*; ut docet idem Concil. Trid. *ead. sess. 14. c. 8.* Sed frustra Confessarius mederetur infirmitati pœnitentis, si huic liceret, medicamentum, idest pœnitentiam recusare. Ergo

Nonò: Quia ex doctrina S. Thomæ *3. part. quæst. 90. art. 2.* ad validitatem Confessionis tria requiruntur in pœnitente, *Primò quidem voluntas recompensandi* (scilicet Divinam Justitiam peccatis offensam) *quod fit per contritionem. Secundò, quòd se subjiciat arbitrio Sacerdotis loco Dei; quod fit in Confessione. Tertiò, quòd recompenset secundùm arbitrium ministri Dei, quod fit in satisfactione.* Igitur sicut tenetur pœnitens se subjicere Ministro Dei in Confessione; sic etiam in satisfactione debet esse subjectus arbitrio illius.

Decimò: Si pœnitens posset non acceptare satisfactionem, quam illi imponit Confessarius, destrueret virtutem Clavium Ecclesiæ, quæ datæ sunt à Christo, ut per eas Sacerdotes habeant facultatem ligandi, atque solvendi; juxta illud: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo. Matth. 18. 18.* de quibus Clavibus pro foro interno, diximus supra *Decis. XIX. num. 16.* & egimus ibidem *à num. 31. & seqq.*

Undecimò: Si posset rejici satisfactio per Confessarium imposita à Pœnitente, hic usus esset introductus in Ecclesia à primis sæculis, & de eo haberetur observantia. Sed hoc est falsum; quia nullibi de tali usu constat; imò semper Sancti Patres, ac Concilia præceperunt Sacerdotibus, ut convenientes imponant satisfactiones; & si pœnitentes sint infirmi, debeant eis innuere hanc suam obligationem, si convalescant. *cap. Ab infirmis. 26. quæst. 7.* Ergo.

Duodecimò, & Ultimò: Si pœnitenti liberum esset recusare pœnitentiam, Sacerdos non esset certus de ejus proposito se emendandi; immò justam

ansam

ansam haberet dubitandi, prædictum propositum deficere; qui enim despicit, ac respuit medicinam, indicat, se nolle sanari. Idcircò Sacerdos cum incertitudine impenderet ipsi absolutionem cum evidenti periculo irrogandi gravem injuriam Sacramento, & committendi Sacrilegium.

8 Ex his igitur, & similibus rationibus, & argumentis omnes moderni docent, esse omninò amplectendam, ac in praxi servandam hanc secundam opinionem, inter quos Comitolus *d. lib.* 1 *quæst.* 35. ubi *num.* 4. allegat plurimos ita sentientes; Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp.* 25. *sect.* 5. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 22. *à num.* 143. *& seqq.* Mastrius *in* 4. *Sent. tom.* 4. *d. disp.* 5. *quæst.* 22. *art.* 1. *& art.* 2. Gobatus *tract.* 7. *num.* 764. *& seqq.* ac Collegium Salmanticen. *d. tract.* 6. *cap.* 10. *punct.* 4. *à num.* 52. *& seqq.* ubi alii multi. Qui tamen hanc opinionem limitant, quando pœnitens ob inhabilitatem physicam, aut moralem, non potest acceptare, aut exequi Pœnitentiam sibi à Confessario injunctam; in hoc enim casu absolvendus est, & permittendum, ut satisfaciat in Purgatorio. Inhabilitas physica est gravis infirmitas, vel imminens periculum vitæ in naufragio, vel in bello; tunc enim impossibile est dare, ac recipere pœnitentiam; undè, ea omissa, pœnitentes sunt absolvendi. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 22. *num* 153. quia Deus non obligat ad impossibilia. Moralis inhabilitas censetur esse vel nimius labor corporis; vel nimia debilitas mentis; certum est enim, quòd artifices, rustici, bajuli, aliique victum sibi comparantes gravibus corporeis laboribus non possunt moraliter acceptare jejunia, aliasve corporis austeritates; prout neque qui patiuntur animi debilitatem ob melancholiam, aut aliam imperfectionem, non sunt habiles ad suscipiendas pœnitentias jejuniorum in pane, & aqua; ad longas preces recitandas, solitariamque vitam degendam; & ideò hi omnes recusare possunt satisfactiones sibi moraliter impossibiles; & petere, ut aliæ sibi faciliores injungantur, vel absolvantur absque alia pœnitentia, acceptantes eam facere in Purgatorio; & in hoc sensu id licitum esse, ait Scotus *in* 4 *dist.* 19. §. *ad quæstionem motam. D.* ut Mastrius advertit *d. disp.* 5. *num.* 589. & Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp* 22. *num* 138. ex quibus justificatur subtilissimi Doctoris assertio, quæ non est universalis, & in quacunque confessione; sed in casu tantùm physicæ, vel moralis inhabilitatis; & quando Confessarius esset indiscretus, & imponeret pœnitentias incongruas, & inadaptabiles statui ipsius pœnitentis contra *tex. in cap. Alligant.* 26. *quæst.* 7. ubi damnantur Sacerdotes, qui imponunt pœnitentibus onera gravia, & importabilia; monenturque, ut benignos se præbeant; nam meliùs est errare in assignanda modica pœnitentia, quàm gravi; quod renovatum fuit à Concilio Tridentino *in cit. sess.* 14. *cap.* 8. ubi præcipit Sacerdotibus, *pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere.* Et in hoc pariter sensu mihi videtur locutus Navarrus *in cit. cap. Considereat.* §. *Ponat. num.* 8. *de Pœnit. dist.* 5. quod repetit etiam *in Manuali cap.* 26. *num.* 20.

Retenta itaque hac secunda opinione cum moderatione, seu limitatione supranotata, contraria opinio est pœnitùs rejicienda; adeò ut si pœni-
9 tens recusaret congruam pœnitentiam, ac diceret, absolve me, satisfaciam in Purgatorio, esset omninò repellendus à Sede confessionali, & dimittendus inabsolutus; nec tali instantiæ Confessarius cedere deberet; ut notat Gobatus *d. tract.* 7. *num.* 764. attestans, hanc opinionem in Germania esse pœnitùs ignotam. Neque subsistunt fundamenta contraria.

Non primum. Quia, etsi extra Sacramentum homo per se, & ex natura rei omittere possit satisfactionem pœnarum pro suis peccatis in hac vita, & velle eas pati in Purgatorio; aliter est dicendum ex institutione, & susceptione Sacramenti Pœnitentiæ; quod cùm sit ordinatum per modum judicii, debet pœnitens parere sententiæ Sacerdotis imponentis ei pœnam pro peccatis confessis; & non est verum, quòd hoc Sacramentum obliget tantummodo ad obtinendam remissionem culpæ, & commutationem pœnæ æternæ, siquidem obligat ad illam satisfactionem pœnæ temporalis, quam Confessarius judicat convenientem; ne judicium mutilum remaneat.

Non secundum. Quia procedit de satisfactionibus debitis extra Sacramentum: secùs de illis injunctis à Sacerdote, cui eum pœnitens se subjecerit tanquam Judici, debet ejus sententiæ parere; & pœnitentiam injunctam acceptare, & perficere.

Non Tertium. Quia respondetur, Purgatorium non esse principaliter institutum à Divina Justitia pro illis, qui in hac vita voluerunt nullam facere pœnitentiam; sed pro iis, qui licèt injunctam à Confessario fecerint, attamen non totaliter satisfecerint pro suis peccatis; atque ideò Purgatorium non est superfluum, quia ibi residuum pœnæ, soli Deo notum, remanet adhuc in Purgatorio luendum.

Non Quartum. Quia voluntarium est Judicium confessionis Sacramentalis ipsi pœnitenti, quatenus potest accedere, vel non accedere, ad talem Confessarium: sed quando accessit, & confessus est sua peccata, & vult absolvi ab eis, non est voluntarium recusare pœnitentiam, sed necessarium ob debitam obedientiam Judici, qui eatenus est ei remissurus culpam, quatenus acceptet, & adimpleat pœnitentiam.

Non quintum. Nam non currit comparatio de foro externo ad forum internum, ac Sacramentale; quia in hoc non datur appellatio, quia supremum est, & idem cum Divino, juxta illud quod supra notatum est: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo. Matth.* 18. 18.

Non Sextum. Quia procedit, quando acceptatio favoris, ac beneficii pendet à libera voluntate personæ privatæ; secùs quando pendet à dispositione Principis, ut in casu nostro, in quo Christus tanquam Rex supremus ita disposuit hoc beneficium in Sacramento Pœnitentiæ sub modo judicii, ut qui velit remissionem culpæ, & commutationem pœnæ æternæ, debeat acceptare, ac exequi pœnam temporalem, quam Sacerdos tanquam Judex voluerit imponere.

Non Septimum. Quia concesso, quòd à Confessario sit procuranda salus peccatoris; casu, quo per indiscretam pœnitentiam, ejus absolutio impediretur, poterit accedere ad alium Sacerdotem benigniorem, qui audita ejus Confessione, & considerata ejus habilitate moderabitur pœnitentiam, & sollicitus erit de ejus salute, absolutionem eidem impendendo.

Non Octavum. Quia in casu gravis infirmitatis, vel mortis imminentis est impotentia physica, ut dictum est supra *num.* 8. & tunc absolvitur pœnitens absque pœnitentiæ impositione, quia Deus non obligat ad impossibilia, *ex Trid. sess.* 6. *cap.* 12. etsi, quando infirmus non sit pœnitùs destitutus sensibus,

sibus, imponitur ipsi etiam in eo casu modica quædam satisfactio, nempè tunsio pectoris, ut pronunciatio Sanctissimorum nominum JESU, & MARIÆ: vel actus conformitatis Voluntati divinæ; ut innuit Gobatus *d. tract. 7. num. 759.* & Collegium Salmanticen. *d tract. 6. cap. 10. num. 20. & 21.*

Non Nonum. Quia, ut dictum est ad septimum, si reperiatur Confessarius indiscertus, potest pœnitens ab eo recedere, ut fecit bajulus ille cujus mihi fuit narrata historia: & alii Confessario prudentiori sua & benigiori peccata confiteri.

Non Decimum. Quia non semper currit argumentum de parte ad totum; ut probat Calderinus *cons. 11. aliàs 2. de Arbitr.* & Barbosa *loc. 82. num 2.* nam sæpè sæpiùs multi possunt disponere de aliqua parte, sed non de toto. Sic in casu nostro Sacerdos potest minuere pœnitentiam peccatori in aliqua parte ex aliquo honesto motivo, ut probat idem Gobatus *d. tract. 7. num. 758. & seqq.* sed non potest totam dimittere, cùm sit ipsa pœnitentia pars integralis Sacramenti, & teneatur exercere officium Judicis completum, sententiando reum ad aliquam pœnam.

Non Undecimum. Quia estò, quòd mortale non sit omittere pœnitentiam injunctam pro solis venialibus, vel pro mortalibus aliàs confessis, in quo tamen non concordant omnes Theologi, quos refert Mastrius *d. disput. 5. num. 604.* adhuc tamen non infertur ex hoc, posse relinqui mutilum Sacramentum, & dari absolutionem absque acceptione alicujus satisfactionis, quæ tanquam pars integralis non est omittenda.

Non Ultimum. Quia coram Deo dari potest plena satisfactio culparum ob intensissimum dolorem peccatoris, & ejus perfectam contritionem, ut in exemplis allegatis. Sed coram Ministro Dei, qui est Confessarius, attendenda est qualitas sui officii, nempè judicialis in Sacramento Pœnitentiæ, quæ requirit, ut pœnam imponat pœnitenti confesso, antequam illum absolvat. Quamvis concedant DD. ob summam illam contritionem licitum esse imponere exiguam pœnitentiam, ut faciebat Episcopus, de quo in secundo exemplo adducto.

Cæterum, ut cunctis pateat, quàm insipiens foret postulatio pœnitentis recusantis acceptare pœnitentiam à Confessario, ac dicentis velle satisfacere in Purgatorio; legat studiosus lector sequentem causam, quem de verbo ad verbum sumo ex S. Antonino *in Summa, part. 4. tit. 14. cap. 10. §. 4.* ubi ita scribit: Cùm quidam sceleratè viveret, visitus à Domino, ut ad se rediret, incurrit gravem infirmitatem, & diutinam. Attediatus autem ex prolixitate languoris rogabat frequenter Dominum, ut de carcere corporis educeret eum. Apparens autem una dierum ei Angelus Domini, ex parte Dei dedit sibi optionem eligendi quod magis vellet, adhuc per duos annos illam infirmitatem tolerare, & postea evolare ad Cœlum; aut tunc moriendo per tres dies in Purgatorio permanere. At ille attendens ad brevitatem temporis, quo erat mansurus in Purgatorio; & longitudinem dierum, quibus infirmatatem jamdiu expertam adhuc erat passurus, elegit potiùs morari in Purgatorio per triduum; & mori Exauditus ergo de hac luce migravit, ad ignem Purgatorium pergens anima ejus. Indè ad horam ab exitu suo de hoc mundo apparuit ei in Purgatorio Angelus Domini confortans eum. Interrogavitque eum, si illum recognosceret; & respondit: minimè. At ille: ego sum Angelus Domini, qui tibi dedi optionem sumendi ex parte Dei, ad hunc locum, scilicet veniendi, & triduò moram faciendi; an in illa tua infirmitate per binium permanendi. Cui ille: Nequaquam vales esse Angelus Dei, quia ille mentiri non potest. Sed qui mihi hoc dixit, mendacium magnum expressit. Nam cùm dixerit per triduum me hîc moraturum; ego jam mansi in his maximis pœnis per plurimos annos Angelus verò ad eum: Tu hîc non fuisti, nisi per horam; ita quod adhuc habes hic manere quod restat. At ille: Roga Dominum meum, ut non respiciat ad insipientiam meam hoc eligendo, & tu pro me intercede apud eum, ut reducar ad vitam priorem, & ego ne dum per duos annos, sed quantum placuerit ei, paratus sum tolerare infirmitatem illam, quod & obtinuit. Unde vitæ restitutus patientissimè, & lætantur omnem dolorem tolerabat, expertus pœnas Purgatorii. Huc usque S. Antoninus. En igitur, quam stulta est petitio nolendi satisfacere in hac vita, & deferendi totam Pœnitentiam in Purgatorium, de cujus atrocitate pœnarum testimonia reddidi supra *Decis. III. num. 9. & 10.*

Reassumendo hanc quartam conditionem Confessionis Sacramentalis, quòd scilicet *sit obediens*, id est quòd Pœnitens paratus sit acceptare pœnitentiam ei à Confessario injungendam, illamque exequi; hæc est adeò urgens, & necessaria; ut prætermitti non possit absque peccato mortali, ubi ea esset gravis, vel ob mortalia peccata fuisset injuncta; ut firmat Collegium Salmantic. *d. tract 6 cap. 10. num. 60.* & Mastrius *d. disp. 5. num. 604.* Imò si Confessarius peteret à pœnitente, ut adimpleret pœnitentiam ante absolutionem, teneretur ei obedire; ut probat Eminentiss Cardin. de Lauræa *d. disp. 22. num. 154 & 155.* contra Tamburinum *de Expedit. Confess. lib 4. cap. 2. §. 1. & 2.* ubi videtur adhærere Theologis, in hac materia nimiùm laxantibus habenas. Reliqua, quæ concernunt materiam Satisfactionis, explicabuntur infra *Decis. XXXIV.*

DECISIO XXXI.

ARGUMENTUM.

Proponuntur novem principales casus, in quibus prior Confessio invalida reiteranda. Quinque ex defectu confitentis vel ob malum finem, vel non integrè, vel absque dolore, ac proposito se emendandi: vel non deferendi occasiones proximas (circa quas quatuor propositiones damnatæ referuntur): vel ob excommunicationem, à qua Confitens prius, quàm à peccatis non fuit absolutus. Redditur ratio, cur excommunicati, etsi indignè, validè tamen recipiant omnia Sacramenta, non autem aliud Pœnitentiæ. Alii quatuor casus repetendæ Confessionis invalidæ ex defectu Ministri, vel ficti Sacerdotis: vel non approbati: vel dormitantis: vel indocti. Curiosus successus R. P. Francisci Suarezii eximii Theologi, dum rustice caretur penes Conimbricam.

SUMMARIUM.

1 *Malum ob finem facta confessio an sit valida?*
2 *Veniale peccatum commissum in Confessione non irritat illam.*
3 *Integra si non sit Confessio absque legitima causa, est repetenda.*
4 *Sacrilegam post Confessionem aliæ bona fide factæ non sunt iterandæ.*
5 *Peccatum inculpabiliter non dictum in Confessione, non facit eam nullam.*
6 *Propositi ob defectum Confessio est invalida, ac repetenda.*
7 *Occasiones peccandi aliæ remotæ, aliæ proximæ. Et quæ tales sint?*
8 *Propositiones quatuor damnatæ circa occasionem proximam non deserendam.*
9 *Excommunicatio pœnitentis quando reddat ejus Confessionem nullam.*
10 *Sacramenta omnia etsi indignè, validè tamen recipiuntur ab excommunicato, excepta Pœnitentia. Et cur?*
11 *Absolutio à censuris in Sacramento Pœnitentiæ an omittenda ante absolutionem à peccatis?*
12 *Laicus simulans se Confessarium à S. Inquisitionis Officio puniendus.*
13 *Laico facta confessio, & ab eo data absolutio est invalida.*
14 *Confessarius non approbatus ab Episcopo nulliter absolvit: nisi communi errore credatur habere facultatem.*
15 *Dormitans, aut non audiens Confessarius an validè absolvat?*
16 *Ignorantia, & insitia Confessarii an reddat invalidam Confessionem?*
17 *Francisci Suarezii successus curiosus circa Capellanum, & Parochum ignorantes absolutionem Sacramentalem.*
18 *Monitio ad Prælatos circa Examen Confessariorum.*
19 *Repetenda quando est Confessio, quomodo sit facienda repetitio?*
20 *Confessio etsi non unica vice complecta valet.*

DIsseruimus hucusque de quatuor necessariis conditionibus Sacramentalis Confessionis ad ejus validitatem, nempè de examine conscientiæ, de integritate, de fidelitate, ac de obedientia pœnitentis erga præcepta Confessarii; porrò, quia tum ex deficientia prædictarum conditionum, tum ex aliis defectibus vel pœnitentis, vel Confessarii confessio remanet invalida, & opus est eam repetere; idcircò in præsenti referendi sunt casus principaliores, in quibus confessio jam facta est iterum repetenda, vel ob defectus Pœnitentis, vel Confessarii. Et quidem quoad defectus Pœnitentis.

Primus casus est; si Pœnitens accendat ad Con-
1 fessionem, non principaliter, ut sua cofiteatur peccata, sed ob aliquem malum finem. Et tunc oportet distinguere; vel finis est malum mortale; vel tantùm veniale. Sit exemplum. Matrona aliqua habet pecuniam dandam ad livellum; sed ne decipiatur, declarat, se velle eam dare viro timorato, timenti Deum ac frequentanti Sacramenta. Petrus libertinæ vitæ, ut prædictam Matronam fallat, ac se devotum, timoratumque fingat, accedit ad Confessarium, suaque confitetur peccata, & medio proxenetarum id facit pervenire ad aures ejusdem Matronæ, quæ consentit dare pecuniam ipsi Petro; cujus tamen bona sunt anterioribus creditoribus hypothecata, ac fideicommissis subjecta; adeò ut livellus conficitur in damnum irreparabile livellantis, ut quotidie practicatur nostra ætate. Utique illæ Confessiones Petri sunt invalidæ, & prorsus repetendæ, tanquam factæ cum fine mortaliter malo, scilicet decipiendi Viduam in futuro contractu. Idem esset dicendum in Presbytero malæ vitæ, ac indocto, qui ad carpendum beneficium, fingeret se devotum, frequentando Confessiones coram aliquo simplici Sacerdote, qui ex sua simplicitate testaretur collatori, Presbyterum prædictum esse eximiæ bonitatis. Vel si famulus, ad majorem libertatem furandi in domo Heri, Confessiones ageret coram Parocho, ut apud Herum optimam sui ipsius opinionem nutriret. In his, & similibus casibus ob pravum finem invalidæ essent Confessiones, infectæ malitia decipiendi proximum; & omnia peccata in prædictis Confessionibus exposita iterùm forent repetenda. Sotus *in 4. dist. 18. q. 3. art. 3. ad 3.* Navarrus *in Manuali cap. 21. num. 40.* hanc reddens rationem, quia omnis actus, cujus finis mortalis est, ipse quoque talis est. *cap. Cum Minister. 28. q. 5.* Reginaldus *d. libr. 6. num. 149.* & Vel finis in confitente est mali Venialis, puta, ut captet inanem gloriam apud Confessarium, vel apud socios, amicos, vel parentes? Et in hoc casu Sylvester *V. Confessio. §. 7.* tenet, Confessionis hujusmodi esse invalidas, & per consequens repetendas; ratio desumitur ex doctrina de bonitate, ac malitia humanorum actuum, per quam docemur, eundem numero actum non posse simul habere bonitatem, & malitiam, etiam ex diversis principiis, ut pluribus DD. citatis probat Collegium Salmantic. *eod. tract. tom 3. tract. 11. disp. 6. dub. 1. §. 1.* propterea contritio seu attritio, qua cupidus inanis gloriæ confitetur, cùm sit ob pravum finem, non potest esse actus virtutis supernaturalis deserviens Sacramento ad veniam peccatorum, & sic Sacramentum remanet nullum. Nihilominùs opinio contraria est magis communis, quæ te-
2 net finem malum venialem in Confessione eam non irritare; quia licet suscipiatur Sacramentum cum peccato veniali, validè tamen suscipitur, & non ponitur obex gratiæ; ut ex Navarro *d. cap. 21, num. 40.* demonstrat Reginald. *d. num. 149. libr. 6.* Diana Coordinatus *tom. 1. tract. 3. resol. 114.* desumpta ex veteri *par. 4. tract. 4. resol. 212.* & pluribus aliis citatis Collegium Salmanticen. *de Sacramentis in genere d. tract. 6. cap. 9. punct. 2.* ubi num 7. respondet ad rationem contrariam dicens, quòd in hoc casu duo sunt actus diversi & disparati in confitente, quamvis in eodem subjecto concurrentes; unus quidem venialiter malus ob finem vanæ gloriæ; alter omninò bonus, idest dolor de peccatis, cum proposito emendandi: qui destrui non potest, nec reddi insufficiens ad obtinendam justificationem; prout destrueretur, & perderet sufficientiam, si finis evaderet mortaliter malus; verbi gratia, si quis haberet duos Confessarios, quorum uni confiteretur peccata gravia, alteri tantùm levia, non ad conservandam bonam famam solummodò, quod si rarò fieret, mortale non esset) sed ob hypocrisim; videlicet, ut ab isto Confessario crederetur vir bonus, innocens, & pius; tunc enim mortaliter peccaret

sic

sic confitendo, & invalidæ essent Confessiones, ideòque repetendæ; ea ratione, quia hoc modo committitur gravis irreverentia contra Deum, sumendo Sacramentum institutum ab ipso in testimonium hypocrisis, ac confirmationem falsitatis. Sylvester *Verb. Confessio.* 1. *num.* 8. & Reginaldus *d. lib.* 6. *num.* 149.

Secundus casus est; si pœnitens absque integritate est confessus peccata sua; quia scilicet absque legitima causa tacuit peccatum mortale; vel ob verecundiam, vel ob culpabilem neglientiam; (ut frequenter accidit in praxi, & ostendimus *in Decis. XXIII.*) & tunc Confessionem esse repetendam est extra omnem controversiam; ac manifestandum sacrilegium commissum in taciturnitate illius peccati; ut docent omnes DD. Navarrus *in Manuali d. cap.* 21. *num.* 37. quod docuerat etiam antea *cap.* 9. *num.* 11. Reginaldus *d. libr.* 6. *à num.* 150. *& seqq.* Gabatus *tract.* 6. *num.* 260. Et ex professo Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 12. *à num* 190. *& seqq.* reddens rationem hujus necessariæ repetitionis, quia confessio integra peccatorum est de necessitate salutis; quod confirmat etiam Eminentiss Card de lugo *de Pœnit disp.* 16. *num.* 599. ac Collegium Salmanticen. *d. tract.* 6. *cap.* 9. *num.* 10. Et idem quo ad repetitionem dicendum est, si malitiosè fuerit omissus verus numerus peccatorum, vel aliqua circumstantia mutans speciem, aut notabiliter aggravans in quatuor generibus per nos expositis supra *Decis. XXV. à num.* 18. *& seqq.*

Illud tamen pro praxi est advertendum; quòd ubi quis culpabiliter mortale peccatum tacuerit in Confessione, deinde hujus sacrilegii omninò oblitus plures alias Confessiones integras bona fide fecerit, non est necessarium, ut repetat has Confessiones bona fide factas, ut idem Eminentiss. Cardin de Lugo *d. disp.* 16. *num.* 599. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *p.* 3. *num.* 6. Et Diana Coordin. *tom.* 1. *tract.* 3. *resol* 119. §. 2. *& in tract.* 4. *resolut.* 17. §. *ult.* quarum prima in veteri est *part.* 3 *tract* 4. *resol.* 107. *alias* 108. altera *in part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 60. *alias* 58. cum quibus concordat Collegium Salmanticen. *d. tract.* 6. *cap.* 9. *num.* 11. quæ quidem animadversio confert in magnum solamen confessariorum, quibus non semel accidit, audire pœnitentes, qui olim mala fide fecerunt Confessiones sacrilegas, deinde bona fide alias peregerunt; quas idem inter medias non oportet iterare.

Tertius casus est, quando è contra pœnitens inculpabiliter tacuit aliquod peccatum, vel circumstantiam, & integrè non fuit confessus, putans invincibiliter non esse peccatum mortale; vel non teneri ad manifestationem, ut sæpè evenit in pueris, vel puellis, aut rusticis; qui tamen grandiores facti, vel ab aliquo Prædicatore instructi postea cognoscunt suum defectum. In hoc enim casu, non sunt iterandæ omnes præteritæ Confessiones, sed satis est peccatum omissum, vel circumstantiam neglectam manifestare Confessario; ut scribunt Bonacia *d. punct.* 3. *num.* 6. Navarrus *in cap. Fratres, num.* 82. *de Pœnitent. dist.* 5. & in Manuali *cap.* 9. *num.* 12. Reginaldus *d. lib.* 6. *num.* 153. & Collegium Salmanticense *d. tract.* 6. *cap.* 9. *num.* 14.

Quartus Casus est, quando quis confessus est peccata sua absque proposito formali, vel virtuali se emendandi, de quo actum est supra *Decis. XIII. à num.* 15. *& seqq.* ubi tres præcipuæ conditiones ejusdem propositi notatæ sunt videlicet, ut sit firmum, ac stabile, ut se extendat ad omnia mortalia; & ut deserat proximas occasiones peccandi. Quapropter his deficientibus conditionibus insufficiens remanet propositum, & Confessio fit invalida, & per consequens est repetenda, ut pluribus rationibus probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 12. *art.* 9. §. 4. ac etiam §. 5. ubi explicat differentiam in occasiones proximas, & occasiones remotas peccandi; has enim esse dicit omnem creaturam; juxta illud, quod legitur *in Sap.* 14. 11. *Creaturæ Dei factæ sunt in odium, & tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Sed quia non ita frequenter inducunt ad peccandum, & non est tanta difficultas cum eis abstinere à peccatis; non sunt omnes deserendæ, vel declinandæ, alioquin, ut ait Apostolus, 1. *Cor.* 5. 10. *Deberemus omnes de Mundo exire.* At occasiones proximæ sunt omninò deserendæ, & illæ censentur proximæ, quæ inducunt frequenter ad peccandum; seu cum quibus difficillimè homo abstinet à peccato ex experientia, quam habet de se ipso; de quibus plura qui scire cupit, legat novissimè Cardenam in Crisi Theologia *tract.* 1. *de probabilitate. Dissert.* 18. in qua fusè tractat de fugiendo periculo peccandi & in specie *cap.* 8. *in fine, num.* 104. *&* 105. concludit: *In materia luxuriæ, avaritiæ, magnæ & vehementis iracundiæ, teneri hominem ad vitandas occasiones externas, si moraliter possibile sit; nec sufficit conari ad vitandum periculum formale per actus hominis intrinsecos. Infertur etiam, quòd in cæteris materiis, in quibus neque possio vehemens, neque habitus vitiosus intensus, neque acris tentatio urget, non tenetur homo sub mortali occasionem externam fugere; tenetur tamen vitare per actus intrinsecos periculum formale.* Et eandem doctrinam reperit in posthuma Crisi *Dissert.* *XXXIX.* ad propositionem *LX.* damnatam ab Innocentio XI. quæ asserebat: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei naturæ, aut Ecclesiæ; etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem:* nec non ad alias tres subsequentes; quæ contendebant, *La LXI.* quòd *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quinimò directè, & ex proposito quærit, aut eò se ingerit.* Propositio autem *LXII* quòd *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* Et tandem *La LXXIII.* quòd *licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.* Ex quibus omnibus ipse Cardenas optimè deducit ad existentiam veri propositi se emendandi necessarium esse, ut peccator deserat occasionem proximam, alias ejus confessiones erunt invalidæ, & subinde repetendæ, quam doctrinam omnes confessarios decet optimè novisse.

Quintus casus est, quando pœnitens est excommunicatus, & nihilominus accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ, confitetur peccata sua, & recipit absolutionem ab eis, nihil dicens de excommunicatione. Et circa hunc casum Doctores distinguunt, vel Pœnitens habet notitiam, ac memoriam Censuræ, qua est irretitus, vel non. Si scit, se esse excommunicatum sivè majori, sivè minori excommunicatione, & de ea nihil loquitur, Confessio est invalida, & per consequens repetenda. Ratio est, qua cùm excommunicatio

tam major, quàm minor privet hominem perceptione Sacramentorum;&qui audet ea sic percipere, peccet mortaliter;*cap. Si celebrat. De Cleric. excommun. celebr.* ponit obicem Divinæ gratiæ, quæ cum peccato stare non potest, & quantum in se est, contaminat Sacramentum sacrilegio, redditque illud nullum; undè necesse habet iterare Confessionem, obtenta priùs absolutione à censura ab eo, qui potest eam illi impertiri. Navarrus *in cap. Fratres num. 38. de Pœnit. dist. 5.* & in Manuali *cap. 9. num. 4.* Reginaldus *d. lib. 6. num. 172.* & Eminentiss. Card. de Lauræa *de Pœnitent d. disp. 12. art. 9. §. 7. num. 247.* bene admonentes, quòd iterando confessionem tenetur se accusare de Sacrilegio commisso in præcedenti. Si verò Pœnitens probabiliter ignorabat, aut non advertebat, se excommunicatum esse, ita ut quando absolvebatur neque crederet, neque adverteret, se peccare; tunc valida est ejus Confessio, ac absolutio; quia excommunicatus celebrans ob ignorantiam probabilem excusatur à peccato, & ab irregularitate. *cap. Apostolicæ. De Clerico excomm ministr.* & ob eandem ignorantiam pœnitens excusatur à sacrilegio; & quamvis excommunicatio privet hominem participatione Sacramentorum ipso jure;*cap. Engeltrudam. 3. quæst. 4. cap. si quem. de Sentent. excommunic.* Nihilominùs validum est Sacramentum Pœnitentiæ susceptum ab excommunicato cum ignorantia inculpabili; quia nullibi Ecclesia declaravit, absolutionem Sacramentalem eidem ignoranti excommunicationem datam; velle; quòd sit ipso jure nulla; sicut declaravit in collatione beneficii. *cap. Postulastis. de Clerico excommunic. ministr.* Imò alia Sacramenta, etsi indignè recipiantur ab excommunicatis scientibus se esse excommunicatos, validè tamen ab ipsis recipiuntur, ut de validitate Ordinis est *tex. in cap. 1. De eo, qui furtivè Ordin. susc.* & de validitate Matrimonii *in cap. Significasti. De eo, qui dixit in Matrimon.* & de Confirmatione ait Reginaldus *d. lib. 6. d. num 172. In tertia proposit. in fin.* ac Navarrus *in cap consideret. §. Cautus. num. 30. de Pœnit. dist. 5.* adeò ut solùm Sacramentum Pœnitentiæ nulliter suscipiatur ab excommunicato sciente se esse talem, ob culpam mortalem, quam committit transgrediendo præceptum Ecclesiæ prohibentis sibi participationem Sacramentorum; quæ culpa mortalis destruit validitatem Sacramenti Pœnitentiæ, tanquam incompatibilis cum Divina gratia, quæ est effectus Sacramenti ejusdem; & ideò cessante eadem mortali culpa in pœnitente excommunicato, ignorante invincibiliter suam excommunicationem, non datur in eo obex gratiæ Divinæ; & sic validè confitetur, ac absolvitur, absque obligatione iterandi suam Confessionem, sed tantummodò petendi absolutionem à censura, quando sciverit, se ea esse irretitum; ut latissimè probant idem Navarrus *in Manual. cap. 9. num. 3. & in d. cap. Fratres. num. 45.* Reginaldus *d. lib. 6. num. 172. Proposit. 3.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 12. n. 12.* Eminentissim. Cardin. Toletus *libr. 3. cap. 10.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 12. num. 248.* Diana Coordinatus *tom. 1. tract. 4. resol. 38.* ubi contrarium opinantes rejicit; idemque facit Collegium Salmanticen *d. tract. 6. cap. 9. Punct. 1. per totum*, respondens fundamentis adversariæ partis; quibus omnibus adstipulatur etiam Gobatus *tract. 7. num. 167. 168. & 169.* dicens: *Hæc probè nota, quia non obvia.* At utiliùs etiam notat, quòd ubi pœnitens non est plenè cognitus Confessario, & plura mortalia ad ejus pedes deponit: non est omittenda absolutio à censuris ad cautelam; dicendo ante absolutionem à peccatis: *absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, & interdicti* (si sit pœnitens Laicus) vel *absolvo te à censuris, in quantum possum, & tu indiges*; sic enim casu, quo esset aliqua censura irretitus, remaneret solutus ab illa; ut deinde cum certitudine possit absolvi à peccatis. In reconciliationibus autem brevibus, & ubi pœnitens est notæ probitatis; & frequentat Sacramenta, absolutio à censuris innoxiè omitti potest; idque communiter servari in Germania testatur ipse Gobatus *d. tract. 7. num. 163.* Et hæc satis dicta sint circa reiterandas Confessiones ob defectus Pœnitentis. Nunc pro defectibus Confessarii sit,

Sextus Casus; quando quis per errorem confitetur Laico, veste Presbyterali indutò, in Sede Confessionali reperto. Hunc casum aliquando evenisse audivi à meis majoribus, & testatur Diana *part. 4. tract. 7. resol. 11.* quæ in Coordinato reperitur. *tom. 5. tract. 12. resol. 11.* docens Laicum, vel Clericum non Sacerdotem ex sola curiositate audientem alterius Confessiones, esse suspectum de fide; & in S. Officio Inquisitionis gravissimis pœnis damnandum, juxtà Constitutiones Pontificis ibidem à Diana relatas; de quibus etiam Barbosa *de Epis. allegat. 110. num 18.* & Salelles *de S. Inquisition. tom. 3. lib. 5. cap. 5. Regul. 39.* Cæterùm quod attinet ad materiam nostram Confessio facta coram non Sacerdote, quamvis bonâ fide, est invalida, & absolutio ab eo impartita est nulla; quamvis errore communi, & titulo colorato habeatur pro vero Sacerdote; siquidem adest impedimentum juris Divini, quod ab Ecclesia suppleri non potest; nam de jure Divino facultas absolvendi competit tantummodo veris Sacerdotibus; ut diximus *in. Decis. XV. num. 22. & in Decis. XVIII. num. 9. & 10.* & in puncto scribunt Sanchez *de Matrimon. libr. 3. disp. 22. num. 27.* Bonacia *eod. tract. qu. 2. punct. 8. n. 36.* & pluribus citatis Collegium Salmanticens. *d. tract. 6. cap. 9. num. 22.* Quare in prædicto casu Confessio est prorsus reiteranda.

Septimus Casus est; si audiens Confessionem sit quidem Sacerdos, sed non habeat facultatem eas audiendi, vel quia nunquam fuit approbatus ab Episcopo illius loci; vel si fuerat approbatus ad tempus limitatum, jam facultas expiraverat, & tempus concessum transierat. In hoc casu oportet distinguere; vel in illo Sacerdos audiens Confessiones, communi errore, & titulo colorato creditur ab omnibus esse approbatus, & habere jurisdictionem; & tunc valida est absolutio, quia Ecclesia supplet jurisdictionem, quam supplere potest juxta *l. Barbarius. ff. d. Offic. Prætoris.* Sanchez, alios allegans *d. lib. 3. de Matrimon disp. 21. num. 5.* Bonacina ubi supra *de Matrimon. quæst. 2. punct. 8. num. 29.* (ubi tamen titubat de supradicta validitate absolutionis;) pro qua nihilominùs stat Collegium Salmantiens. *dict. tract. 6. cap. 9. num. 19.* & ibi non pauci. Casus iste successit decem ab hinc annis circiter in hac Diœcesi Patavina, inqua tempore Jubilæi tunc universalis duo, vel tres Regulares, qui antea ad tempus limitatum fuerant approbati, & jam tempus expiraverat, decepti communi illo dicterio, *semel approbatus, semper approbatus*, de facto audiverunt confessiones plurimorum, eosque absolverunt à peccatis. Vicarius Foraneus querelam detulit Eminentissimo Cardi-

Cardinali Episcopo Patavino, qui mandavit, formari Processum: ipsique Rei appellarunt ad Sacram Congregationem Eminentiss. Cardinalium negotiis Regularium præfectam; à qua decretum fuit, Regulares prædictos esse puniendos; absolutionesque, ac confessiones coram eis factas fuisse invalidas; sed ob communem errorem habitantium in illo loco, & ob bonam fidem pœnitentium, hos non esse inquietandos circa reiterationem confessionum; nisi eorum aliquis dubitaret de validitate; tunc enim esset monendus, ut iterùm eadem peccata confiteretur. At è contra, si Sacerdos audiens confessiones non crederetur ab Episcopo approbatus, & pœnitens sciret, vel sciendi ansam haberet, illum non esse legitimum Confessarium; & sine urgenti necessitate coram eo confiteretur peccata sua; confessio; & absolutio nullius esset valoris, & utraque esset iteranda: idemque foret dicendum, si Parochus aut intrusus, aut excommunicatus, & denunciatus publicè fuisset, ut disserit Bonacina *cit. disp. 2. punct. 8. à num. 25. & seqq.* & probat plenissimè Eminentiss. Cardin. de Lauræa *disp. 20. de Pœniteut. art. 3. per tot.*

Octavus casus est de illo, qui confitetur peccata
15 sua Sacerdoti dormitanti, vel surdo, aut sic distracto, ut non bene audiat, aut intelligat peccata pœnitentis. Cognovi Confessarium, qui audiens monialem nimis tædiosam, dormitavit, & transeunte strepitoso curru per viam, somniavit esse tonitruum; undè exclamavit *Jesus Maria, Jesus Maria.* At Monialis ad illum: Quid habes Pater? Et ille experrectus ait: Nihil Filia Somniabam tonare cœlum, & cadere fulgur. Tunc ipsa: Oh ego misera! Dormienti narro peccata mea? Et irata discessit, & narravit cæteris Monialibus, de hoc impensissimè ridentibus. In hoc casu esse iterandam confessionem opinati sunt D. Antoninus, Sylvester, & Navarrus apud Laymanum *libr. 5. tract. 6. cap. 9. num. 5.* Contrarium tamen tenendum est, quando pœnitens bona fide coram prædicto confessario se accusavit, ut docet ibidem Laymannus, Busembaum *libr. 6. tract 4. de Pœnit. cap. 1. dub, 3. art. 4.* Eminentiss Card. de Lugo *disp. 16. num. 606.* & Collegium Salmanticen. *d. tract. 6. cap. 9. num. 23.* ubi eam reddit rationem, quia bona fides pœnitentis supplet defectum Confessarii; & facit esse integram Confessionem virtualiter. Hinc sequitur, quòd quotiescunque cessaverit bona fides in pœnitente, ut in prædicta Moniali, & cognoverit, sua peccata non fuisse intellecta à Confessario, est iteranda eorundem Confessio, & multò magis si pœnitens mala fide ac data opera accessisset ad Sacerdotem surdum, vel distractum, aut alia ex causa confessionem non percipientem. Eminentis. Card. de Lugo *d. disp. 16. num. 609. & 610.* Et Salmanticenses *d. cap. 9. num. 23. & 24.*

Nonus, & ultimus casus est, an sit repetenda
16 Confessio, quando facta fuit coram Sacerdote ita ignaro, ut nesciat discernere inter lepram, ac lepram; idest inter peccatum mortale, ac veniale; & inter speciem, ac speciem peccatorum? Affirmat Sylvester *Confessio. 1. quæst. 3.* & alii multi apud Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 9. num. 25.* Sed verior est sententia negativa, quando pœnites bona fide accessit ad illum, & confitetur cum dolore, integritate, ac proposito emendandi, & dummodò ignarus ille Confessarius sciat proferre formam absolutionis. Ita DD. quos citat, & sequitur Diana Coordinatus *tom. 1. tract. 3 resolut. 28. 29. & 30.* quibus adhærent Salmanticenses ubi proximè *num. 26.* rationem reddentes, quia inscitia Sacerdotis non habet vim præjudicandi bona fide confitenti. Dixi dummodò sciat proferre formam absolutionis, ne fortè esset similis illi, quem reperit pius, & eximius inter Theologos Scholasticos; ac Morales Franciscus Suarez in quadam Vil- 17
la Conimbricæ; de quo Joseph Masseus Scriptor ejus vitæ *cap. 19* ita narrat: *Desiderava* (ipse Pater Suarez) *di apparecchiarsi al Divino Sacrificio, con purgare l' anima da quelle leggierissime colpe, di cui gli pareva d' esser reo: mà quando il Sacerdote, che stava quivi in tarica di sottocurato, venne à proferire le parole dell' Assolutione si diè à cercarle di quà, e di là, dicendo, e ridicendo, senza, conchiuder mai nulla, tantocchè bisognò al Padre ramentargli la forma, & à stento si ottenne, che l' esprimesse quanto bastava. Dopò il Sacrificio fù il Suarez ad ammonire il Parroco, che non tenesse à quel ministerio un tal Sostituto, che non sapendo ciò, che si richiede al Sacramento, dovea renderlo invalido, e pregiudicare di troppo à' proveri Penitenti. Il buon Parroco à simile avisosi pose sù la difesa; e scusavasi, che non era sua la colpa; perche, diceva*: Io molto ben consapevole dell' incapacità di quest' Uomo, gl' hò più volte ordinato, che non assolva veruno; mà che oda solo i peccati e mandi da me i Penitenti per essere assoluti. *Oh quì sì, che rimase il Padre Suarez stordito d'un' ignoranza tanto enorme. Gli tolse di capo l' errore, che non si può esporre i peccati ad un Sacerdote, e ricevere l' Assolutione dall' altro. Poscia tornato à Coimbra, pregò il Vescovo à vigilare seriamente sù gl' esami de Confessori, e de' Parrochi; con che in avvenire si diede un' efficace remedio à gl' inconvenienti passati.*

Utinam Ecclesiarum Prælati saperent, & intelligerent, examen ac approbationem Confessariorum esse Pastoralis Regiminis præcipuum opus; il- 18
losque personaliter audirent, & caverent, ne ab in experto examinatore sola unius casuali interpellatione contento, ad tantum ministerium exercendum admitterentur. Testis est Deus, me herculeos sustinuisse labores per 40. circiter annos in examinandis, & approbandis Confessariis ex utroque Clero in hac amplissima Diœcesi, eosdem interrogando, super omnibus partibus Sacramenti Pœnitentiæ, super definitione, ac divisione contractuum, & super impedimentis Matrimonii, ac super aliis præcipuis materiis circa præcepta Dei, & Ecclesiæ; ut scirem, an ea intelligerent, casus practicos eis proponendo, ut demonstrant mea Erotemata Ecclesiastica pro hoc onere subeundo digne, ut par erat, composita. Sed ultra scientiam, ad eorum etiam prudentiam in responsionibus attendebam juxta monitum Salomonis *Pro. 4. 5. Posside sapientiam, posside prudentiam*; nam sæpè sæpius prudentiæ Virtus magis juvat, ut in casibus difficilibus possit Confessarius consulere aut libros, aut sapientiores seipso.

Tandem Carollarii loco non est ignorandum, 19
quòd quando ex aliquo de supra recensitis defectibus, convenit repetere Confessionem invalidam; si repetitio fiat coram eodem Confessario recordante peccata jam dicta, satis est in genere iterùm se accusare de peccatis jam confessis, addendo, quæ tunc omissa fuerunt; & quæ de novo sunt facta. Porrò si Confessarius non habet memoriam præteritorum Confessatorum criminum,

vel iteratur Confessio coram alio confessario; opus est de novo omnia peccata antecedentis invalidæ Confessionis manifestare, unà cum culpa, quæ causavit ipsam invaliditatem & aliis deinde commissis, ad effectum, ut servata integritate Confessionis circa numerum, species, ac circumstantias delictorum, comitante necessario dolore ob Dei offensam, ac proposito se emendandi, valida absolutio impertiatur; ut latiùs scribunt, ac docent Suarez *de Pœnitent. disp. 22. sect. 6.* Bonacina *disp. 5. quæst. 5 sect 2. punct 3. num. 15.* Layman *tract. 6. cap. 9. num. 6.* Et Collegium Salmanticen. *d. tract. 6. cap. 9. punct. 5.* per totum; in cujus fine advertit, nihil officere validitati Confessionis, si perfici non potuit uniea vice, sed opus fuit pluribus diebus, dummodò Sacerdos in mente retineat statum pœnitentis, & graviora criminum genera; ut ritè, ac rectè possit procedere ad absolutionem imponendo eidem congruam pœnitentiam.

DECISIO XXXII.

ARGUMENTUM.

Quæritur, an Moribundi, qui destituti sensibus confiteri non possunt peccata sua, sint Sacramentaliter absolvendi? Distinguntur, examinantur, & resolvuntur quatuor casus. Exempla angonizantium, qui sopitis sensibus nec vocem Confessarii audierunt, nec ullum pœnitentiæ actum interiùs emiserunt. Doctrina summè necessaria Parochis, Confessariis, ac aliis Sacerdotibus morientes adjuvantibus.

SUMMARIUM.

1 *Moribundus, generaliter se accusans peccatorem, dein perdens loquelam, an sit absolvendus? & num. 4.*
2 *Symptoma quid, & quotuplex sit?*
4 *Syncopis quid sit?*
5 *Moribundus dans signa doloris de peccatis, est absolvendus.*
6. *Idem si vocavit Confessarium; & postea obmutuit.*
7 *Moribundus destitutus sensibus, qui nullum signum pœnitentiæ dedit, an sit absolvandus?*
8 Chivali *diabolica salutatio nocturna Patavinorum.*
9 *Juvenis annor. 20 plumbeis globulis in ventre plagatus, sensibus destitutus, absolutus ab auctore sub conditione.*
10 *Agonizans per triduum monitus ad dolendum de peccatis, nihil intellexit.*
11 *Lapsus in flumen, diu sub aquis nullum actum contritionis emisit*

SEd antequam egrediamur de secunda Sacramenti Pœnitentiæ parte principali, nempè de Confessione vocali peccatorum; tum quo ad numerum, tum quo ad circumstantias; expedit pro praxi Confessariorum agere de Confessione morientium, non habentium facultatem manifestandi propria peccata; ad quos absolvendos frequenter, & ex abrupto vocantur Parochi, ac Sacerdotes Quare de Moribundis quatuor casus sunt videndi.

Primus est, quando moribundus volens confiteri
1 peccata sua coram Sacerdote, incipit generali sermone dicere: *Pater scias me magnum peccatorem esse*; & his dictis incidit in Symptoma, vel in Syncopem; amissaque loquela nihil aliud profert. Dubitant DD. an in hoc casu sit ei, à Sacerdote danda absolutio. Notet hìc studiosus lector, quòd Symptoma est accidens morbosum supervenienS homini. Bruno *in Lexico Medic. Verb. Symptoma.* Et est duplex, sanabile, ac mortale; mortale est triplex *Apoplecticum*, quod præcipuè accidit in senibus. Hipocrates *libr. 6. Aphor. 57. Epilepticum*, quod causat membrorum convulsionem; quippe *Epilepsia* est universalis convulsio; Galenus *libr. 1. De Symptom. caus. cap. 8.* Et *Syncopticum.* Syncopis est præceps virium lapsus, ac ruina Galenus *libr. 12. Method. Medic. cap. 5.* dentes atque os ægri arctissimè claudit, & est tam sævum, atque horribile symptoma, ut omnes Medici testentur, *Syncopem* esse incipientem mortem; mortem autem esse consumatam Syncopem, nam Syncopis transitus est ad mortem; idcircò à Græcis vocatur *Oxyntona*, hoc est citò jugulans; non enim in hoc affectu datur locus remediis, quia nimis celeriter jugulat, cùm sit Galenus morbus ipsius cordis, qui statim atque incæperit, hominè perimit *lib. 5. de Loc. affi. 2. Et Comment. 2. Aphoris. 41.* Igitur dubitant Moralistæ, in supradicto casu, an Sacerdos possit prædictum infirmum, usu loquelæ ex Symptomate destitutum, absolvere? Plures negant, ea ratione quia nullam specialem suorum peccatorum notitiam præbuit Sacerdoti, itaut non sufficiat illa generalis accusatio; nam etiam celebrantem Missam, recitato *Confiteor*, Syncope oppressum non esse Sacramentaliter absolvendum, ait Layman *libr. 5. tract. 6. cap. 8. num. 4.* Et Diana Coordinatus *to. 1. tract. 4. resol. 56. §. 5.* Ideò dictam negativam opinionem tenent Sotus, Canus, Navarrus, & alii, quos citant Salmanticenses *d. tom. 4. de Sacrament. in genere tract. 6. cap. 8. num. 137.* Nihilominùs 4 contraria sententia est verior, quam tuentur plurimi allegati ab iisdem Salmanticen. *d. cap. 8. num. 138.* inter quos Eminentiss. Card. de Lugo *de Pœnitent. disp. 17. sect. 1. num. 8.* Et ratio est, quia in hoc casu impotentia physica excusat à specifica manifestatione peccatorum, ut demonstravimus supra *Decis. XXIII. num. 9.* & sufficit exhibere pro materia peccatum in communi; quando aliter non potest explicari. Idcircò Sacerdos non solùm potest, sed est obligatus dictum Pœnitentem absolvere; ne fortè habens solam attritionem damnetur, qui cum beneficio absolutionis Sacramentalis salvus fiet; & idem facere tenetur, si solum peccatum veniale dixisset, nam est materia sufficiens; & aliundè fieri potest, ut per illam absolutionem justificetur à mortalibus, quorum non haberet memoriam, ut optimè ait idem Eminentiss. de Lugo *d. disp. 17. num 20. & 21.* Nec est amplectenda opinio de Celebrante moriente statim post recitationem *Confiteor*; nam ipsum quoque posse absolvi docent Marchinus *de Peste part. 3. cap. 13. num 15.* & Pellizzarius *in Man. Regul. tom. 1. tract. 5. cap. 2. sect. 1. num. 60.* non ex eo, quòd illa Confessio generica satis sit ad dandam absolutionem Sacramentalem: sed quia in articulo mortis quilibet censetur virtualiter habere in votis Confessionem, & petere in eo discrimine remedium salubertimum animæ suæ, quale est absolutio Sacramentalis.

Secundus casus est, quando moribundus loqui non potest, sed dat signa doloris suorum peccatorum

per

5 per tunsionem pectoris vel similia. Et quamvis non desint DD. qui dubitent; absque ulla formidine asseverandum est, hunc moribundum esse Sacramentaliter absolvendum, ut tenent Palaus *tract. 23. disp. Unic. punct. 11. num. 12.* Layman *d. lib. 5. tract. 6. cap. 8. numer. 4.* & alii multi, quos congerunt, ac sequuntur Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 8. num. 145.* quia ea signa videntur ordinari ad claves & ad remissionem obtinendam mediante absolutione quæ in casu dubitationis, an essent signa æquivoca, sub conditione, *si capax es*, foret impertienda.

Tertius casus est; quando absente Sacerdote, 6 moribundus coram pluribus petiit Confessarium ad confitendum, deditque signa pœnitentiæ; sed superveniens Sacerdos reperit eum sensibus destitutum. Non desunt DD. quos citat Diana Coordinatus *d. tom. 1. tract. 4. resol. 62.* & Collegium Salmanticen. *d. tract. 6. cap. 8. num. 146.* opinantes hunc moribundum non posse absolvi Sacramentaliter, ea potissimùm ratione, quòd relatio actuum pœnitentis facta ab illis personis, quæ eos viderunt, censentur confessio facta Nuncium Confessario absenti contra Bullam 87. Clementis VIII. de qua diximus in *Decis. 15. num. 26.* Cæterùm opposita sententia est omninò tenenda, quam amplectuntur communiter Theologi relati ab iisdem Salmanticensibus ubi supra num. 147. & eam docuit S. Thomas *Opusc. 65. §. de Extrema Unct.* sic dicens: *Si autem infirmus, qui petiit unctionem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos veniret ad eum, ungat eum Sacerdos: quia in tali casu debet etiam baptizari, & a peccatis absolvi.* Et fundatur hæc sententia *in cap. Qui recedunt. 16. quæst. 6. & in cap. Ægrotantis. De Consecrat. dist. 4.* nec non in Rituali Romano *De Sacram. Pœnitentiæ* in Rubrica propè finem; ubi ita statuitur: *Quòd si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri vox, & loquela ægrum deficiat, nutibus, & signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcunque vel in genere, vel in specie cognitis; vel etiam si confitendi desiderium, sivè per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.*

Neque urget prohibitio Clementis VIII. quia habet locum in Confessario absente, qui velit vel per nuncium, vel per litteras mittere absolutionem pœnitenti; in nostro autem casu confessarius præsens est, & personaliter moribundum absolvit; quòd fieri posse testatus est idem Clemens VIII. Archiepiscopo Armacana Hiberniæ Primati, ut plures DD. referunt apud Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 8. num. 148.* advertentes *num. 149.* in supradicto casu sufficere etiam testes de auditu alieno, ac etiam unum testem tantùm, cùm non agatur de præjudicio alicujus, sed de favore animæ ipsius moribundi.

Quartus Casus difficilior videtur; nempè, An possit absolvi moribundus jam sensibus destitutus, quando nullus est testis, qui possit dicere, eum ante- 7 a Confessionem postulasse, aut signum pœnitentiæ dedisse? Non pauci defendunt negativam opinionem, quos cumulat Diana Coordinatus *d. tom. 1. tract. 4. resol. 63. 64. & 65.* Et Salmanticenses *d. cap. 8. num. 150.* tum quia ubi non est accusatio, non potest esse judicium; tum etiam quia Sacri Canones antiqui, ac Concilia ad effectum absolvendi moribundum sensibus destitutum, requirunt testimonia circa desideratam ab eo Confessionem. Porrò praxis est in contrarium; quàm laudant DD. apud Dianam *part. 9. tract. 6. resol. 20.* Quæ in Coordinato est *d. tom. 1. tract. 4. resol. 65.* advertendo tamen ibidem & in duabus resolutionibus sequentibus, quòd absolutio est ei danda sub conditione *Si capax es*; idemque docent Salmanticenses *d. cap. 8. num. 153.* Fundatur hæc praxis in ea ratione, quia de quocunque homine Christiano præsumi prudenter potest, quòd in tali periculo constitutus, si vel per modicum tempus sui compos extiterit, non solùm actu interno Confessionem desideraverit, sed externo, & sensibili actu id desiderium expressisset; quod censetur virtualis quædam confessio pro absolutione conditionatè concedenda in tam extrema necessitate sufficiens. Marchantius *in Tribun. Sacram tom. 1. tract. 4. tit. 4. dub. 7.* Pellizzarius *d. tom. 1. tract. 5. cap. 3. num 60. & tom. 2. tract. 8. cap. 3. num. 114.* ac Tamburinus *in Methodo expeditæ Confes. lib. 2. cap. 10. §. 1. num. 11.* addens, *quia per conditionem cavetur injuria Sacramenti, & ex alia parte consulitur, quantum fieri potest, saluti moribundi; qui in tali articulo potest præsumi saltem attritus.* Imò *num. 12. seq.* concedit id posse practicari etiam cum illo, qui actualiter peccando, subitò destitueretur sensibus, quia rarissimè evenit, ut quantumvis pessimus peccator, sentiens se vicinum morti, non velit suæ saluti consulere per aliquem actum attritionis.

Juxta hanc praxim, nonnullis ab hinc annis, hora secunda noctis, æstivo tempore, dum 8 cœnarem, ex abrupto in via publica penes domum meam audivi diabolicam illam salutationem *Chivali?* otiosæ, seu verius pernitiosæ generis per hanc urbem Antenoream, armis stipatæ, vagantis Vix dicto *Chivali?* exoneratæ fuerunt duæ minores bambardæ scloppo magno, dein plures fugere, unum in via gemere sensi. Dixi, vulneratus est aliquis ad mortem. Præcepi à domesticis meis trepidantibus ostium domus aperiri: prosilui, & ecce 9 juvenem annorum viginti circiter supinum in via, plumbeis globulis in ventre plagatum, ac loquela destitutum. Procubui ad ejus aurem suadens parcere offensoribus, petere veniam à Deo de peccatis, ea detestari, & de eis dolere. Rogavi, ut pro signo manum meam stringeret, at ille oculos tantùm in me intendebat, & eos demittebat; idcircò cernens eum morti proximum, Sacramentaliter absolvi sub conditione, *si capax esset*, & post paulùm expiravit. Egressi postea sunt vicini, & cognoverunt, illum esse unum è satellitibus, quos Romani *Lictores* vocabant, quorum officium est reos comprehendere; ut scribit Aul. Gellius *lib. 3. cap. 12.* cumque interfectus ille audacior sociis voluisset obvium quemdam ligare; impetitus tormento æneo in ventrem, infelix occubit, cæteris aufugientibus. De eo dici poterat illud Ovidii *Metam. 10.*

In audaces non est audacia tuta.

Igitur secundùm praxim Ecclesiæ, ex abundantia pietatis, moribundi possunt absolvi, saltem sub conditione, ex præsumpta interiori attritione, cum desiderio confitendi peccata sua, si non esset sensibus destitutus. At quàm timendum est, quòd deficiat suppositum, & invalida sit Confessio. 10 Scio, me adstitisse viro nobili agonizanti, & sensibus destituto per tres dies, ac tres continuas noctes, eidem suggerendo frequenter actus contritionis, dilectionis Dei, ac conformitatis Divinæ voluntati.

Post

Post triduum reassumpsit sensus, ac loquelam. Interrogatus à me, an in ea sensuum destitutione intellexisset verba mea? ac illos actus virtutis interiùs emisisset? Respondit; nihil intellexi, nihil audivi; nihil egi, sed sopore maximo oppressus mihi visus sum semper dormivisse. Obstupui. Siquidē non nemo reputasset, eum non audire. Erat Vir pius, ac devotus: at quid si habuisset conscientiam inquinatam peccatis?

Narrat P. Daniel. Bartoli *in libr. Asiæ part. 1. libr. 1. pag. 10.* Equorum Magistrum D. Petri Mascaregnas, Oratoris Regis Lusitani, si Romam revertentis in patriam unà cum Sancto Francisco Xaverio, prolapsum in flumen, longo tempore stetisse sub aquis, ab omnibus ejus vitam desperatam, sed precibus Sancti Francisci vivum ad ripam accessisse. Liberatus à periculo, & interrogatus, quos fecisset actus animæ suæ interiores sub aquis? Respondit, nullos omninò, nisi confusam quandam mœstitam, ob ingruentem mortem in illo flumine. Faxit Deus misericors, ut ab improvisa morte liberemur & ne exspectemus purgare conscientiam à peccatis in extremo vitæ. Insit cordibus nostris sententia illa S. Laurentii Justiniani *libr. de Spirit inter Animæ in proem. Circa salutem animæ tuæ, quæ naturali dignitate immortalis est, vigila: illius spiritualem vitam negligere noli.*

Non me latet, Gobatum, virum egregium, ac practicum in Theologia morali, non esse facilem in concedenda absolutione moribundis, qui nullum actum pœnitentiæ præmiserunt: nihilominùs in pluribus casibus, quos refert *tract. 7. à num. 102. & seqq.* etsi resultet difficultas in moribundis prædictis conterendi, vel atterendi seipsos in illa mortis angustia; adhæret opinioni affirmativæ, quam supra commendavimus.

DECISIO XXXIII.

ARGUMENTUM.

Pro resolutione Casus, *an Moribundus habens tantum Venialia sit obligatus ea confiteri?* discutitur, An sit, & esse possit Præceptum de Confessione Venialium? Quæ dispositio requiratur in confitente Venialia, tum circa dolorem, tum circa propositum emendationis. Venialia, quot, & quibus modis deleantur in hac vita ei, qui non habet Mortalia? An deleri possint venialia habenti etiam mortalia, mortalibus non deletis? In alia vita animæ Justorum qualiter purgentur à Venialibus neglectis in vita præsenti? Cur tantæ Animæ Religiosorum, ac Sanctimonialium in Purgatorio, si in articulo mortis habēt Indulgentiam Plenariam ex Bulla Pauli V? Quæstiones omnes perdifficiles, sed clarè, ac breviter explicatæ.

SUMMARIUM.

1 *Moribundus habens tantùm Venialia, an teneatur ea confiteri? & num. 22.*
2 *Venialia an de Præcepto confitenda?*
3 *Ecclesia an possit præcipere Confessionem de Venialibus?*
4 *Monitio in re gravi habet vim præcepti.*
5 *Venialia in Sacramento Pœnitentiæ quomodo deleantur?*
6 *Attritio formalis de Venialibus an necessaria in Confessione?*
7 *Venialium in Confessione sufficit sola non complacentia eorum.*
8 *Venialia plura confitens an teneatur dolore de singulis?*
9 *Propositum emendationis an requiratur in Confessione Venialium?*
10 *Propositum vel refertur ad voluntatem, vel ad intellectum.*
11 *Venialia sine Sacramento Pœnitentiæ pluribus modis delentur, & qui sint?*
12 *Sacramentalia remittunt Venialia, quoad culpam; & num. 15.*
13 *Attritio sine Sacramento an deleat Venialia.*
14 *Actibus Christianarum virtutum delentur Venialia.*
15 *Venialia deleta quoad culpam, non quoad pœnam.*
16 *Venialia an demittantur remanentibus extra Sacramentum Pœnitentiæ?*
17 *Oppositum idem operatur in opposito, ac propositum in proposito.*
18 *Venialia in alia vita quomodo dimittantur iis, qui salvi sunt?*
19 *Status merendi, vel demerendi non est in alia vita.*
20 *Opus bonum factum in vita causat deletionem culpæ venialis post mortem animabus justis.*
21 *Satispassio in Purgatorio delet venialia quoad culpam, & quoad pœnam.*
22 *Venialia in articulo mortis an de necessitate sint confitenda à non habente mortalia?*
23 *Venialia confitenda in articulo mortis tum ad ea delenda quoad culpam, tum ad Indulgentias plenarias consequendas.*
24 *Pœna non remittitur, nisi prius deleta culpa.*
25 *Animæ Religiosorum, ac Sanctimonialium cur tantæ in Purgatorio, si in articulo mortis habent Indulgentiam Plenariam ex Bulla Pauli V.*
26 *Apparitiones animarum purgatorii impetrantium suffragia.*

POrrò à Moribundis non est discedendum; neque ad vegetos Pœnitentes transeundum; nisi alia quæstio satis utilis elucidetur, videlicet: *Utrum Moribundus habens sensus liberos, & usum loquelæ, si non reperiat in anima sua peccata mortalia confitenda, sed tantùm Venialia, puta domesticas iracundias, mendacia officiosa, ac similia, teneatur in eo articulo mortis eadem Venialia confiteri?* Hanc quæstionem examinare promisi supra *Decis. XV. num. 14.* sed quia ipsa involuta habet intra se quatuor sequentia quæsita scitu necessaria; ideò ea sunt breviter, ac priùs resolvenda. 1

Primum Quæsitum est, *An detur Præceptum Divinum de Confessione peccatorum venialium?* Et respondent Theologi negative. Ratio est, quia Præceptum Sacramentalis Confessionis obligat solas illas personas, quæ post baptismum mortaliter peccaverunt; ideò peccata Venialia non sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ; & ad illud suscipiendum non tenetur qui talem materiam non habet; siquidem non est medium necessarium ad venialia tollenda. Ita Suarez *de Pœnitentia disp. 35. sect. 2. num. 5.* ubi allegat Concilium Tridentinum satis 2

aperte

apertè hoc docens *sess.* 14. *cap.* 1. 2. & 5. Idemque advertunt Salmanticenses *d. tract.* 6. *De Sacram in genere cap.* 7. *num.* 2. plures DD. cumulando; quibus adhæret Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Sacram. Pœnitent. disp.* 11. *art.* 3. *in princ.* referens verba Scoti *in* 4. *Sent. dist.* 17. *quæst. Unic. R.* ita dicentis: *Dico quantum capio ex statutis Ecclesiæ generalibus, nullus tenetur ad Confessionem venialium in quocunque casu, neque in hoc Ecclesia specificavit præceptum de Confessione.* Et paulò post Scotus objiciens sibi, quomodo in eo anno pastor poterit cognoscere vultum pecoris sui? docet sufficere tunc si suo Sacerdoti dicat: *Domine, regratior Deo, quia ex quo fui ultimò Confessus, non habeo conscientiam de peccato mortali; date mihi Eucharistiam.* Ideò prædicta Eminentia *d. art.* 3. *num.* 25. firmat hanc conclusionem: *De facto in nullo casu peccatum veniale potest esse objectum necessitatis pro Confessione Sacramentali.* Scotus *loc. cit.* D. Thomas; D. Bonaventura *in* 4. *dist.* 17. §. 2. *p.* 2. *quæst.* 1. Alensis 4 *p quæst.* 18. *art.* 4. §. 5. *in resolut.*

Secundum Quæsitum est: *An Ecclesia possit præcipere Confessionem Sacramentalem de peccatis venialibus?* 3
Alii negant, alii affirmant Glossa *in Clem. Ne in agro Dominico. De Statu Monachor.* & Scotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 1. *art.* 3. cum aliis, quos citat Diana *part.* 8. *tract.* 1. *resol.* 15. posita in Coordinato ejus opere *tom.* 3. *tract.* 1. *resol.* 23. tuentur partem negativam; ea ratione quia Ecclesia immutare nequit materias, formas Sacramentum & eas aliter constituere, quàm à Christo sunt institutæ. Sed Christus reliquit peccata venialia materiam liberam; & non necessariam Confessionis. Ergo Ecclesia non poterit efficere illam necessariam sub obligatione præcepti. Contraria tamen Sententia affirmativa est verior, quam amplectitur ipse Diana *ibid.* & ante eum tenuerunt Reginaldus *lib.* 6. *num.* 47. Candidus *disq.* 24 *art.* 5. *dub.* 2. & alii plurimi congesti per Salmanticen. *d. tract.* 6. *cap.* 7 *num.* 31. quibus ego addo Eminentis. Card. de Lauræa *de Sacram. Pœnitent. disp.* 24. *art.* 2. §. 4. ubi plures rationes reddit, sed eam præcipuè, quòd sicut Confessio venialium potest cadere sub obligatione voti: ita sub præcepto Ecclesiæ: eò magis quia tale præceptum esset de bono honesto, ac proficuo animarum saluti. Nec est verum, quòd in tali casu Ecclesia immutaret materiam Sacramenti; quia præciperet sumptionem Sacramenti etiam faciendam ab illis, qui venialia tantùm haberent, idest materiam sufficientem; quod quidem Ecclesia potest præcipere; sicut præcipit sumptionem aliorum Sacramentorum absque immutatione materiæ eorundem. Hinc de facto Ecclesia præcepit Monachis Benedictinis, *in cit. Clem. Ne in agro Dominico. De Regular.* ut singulis mensibus Sacramentaliter confiteantur peccata sua; quæ supponuntur non esse, nisi venialia; ut par est credere in Religiosis perfectioris vitæ; & in Concilio Trident. *sess.* 25. *de Regular cap.* 10. injungitur Prælatis, ut in suis Constitutionibus admoneant Sanctimoniales, *ut saltem semel singulis mensibus Confessionem peccatorum faciant*; quæ de venialibus ut plurimùm censeri 4
debet, & quamvis verbum illud *Moneant* videatur esse hortatorium nihilominùs ubi agitur de re gravi, qualis est inter Sanctimoniales menstrua saltem Confessio, ac Communio, habet etiam vim præcepti, ut bene probat Fagnanus *in cap. Qualiter num.* 38. *De Clericis non residen.* ubi idem esse sentiendum ait de verbis *Hortamur, & Rogamus.* Stat igitur firma hæc responsio ad Quæsitum, quòd potest Ecclesia, si velit, præcipere Confessionem venialium culparum; etsi hoc præceptum hucusque non fecerit universaliter omnibus fidelibus, sed tantummodo Religiosis Benedictinis in *d. Clem. Ne in agro.* de qua præter Canonistas agunt Navarrus *in cap. Placuit. num.* 122. *de Pœnit. dist.* 6. Canus *in Relect. de Pœnit. part.* 5. §. *At verò*, & Cajetanus *par.* 2. *Opuscul. tract.* 5. *q.* 1.

Tertium Quæsitum est. *Quæ requirantur pro remissione venialium in Sacramento Pœnitentiæ:* Pro responsione supponendum est, quòd qui confitetur venialia, vel non habeat mortalia confitenda, 5
vel si habeat, illa quoque confiteatur unà cum venialibus; nam licèt Durandus *in* 4. *dist.* 16. *q.* 2. teneat, quòd possit dimitti veniale sine mortali per rationes ibi ab eo consideratas *à num.* 6. *& seqq* contrarium tamen est verius ex S. Thoma *in* 3 *p. q.* 87. *art.* 4. & plurimis aliis DD. congestis per Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 28. juxta illud 1. *Cor.* 3. *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest.* Et ideò peccatum veniale conjunctum cum mortali numquam remittitur Per Sacramentum Pœnitentiæ non remisso mortali; sed cum infunditur gratia justificans in pœnitente rectè disposito, qui confessus est mortalia, ac venialia; eodem tempore per absolutionem Sacramentalem remittuntur in eo mortalia, & venialia. At quid dicendum extra Sacramentum Pœnitentiæ? examinabitur *infra num.* 16. Quòd si pœnitens habeat sola Venialia confitenda, & illa confiteatur, in hoc casu (qui propriè est ille, de quo loquitur quæsitum) tres difficultates movent Theologi, quos longa serie citant Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 5 *punct.* 2. & 3. & quos cæteris clariùs examinat, ac resolvit Mastrius *in* 4. *Sent. disput.* 5. *quæst.* 15. *art.* 2. *à num.* 415. *& seqq.*

Prima difficultas est, *An in Confessione, quæ fit de Venialibus, requiratur dolor formalis, & expressus saltem per modum attritionis, absolutus, ac efficax, sicut requiritur in Confessione mortalium*; Et passim sic 6
affirmant recentiores; quamvis enim nullus teneatur confiteri peccata venialia, tamen supposito, quòd de iis confiteri velit, & facere de illis materiam sufficientem pro Sacramento, debet eam qualificare cum dolore requisito in Sacramento Pœnitentiæ, idest cum contritione, vel saltem cum supernaturali, ac vera attritione; quam si non haberet, committeret peccatum sacrilegii; nam redderet Sacramentum imperfectum ob defectum primæ ejus patris essentialis, quæ est contritio, vel attritio. Ita Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Pœnit. disp.* 14. *sect.* 8. Aversa *q.* 11. *sect.* 1. & Amicus *disp.* 6. *sect.* 4. Nihilominùs Mastrius *d. disp.* 5. *num.* 416. optimis rationibus probat, quando sola venialia sunt confitenda, & confitentur, non esse omninò necessariam perfectam attritionem, sed sufficere aliquam 7
minorem dispositionem, nempè actualem non complacentiam de talibus peccatis, & voluntatem recipiendi effectum remedii, quod pœnitens assumit, ut à venialibus purgari possit; hæc enim censetur virtualis quædam peccati venialis detestatio, dum homo vult ejus medicinam assumere, ut ab eo purgetur; itaut hæc talis qualis displicentia de venialibus sufficiat, ut docet S. Thomas 3. *p. q.* 87. *art.* 1. *in corp.* ubi firmat quòd confitens non habeat complacentiam de iisdem venialibus; siquidem hæc est, quæ impedit eorum remissionem. Idem Mastrius *d. disp.* 5. *num.* 419. Candidus *disquis.* 24. *art.* 34. *dub.* 3. Et Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap* 5. *num.* 32.

Secunda difficultas est, *An confitens plura peccata Venialia teneatur dolore de singulis?* Affirmant Suarez *de Pœnit. disp* 20. *sect.* 6. & Eminentiss. Cardin. de 8 Lugo *disp.* 14. *sect.* 8. nec non Aversa *quæst.* 11 *sect.* 6. quia cùm materia hujus Sacramenti sit confessio cum dolore; qui non dolet de quocunque peccato, quod confitetur, subjicit materiam non aptam, & sic facit injuriam notabilem Sacramento, & committit sacrilegium; sicut ille, qui porrigeret pro materia Eucharistiæ aliquam particulam panis non triticei, cum aliis particulis triticei panis, & faceret, ut Sacerdos verba proferret super omnes simul cum intentione consecrandi. Communis tamen recentiorum opinio est, non teneri pœnitentem ex necessitate de omnibus venialibus confessis dolere, sed tantùm de aliquibus, ne irritum sit Sacramentum; quia cùm ipsa venialia non sint materia necessaria Sacramenti, nulla ei irrogatur injuria, etsi remaneant materia imperfecta, ubi alia perfecta reperitur; quemadmodum non peccant, qui confitentes peccata se accusant etiã de defectibus, imperfectoinobus rationem culpæ non attingentibus, nec stringit exemplum particulæ non triticeæ in consecratione Eucharisticæ positæ; nam, ob difficultatem eam secernendi à triticeis, irrogatur injuria Sacramento, dum Sacerdos intendit eas omnes consecrare. At in Confessione Minister dirigit verba absolutionis super ipso pœnitente, qui capax est absolvi ab illis venialibus, de quibus sufficienter dolet. Ita Mastrius *d disp.* 5. *num.* 418. & ante illum Layman *libr.* 5. *tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 19. & alii, quos citat & sequitur Diana *part.* 11. *tract.* 7. *resol.* 38. collocata in Coordinato *d. tom* 1. *tract.* 3. *resol.* 102. cui adhærent Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 37. & 38.

Tertia difficultas est, *An etiam in Confessione Venialium requiratur propositum efficax, formale vel virtuale vitandi omnia ipsa peccata venialia?* In hac difficulta- 9 te nimis se involvunt DD. & obscurè loquuntur; quia alii affirmant ex eo, quòd confessio sine proposito emendationis est irrita, ut docuimus supra *Decis. XIII. num.* 15. *Observ. septima.* Alii dubitant, quia impossibile est ex nostra fragilitate omnia venialia vitare, nam *septies in die cadit justus*: nemo autem potest efficaciter velle, quod videt moraliter esse impossibile. Mastrius *de Anima disp.* 7. *q.* 5. *num.* 102. ideò multi multa dicunt, quæ lectoris caput defatigant, neque intellectum satis instruunt. Placet doctrina Mastrii *in cit. disp.* 5. *de Sacram. Poenitent. num.* 422. dicentis, Confitentem venialia debere habere propositũ faciendi diligentiam vitandi in posterum quodlibet eorum singillatim, & cautè vivendi, quantum ex divina gratia sibi concedetur; & hoc propositum sufficit, ut in Sacramento remittantur omnia venialia, quæ fiunt Confessionis materia. Ita Mastrius *ibid.* Qui plura de hac difficultate cupit, legat Dianam *in part.* 11. *tract.* 5. *resol.* 23. translata in Coordinatum *d. tom.* 1. *tract.* 3. *resol.* 101. ubi plurimos cumulat. Sed non obliviscatur doctrinæ Suarezii *de Poenitentia disp.* 4. *sect.* 3. *sub.* 10 *num.* 5. advertentis, propositum se emendandi in Confessione vel referri ad voluntatem, quæ hîc, & nunc proponit ex divina gratia vitare peccata de quibus dolet; vel referri ad intellectum, quod judicat, se non perseveraturum: primum est necessarium, ac sufficiens; secundum non est attendendum, neque de eo curandum; ut innuimus etiam supra *in Decis. II. num.* 4. *& in d. Decis. XIII. num.* 15. Igitur ut peccata Venialia remittantur in Sacramento Pœnitentiæ, requiritur ut pœnitens illa confiteatur unà cum mortalibus, si mortalia habet; excitet actum attritionis de iisdem venialibus vel perfectæ, vel saltem imperfectæ, per aliquam internam displicentiam de illis; cum proposito adhibendi omnem possibilem diligentiam, se divina gratia adjuvante, abstinendi in posterum ab illis.

Quartum quæsitum est, *Quomodo remittantur peccata Venialia sine Sacramento Pœnitentiæ?* Distin- 11 guendum est pro responsione; aut loquimur de remissione Venialium in hac vita, vel post mortem. Loquendo in hac vita vel homo est justus, & in gratia Dei; hoc est, non habet peccata mortalia, sed tantùm venialia; & hæc ei remittuntur; *Primò* per quodcunque aliud Sacramentum devotè ab eo sumptum juxta doctrinam S. Thomæ *d. p.* 3. *q.* 87. *art.* 3. *in corp.* quem refert Volpi *in Resol. Moral. Verb. Veniale resol.* 189. *in Introduct.* Et de Baptismo sumpto per adultum habentem mortalia, ac venialia dimittente non solùm illa sed etiam ista loquitur *text. in cap. Debitum.* 4. §. *Respondemus De Bapt sino.* Et Concilium Tridentinum *sess.* 5. *in Decreto de Peccato Origin. Vers. In renatis enim nihil odit Deus.* De Eucharistia autem idem Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 2. *De Euchar. Vers. Tanquam antidotum*, de qua remissione latè egimus in Decisionibus *De Vener. Euchar. Sacram decis.* 46. *à num.* 12. *& seqq.* De Extrema Unctione est textus *in cap.* 2. *eod. tit.* & in Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. De cæteris autem Sacramentis testantur omnes Theologi, quos citat, & sequitur Bonacina *de Pœnitent. Sacramento disp.* 5. *quæst.* 6. *sect.* 2. *punct.* 1. inter quos Suarez *de Poenitent. disp.* 12. *sect.* 1. *num.* 3. Henriquez *libr.* 4. *cap.* 15. *num.* 3. & Gobatus *tract* 6. *num.* 242. *&* 243. Sed quo ad modum, quo Sacramenta remittunt Venialia: scilicet vel ex opere operato, vel conferendo auxilia, quæ excitent hominem ad eliciendos actus virtutis destructivos peccati venialis; videantur DD. quos numerant Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 5. *à num.* 45. *& seqq.* & ea, quæ à nobis dicta fuerunt circa effectus Sacrosanctæ Eu- 12 charistiæ *d. Decis.* 46. *num.* 12. *& seqq. Secundò* remittuntur Venialia in hac vita homini justo per susceptionem Sacramentalium; quæ sunt sex, Oratio Dominicalis, Aqua benedicta, comestio Agni Paschalis, & aliorum ciborum ad præscriptam formam Ritualis Romani benedictorum, Recitatio confessionis genericæ, quæ fit in Missa, & officio per *Confiteor*; Elargitio eleemosynæ, & benedictio Episcopalis; quæ omnia comprehenduntur illo carmine: *Orans: Tinctus: Edens: Confessus: Dans: Benedicens*; de quo latè egi *Anno* 1687. in Decisionibus *De Sacramentis in genere, & de Sacramentalibus*; ubi exposui, à quo sint instituta ipsa Sacramentalia; & comprobavi juribus, ac auctoribus effectum eorundem in remittendis venialibus, & plenè examinavi celebrem illam quæstionem, an Sacramentalia remittant culpas veniales in homine justo ex opere operato, ut volunt Thomistæ; Vel ex opere operantis, ut docent Scotistæ, quos longa serie ibi allegavi. Idcirco ne repetam ibi dicta, ad eadem curiosus lector accurrat, & ad illa, quæ disputat Collegium Salmanticen. *d. tract.* 6. *cap.* 5. *à num.* 48. *& seqq. Tertiò* remittuntur Venialia homini justo peractum contritionis perfectæ,

ad quæ

ad quæ ipse actus dolorificus, ac detestativus se extendit; quamvis enim contritio circa mortalia debeat esse de omnibus, ut dictum est *Decis. XIII. num. 9.* aliter censent DD. de Venialibus, quorum aliqua tantùm potest homo justus detestari, ac retractare, aliis venialibus non detestatis, aut retractatis. Suarez *disp. 11. sect. 3. num. 7.* Layman. *libr. 5. tract. 6. cap. 4. num. 13.* & Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 5. num. 31.* rationem reddentes *num. 33.* quia in contritione continentur actus dilectionis Dei, detestans quidquid displicet Deo; qui est sufficiens ad delendum reatum culpæ venialis. *Quartò* 13 etiam Attritio sine Sacramento Pœnitentiæ delet venialia in homine justo secundùm gravissimos Theologos, quos citat, & sequitur Suarez *de Pœnitent. d. disp. 11. sect. 3. num. 2. &. num. 11.* cui 14 adhærent, alios allegantes DD. Salmanticenses ubi proximè *num. 34.* per plures rationes ibidem consideratas, quarum una, quòd actus attritionis in homine justo & opus bonum supernaturale, essentialiter retractativus peccati venialis, ad quod respicit; & ideò meretur augmentum gratiæ, quæ augetur saltem in esse gratiæ cum deletione ejusdem venialis culpæ. Hanc opinionem amplectitur, acdefendit etiam Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 15. de Pœnitent. art. 10. à num. 247. per totum.* At plures contrarium tenent, inter quos Vasquez *in 3. part. tom. 4. disp. 87. art. 1. dub. 1. num 6.* & Bonacina *d. disp. 5. qu. 6. sect. 2. punct. 3. num. 8.* à studiosis videndi, cum aliis adductis per D anam Coordinatū *d. tom. 1. tract. 3. resol. 105. & resol. 106.* ex Veteri desumptæ *part. 3. tract. 4. resol 116. alias 117.* Et ex 15 *part. 11. tract. 5. resol. 31. Quintò* delentur venialia in homine justo per actus christianarum virtutum, nempè Fidei, Charitatis, Misericordiæ, Temperantiæ, Orationis, & similes, ut differui *d. Anno 1687. Mense decembri Casu primo*; & latè comprobat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 15. art. 11.* ubi bene notat *num. 294.* quòd dicta bona opera debent referri ab ipso homine justo ad talem finem delendi venialia, vel saltem ut à Deo ad eum finem acceptentur; quod est dicere, ut ab ipsa opera concomitetur displicentia culparum venialium, & desiderium emendationis, ut declarant Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 5. à num. 41. & seqq.* Sed advertat lector his omnibus modis deleri Venialia non quo ad totam pœnam, sed quo ad culpam, & partem pœnæ, ut notat Gobatus *d. tract. 6. num. 244.* nam tota pœna Venialium deletur vel per pœnitentias, vel per Indulgentias, ut ostendimus supra *Decis. XX. num. 2.* Hæc de deletione Venialium extra Sacramentum Pœnitentiæ in homine justo.

In homine autem peccatore coinquinato peccatis mortalibus, ac venialibus, *utrum sine Sacramento pœnitentiæ, per attritionem, aut alia bona opera, vel per Sacramentalia possint dimitti Venialia, remanentibus mortalibus?* 16 Famosa est, insignis, ac perdifficilis quæstio; quam novissimè examinant Eminentiss. Cardine de Lauræa *d. disp. 15. art. 9. à num 218. & seqq.* & Mastrius *d. disp. 5. de Pœnitent. Sacram. & Virt. qu. 9. art. 3.* qui licèt sint ambo Scotistæ, in ea decidenda magnoperè inter se discordant. Negativam opinionem, quæ communis est, tenet Eminentiss. Cardin. de Lauræa *ubi supra*, ob plurimas rationes, sed præcipuè, quia dimissio peccati est actus divinæ amicitiæ. Sed cum habente mortalia, ac venialia peccata, non est amicitia divina. Ergo eidem non conceditur dimissio alicujus peccati. Item quia deletio peccatorum semper fit vel per gratiam antecedentem, vel per concomitatem. Neutra est in eo, qui habet mortalia, ac venialia. Ergo nulla deletio in eodem fieri potest peccatorum. Hinc ait S. Augustinus relatus à Scoto *in 4. dist. 15. qu. 1. I. Scio Dominum inimicum omni criminoso; quomodo ergo qui crimen reservat, de alio recipiet veniam?* His tamen non obstantibus Mastrius *d. q. 5. à num 258.* tenet affirmativam, quam dicit esse de mente Scoti, & sequuntur Hiqueus, Hiribarnes, ac alii Scotistæ ob plura fundamenta, & inter alia, quòd Veniale tollitur per Sacramentalia, ut probatum est supra, quorum usus ex praxi Ecclesiæ conceditur non tantùm justis, sed etiam habentibus mortalia peccata; qui per illa credunt, se à Venialibus expiari. Concordat S. Augustinus *in Enchirid. cap. 71.* ubi inquit: *De quotidianis levioribus culpis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana Oratio fidelium satisfacit; eorum enim est dicere, Pater noster, &c.* Ubi ait *Fidelium* non autem *justorum*, ut comprehendat omnes. Et aliis omissis, certum est, quòd per contritionem qui dolet de mortalibus, non autem de Venialibus, delentur ei mortalia; non autem Venialia. Igitur sicut mortalia delentur remanentibus Venialibus, per contritionem: ita per attritionem possunt deleri Venialia, mortalibus remanentibus; nam, ut ajunt Legistæ, idem operari debet oppositum in 17 opposito, quod operatur propositum in proposito. *l. Si ut proponis. 2. C. de Nupt.* Barbosa *Axiom. 171. ubi DD.* Respondet etiam Mastrius ad argumenta contraria; & ad illud, quòd deletio peccati est actus amicitiæ divinæ, dicit, intelligendum esse de deletione mortalium, non autē venialium; quæ sicut stare possunt cum amicitia divina, quia non privant gratia, ita deleri possunt, deficiente ipsa amicitia, & gratia; cujus vel infusio, vel concomitantia est necessaria solùm pro delendis mortalibus. Ad verba Sancti Augustini respondet, quòd qui crimen reservat, idest mortale, de alio non recipiet veniam, scilicet de alio mortali. Eligat studiosus ex his sibi magis placitam opinionem. Prima est communior. Secunda conformior pietati divinæ, & conditioni hominum, ne deserant opera bona, etsi mortalibus culpis sint onerati. Hi igitur omnes sunt modi, quibus delentur venialia in hac præsenti vita, tam in homine justo, carente mortalibus; quam in peccatore habente simul venialia, ac mortalia.

Quòd si petimus, quomodo dimittantur Venialia in alia vita; illius scilicet hominis, qui moritur 18 in gratia, & sine peccatis mortalibus; at cum multis venialibus, ut de facili accidere potest, cum quis nunquam doluit de venialibus commissis, & moritur cum eis: vel etiam actualiter complacentiam habet de ipsis, quando obruitur morte? Talis casus est adeò difficilis, ut in ejus resolutione Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 15. de Pœnitentia art 13. num. 475.* referat octo diversas Theologorum opiniones. Quapropter facilitati, ac brevitati studendo hìc tres modos respondendi adducam. *Primus* est; quòd Venialia decedentis in gratia delentur per actum charitatis in Deum, quem elicit anima in primo instanti post exitum è corpore. Ita plurimi DD. Scholastici, quos nominat Mastrius *d. disp. 5. de Pœnit. num. 264.* & quibus adhærent Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 3. num. 51.* & videntur niti auctoritate S. Thomæ *Quæst. 7 de Malo art. 11.* cujus hæc sunt verba: *Quandoque contingit, quod*

aliqui in ipsis actibus peccatorum venialium, vel in proposito venialiter peccandi, occupentur somno, vel alia passione auferente usum rationis, quibus manifestum est, quòd in hac vita peccata venialia non dimittuntur, & tamen propterea non impediuntur perpetuò à vita æterna; ad quam nullo modo perveniunt, nisi omnino immunes ab omni culpa effecti: Et ideò oportet dicere, quòd Venialia remittuntur eis post hanc vitam, etiam quantùm ad culpam, eo modo, quo remittuntur in hac vita; scilicet per actum charitatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commissis: quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpæ, non tamen meretur absolutionem, vel diminutionem
19 *pœnæ, sicut in hac vita.* Sed huic modo dicendi videtur obstare Regula illa Theologica, quod post mortem non est amplius tempus merendi, neque de congruo, neque de condigno deletionem culpæ venialis, nec satisfaciendi; sed solùm satispatiendi, juxta illud *Eccl.* 14. *Ante obitum tuum operare justitiam, quia non est apud inferos invenire cibos.* Ideò non placet Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 15. *num.* 486. neque Mastrio, aliisque apud ipsum *d. disp.* 5. *num.* 265.

Secundus dicendi modus est, quòd peccata venialia decedenti in charitate remittantur statim post mortem, non quidem per aliquem actum me-
20 ritorium, quem faciat justus post mortem; sed propter aliquem actum bonum factum à justo in via, & acceptatum à Deo ad remissionem venialium talis hominis statim post ejus mortem. Hæc responsio est Scoti *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. *sub. E.* & placet Emin. Cardin. de Lauræa, ac Mastrio, qui *d. disp.* 5. *num.* 269. respondet objectioni, seu interpellationi, cujusdam requirentis, cur Deus exspectaverit delere venialia post mortem illius hominis justi respectu boni operis ab eo facti in via; & ea non deleverit ipso vivente? Respondet, inquam, & dicit, quia justus ille ponebat obicem remissioni per complacentiam in Venialia; cessante autem complacentia, & sic remoto obice per mortem, statim Deus intuitu præcedentium meritorum delet culpas veniales. Hancmet responsionem laudat, & multis argumentis corroborat idem Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 15. *num.* 503. *& plurib. seqq.*

Tertius modus Respondendi quæsito est, quòd peccata Venialia hominis justi decedentis cum illis, remittuntur in alia vita, etiam quo ad culpam,
21 per satispassionem in Purgatorio; itaut nihil aliud sit deletio culpæ venialis, nisi solutio pœnæ temporalis debitæ pro illa; appellatione autem pœnæ, intelligunt hìc Theologi non solùm ipsam pœnam actualem, sed obligationem ad illam sufferendam, quam contraxit homo in vita peccando in; venialiter qua obligatione præcipuè consistit reatus culpæ venialis. Ita Mastrius ex mente Scoti *loc. cit.* in *d. disp.* 5. *num.* 270. allegans auctoritatem Apostoli 1. *Cor.* 3. in illis verbis: *Sic Salvus erit, quasi per ignem:* nam salvum fieri per purgationem ignis significat non solùm liberationem à pœna, sed præcipuè liberationem à culpa, consistente in prædicta obligatione luendi, ac patiendi in Purgatorio. Sed aliquis objiciet. Ergo etiam Venialia damnatorum in Inferno delebuntur, & quo ad pœnam, & quo ad culpam, per satispassionem. Negatur consequentia quo ad culpã quia damnati non sufferunt libenter pœnas, sed cum murmuratione eas sustinent, & cum contumacia, juxta illud: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper Psalm.* 73. 23. At animæ Purgatorii cum conformitate Divinæ Justitiæ; ut plura exempla testantur apud pios Scriptores. Ex his tribus modis eligat studiosus, quem sibi magis satisfacere putat: ut sciat respondere petenti, *Quomodo deleantur in alia vita culpæ veniales justorum, qui earum deletionem non obtinuerunt ante mortem.*

His ita constitutis circa materiam culparum Venialium, reassumenda est principalis Quæstio, in 22
principio hujus Decisionis proposita; *Quid dicendum Moribundo valenti, sed nolenti confiteri peccata venialia; eò quia reperit mortalia confitenda non habere?* Emin. Cardin de Lauræa *in d. tom. de Poenit. disp* 11. *art.* 3. *num.* 24. hæc verba posuit: *Volunt Auctores multi, posse aliquando Veniale esse objectum Confessionis ex necessitate in duobus casibus. Primò quando urget præceptum confitendi tempore Paschæ, & in mortis articulo. Secundò, quando Poenitens dubitat, an sit mortale, vel veniale.* De prima parte primi casus, scilicet de obligatione confitendi Venialia ob præceptum Confessionis tempore Paschæ, ipse Eminentiss. Cardinalis tractat *in disp.* 24. *art.* 2. *num.* 98. ubi tenet, non esse obligationem confitendi venialia, quia idem præcipit Ecclesia, quòd præcipit Christus; sed Christus præcepit solam Confessionem mortalium, ut definitum est in Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. De secunda parte, scilicet de obligatione confitendi Venialia tempore mortis, nullibi amplius locuta est Eminentia sua in toto illo voluminoso opere; ideò responsio ad Quæstionem sumenda est à Gobato. *in sua Theol. Exper. tract.* 6. *num.* 253. ita scribente: Dixi, quemvis reum peccati mortalis obligari præcepto Confessionis in articulo mortis; nec enim per se loquendo graviter delinqueret, qui nullius mortalis noxæ ab ultima ante trimestre Confessione admissæ nollet confiteri, sed præcisè diceret suo Parocho: Non volo confiteri, quia revera non deprehendo in mea conscientia ullum grave peccatum; nec posset meo judicio negari huic homini seu Viaticum, seu Extrema Unctio. Ego tamen non desisterem, donec mihi talis aperiret cum voluntate percipiendæ absolutionis aliquod Veniale; sicut & hortarer illum, qui triduo, vel quatriduo ante fuisset, nihil de morte cogitans, confessus; ac diceret, se ex eo tempore sibi diligenter caviisse ab omni gravi peccato. In utroque casu ita procederem: tum ad indirectam remissionem mortalis, si quod forte lateret in animo; tum ob gratiam Sacramentalem; tum ad satis faciendum consuetudini universali fidelium; tum singulariter in primo casu ad evitanda scandala, & domesticorum tristitiam, timoremque. Huc usque Gobatus.

Ulteriùs prædicto Moribundo suggerendum fo- 23
ret; expedire, ut detestetur venialia, & ea Clavibus Ecclesiæ per Sacramentalem Confessionem subjiciat; ad hoc ut absolutionem obtineat in hac vita à reatu culpæ & dimissionem partis pœnæ; ne in Purgatorio per nimiam satispassionem cogatur ab utraque in igne purgari; ac etiam ut effectum Indulgentiarum consequatur, si in aliqua pia confraternitate sit descriptus, quem inutilem reddit affectus, & complacentia jisdem culpis 24
venialibus; non enim remittitur pœna, nisi priùs sit deleta culpa. Suarez *de Pœnit. disp.* 50. *sect.* 1. *num.* 11

num. 11. Navarrus *de Jubilæo notab.* 10. *num* 12. & Passerinus *de Indulgent. num.* 82. Culpa autem, etsi venialis, non dimittitur, absque pœnitentia, ac dolore de ipsa. Idem Suarez *disp.* 11. *sect.* 1. *num.* 5 Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Pœniten. disp.* 9. *sect.* 2. *à num.* 12. Et hæc est causa, cur tot ac tantæ animæ Religiosorum, & Sanctimonialium
25 legantur addictæ pœnis Purgatorii post mortem, quamvis pro eis perpetua Indulgentia plenaria concessa sit à Paulo Papa V. in articulo mortis in sua *Constit.* 21. quæ incipit *Romanus Pontifex.* Data *sub die* 23. *Maii* 1606. de qua idem Passerinus *quæst.* 98. *num.* 861. Causa, inquam, hæc est, quòd decedunt cum affectu, seu complacentia ad aliqua peccata venialia, vel circa proprietatem, vel circa propriam voluntatem, contra vota paupertatis, & obedientiæ; vel circa passiones immortificatas contra charitatem fraternam, aut amorem proprium; sivè in diversis negligentiis regularem perfectionem retardantibus, & ob has culpas, quas etsi veniales, non curarunt sibi dimitti ante mortem per pœnitentiam, detestationem, ac retractationem, obligantur post mortem, eas luere & quo ad reatum, & quo ad pœnam in atrocissimo igne Purgatorii, ut testatæ sunt plurimæ animæ Regularium utriusque sexus in earum apparitionibus, ad effectum obtinendi suffragia, Ven. Franciscæ à SS.
26 Sacramento Carmelitæ Discalceatæ (quæ feliciter obijt Anno 1631) impressi Venetiis typis *Stephani de Curtis Anno* 1680. quas commentariis illustravit Illustrissimus, ac Reverendissimus Mendoza Episcopus Osmensis, ut recensui supra in hoc tractatu *Decis. III. num.* 13. *& seqq.* ubi de iisdem Religiosis animabus in Purgatorio detentis verba feci.

DECISIO XXXIV.

ARGUMENTUM.

Satisfactionis Sacramentalis materia in hac Decisione plenissimè declaratur. Traditur ipsius definitio explicans essentiam, & effectus ejusdem. de obligatione Confessarii circa impositionem Pœnitentiæ. Qualem, & quantam debeat imponere. Causæ, ob quas levis Pœnitentia pro gravibus peccatis potest injungi. Quanto tempore ejus executio possit differri. An adimplenda sit in statu gratiæ. Cur, Quomodo Quando, & à Quibus Satisfactio à Confessario imposita pœnitenti sit commutanda.?

SUMMARIUM.

1 *Satisfactio est tertia pars materiæ Sacramenti Pœnitentiæ.*
2 *Satisfactio Sacramentalis quid sit? Est efficacior voluntaria.*
3 *Satisfactio in quibus operibus imponenda à Confessario?*
4 *Satisfactio an sit imponenda ante absolutionem vel post?*
5 *Confessarius an sit obligatus injungere Satisfactionem pœnitenti?*
6 Debet *est verbum importans necessitatem.*
7 *Satisfactio omitti potest à Confessario in quatuor casibus.*
8 *Satisfactio quanta sit imponenda? Et qualis? num.* 9.
10 *Satisfactio an possit imponi in operibus de Præcepto?*
11 *Eleemosyna pro pœnitentia an valeat, si fiat ob aliam obligationem.*
12 *Satisfactio an imponenda alternativè?*
13 *Prohibitio bonorum operum potest fieri pro satisfactione Sacramentali.*
14 *Purgatorii animabus potest applicari satisfactio Sacramentalis.*
15 *Satisfactiones conditionales an imponendæ à Confessario?*
16 *Pœnitentia publica an aliquando sit à Confessario imponenda?*
17 *Pœnitentiæ leves imponi possunt ob octo causas.*
18 *Verba* Quidquid boni feceris ac mali sustinueris *in absolutione quid operentur?*
19 *S. Franciscus Xaverius pœnitentiam exsolvit pro suo pœnitente.*
20 *Pœnitentia Sacramentalis quanto tempore possit differri?*
21 *An in statu gratiæ adimplenda?*
22 *Satisfactio Sacramentalis an possit commutari? & à quo?*
23 *Satisfactionis implementum omitti potest ob duas causas.*

EX tribus Partibus materialibus, quæ simul cum forma absolutionis Sacramentum Pœnitentiæ componunt, hucusque explicatæ sunt duæ priores, nempè dolor, seu contritio, & confessio peccatorum cum omnibus suis necessariis conditionibus, requisitis, ac circumstantiis. Restat modò, ut agamus de tertia, quæ est Satisfactio Sacramentalis. Pro intelligentia sciendum, quòd homo dum peccat, remanet debitor Deo pro offensa mortali ad pœnam æternam solvendam in Inferno; pro veniali ad pœnam temporalem luendam vel in hac, vel in alia vita. Quando verò pœnitet se peccasse, & dolet vel perfectè cum contritione, & confessione in voto; vel minùs perfectè cum attritione, & confes- 1
sione Sacramentali in actu, Deus delet ei culpam; & commutat pœnam æternam in temporalem; nisi tanta sit ejus contritio, ut nullam temporalem pœnam ampliùs exigat Deus ab illo. Ab ipsa autem pœna temporali liberatur pœnitens dupliciter, vel per assumptionem voluntariæ pœnitentiæ, exercendo se in pœnalitatibus, jejuniis, orationibus, flagellis, ciliciis, eleemosynis, ac aliis bonis operibus, juxta suum proprium fervorem: vel per satisfactiones sibi injunctas à Sacerdote, cui confessus est sua peccata. De primo modo se liberandi à pœnis debitis pro peccatis egimus ab initio hujus operis à *Decis. III. & seqq.* in quibus explicuimus vim, & efficaciam afflictionum corporalium, voluntariè assumptarum; nec non sufferentiæ in pœnis illatis vel à Deo immediatè, vel ab hominibus; quarum occasione in *Decis. VIII.* examinavimus, ad effectum satisfaciendi pro peccatis, An necesse sit patientibus mala, habere intentionem formalem, vel virtualem satisfaciendi; & utrùm oporteat, ut patiens sit in statu gratiæ, ac immunis à peccato mortali, ad hoc ut actus satisfactorii valeant, & suum obtineant effectum? quæ omnia, ne hîc repetantur, ibidem sunt videnda. De secundo autē modo nempè de Satisfactione

Sacramentali agendum est in præsenti; & de ea examinabimus.

Primò. Quid sit satisfactio Sacramentalis?

Secundò. An Confessarius sit obligatus eam imponere Pœnitenti?

Tertiò. Qualis, & Quanta satisfactio sit ei imponenda?

Quartò. Quo tempore, & in quo statu sit à pœnitente exequenda?

Quintò. An eadem satisfactio possit commutari? & à Quo?

Quo ad Primum. De satisfactione in genere diximus supra in *Decis. IV.* ubi *num.* 1. diximus, eam *esse redditionem voluntariam æquivalentis aliàs indebiti*: & *num.* 4. illam divisimus in *Antidoralem*, quæ rependitur ex animi gratitudine pro beneficiis receptis, in *Civilem*. quæ exercetur inter homines in contractibus onerosis; & in *Criminalem*, quæ redditur alicui ob injuriam ei irrogatam, & sub hac specie venit *Satisfactio Sacramentalis*, quæ definitur, 2 *esse opus illud, quod Pœnitenti confesso imponitur à Sacerdote ante, vel statim post absolutionem, virtute Clavium, ab eodem Pœnitente exequendum.* Dicitur *satisfactio*; quia homo post peccatum remanet debitor Deo pro offensa, & pro eadem debet satisfacere. Dicitur *Sacramentalis* ad differentiam satisfactionis voluntariæ, quam peccator pœnitentiæ causa sponte assumit; utraque enim satisfacit divinæ justitiæ, ac delet pœnam temporalem jam decretam pro peccatis; sed cum magno discrimine, nam voluntariæ satisfactiones delent pœnam *ex opere operantis*; satisfactio autem Sacramentalis *ex opere operato*, quod est dicere, hanc Sacramentalem, cæteris paribus, in non ponente obicem, remittere majorem partem pœnæ, quàm remittat voluntaria, ut docet Palaus *tract.* 23. *disput. Unic. punct.* 21. §. 2. Filliuccius *de Satisfactione Sacramentali cap.* 2. *num.* 33. & pluribus citatis Salmanticenses *de Sacram. in genere d. tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 4. Ulteriùs hæc satisfactio Sacramentalis confert gratias prævenientes, ac auxilia divina, quibus pœnitens magis juvatur, ut in posterum fugiat peccata. Suarez *de Pœnitent disput.* 38. *sect.* 2. *num.* 3. Palaus *d. punct.* 21. *num.* 4. Ac etiam secundùm plures DD. causat augmentum gratiæ habitualis ex opere operato. Cajetanus *in* 3. *part. quæst.* 90. *art.* 2. Candidus. *Disquisit.* 24. *art.* 30. *dub.* 4. Suarez *disp.* 33. *sect.* 2. Diana *part* 3. *tract.* 4. *resol.* 70. impressa in Cordinato *tom.* 1. *tract.* 6. *resol.* 34. latè Salmanticenses, qui argumenta pro utraque opinione, ac Auctores referunt *d. tract.* 6. *cap.* 10. *à num.* 8. *& seqq.* Dicitur in definitione *esse opus illud, quod Pœnitenti* 3 *confesso imponitur*; quod quidem opus potest esse de illis omnibus, quos abundè declaravimus *à Decis. IV.* usque *ad Decis.* X. ubi docuimus, omnes actus satisfactorios reduci ad tria genera, nempè ad jejunium, ad orationem, & ad eleemosynam. Nomine autem *jejunii* intelliguntur quæcumque pœnalitates tum corporis, tum animi, sive à pœnitente sibi ipsi inflictæ, sivè à Deo immediatè immissæ, sivè à creaturis illatæ; appellatione verò *orationis* veniunt omes actus virtuosi sive interni, sivè externi. v. g. fidei, spei, charitatis, humilitatis, & similis sub titulo autem *eleemosynæ* comprehenduntur omnia opera Misericordiæ tum corporalis, tum spiritualis, & hi omnes actus possunt injungi pœnitenti pro satisfactione Sacramentali, ut demonstrat ex auctoritate Concilii Trid. *sess.* 14. *cap.* 8. sacrorum Canonum, ac Doctorum Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœnitent. disput.* 22. *art.* 5. per totum Dicitur *à Sacerdote*; quia si opus eligeretur pro satisfactione ab ipso pœnitente, valeret quidem ad deletionem pœnæ temporalis, sed non esset pars Sacramenti Pœnitentiæ, neque deleret tantam pœnam, neque produceret alios effectus uberiores in anima pœnitentis ex opere operato, de quibus diximus supra; siquidem spectat ad Sacerdotem tanquam judicem imponere opera satisfactoria in vindictam culparum, cùm ejus sit absolvere à culpa, & pœna æterna, & ligare ad pœnam temporalem. Concil. Trident. *d sess.* 14. *can.* 13. & habetur *in cap. Ab infirmis, capit. Temporalia. & cap. De his.* 26. *quæst.* 7. Dicitur *ante, vel statim post absolutionem*, quia utroque mo- 4 do sufficit ad integritatem Sacramenti. De primo nempè quòd Sacerdos ante absolutionem imponat pœnitentiam, seu satisfactionem pœnitenti, ut ab omnibus prudentibus Confessariis practicatur, est textus *in Clement. Dudum. De Sepultur.* ubi dicitur: *Sacerdos confessiones audiat, pœnitentias imponat, & absolvat* De secundo, quòd sufficiat etiam satisfactionem injungere statim post absolutionem, facit *cap. fin. de Censib. in* 6. ubi Papa ait: *Archiepiscopus dum visitat, potest confessiones Suffraganeorum subditorum audire, ac absolvere pœnitentes, & ipsis pœnitentias injungere salutares.* Melius tamen est juxta praxim Ecclesiæ, ut ea imponatur ante absolutionem. Sylvest. *V. Confessor. in princ.* Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 42. *& ibi DD.* Dicitur *virtute clavium*, id est jurisdictionis, quam exercet in foro interno Sacerdos Confessarius, & quæ venit sub nomine Clavium Ecclesiæ, ut scripsimus supra *Decis. XIX.* in qua sub *num.* 30. ostendimus, Claves in Sacerdote audiente Confessiones esse duas, unam *Scientiæ*, qua potest intetrogare pœnitentem de numero, ac circumstantiis peccatorum; & alteram *Potentiæ*, qua valet eum obligare ad acceptandam pœnitentiam, seu satisfactionem præstandam pro peccatis, & subindè ab iisdem illum absolvere. Tandem dicitur in definitione quòd prædictum opus à Sacerdote injunctum est *ab eodem Pœnitente exequendum*; tum quia Pœnitens, si vult absolvi, non potest recusare satisfactionem à Sacerdote injunctam; tum etiam quia eadem est necessaria vel in re, vel in voto, tanquam pars Sacramenti Pœnitentiæ. Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. tum etiam quia non solum concurrit ad deletionem pœnæ temporalis, sed etiam ad gratiam, & justificationem ipsius pœnitentis, ut ex S. Thoma *in* 4. *dist.* 16. *quæst.* 1. *quæstiunc.* 2. *ad* 3. docet Suarez *disp.* 38. *sect.* 2. & in terminis Eminentiss. Cardin de Lauræa *d. disp.* 22. *art.* 9.

Quo ad secundum. Si quærimus, An Confes- 5 sarius sit obligatus imponere satisfactionem Sacramentalem Pœnitenti coram se confesso? Respondetur regulariter, & per se loquendo affirmativè, tum de jure antiquo, *ex cap. Tempora. cap. Pœnitentibus. cap. Sacerdos. cap. Pro qualitate.* 26. *quæst.* 7. *cap. Mensuram. De Pœnitent. dist.* 1. *cap. Omnis utriusque sexus De Pœnitent. & Remiss.* tum ex jure novo, ut in Concilio Tridentino *d. sess.* 14. *cap.* 8. ut in illis verbis: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, pœnitentium, facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere.* Certum est autem apud Jurisperitos, quòd verbum *Debet* impor- 6 tat necessitatem. *l. Sæpè. ff. de Offic.*

Pra-

Præsid. Fagnanus *in cap. Qualiter num.* 37. ubi DD. *de clericis non resid. tom* 4 *pag.* 62. idcircò non est in facultate Confessarii eam omittere, sed de præcepto tenetur illam imponere, tum ex virtute Religionis, ne Sacramentum relinquatur imperfectum, ac mutilum sine satisfactione, quæ est ejus pars integralis. Concilium Trident. *d. sess.* 14. *cap.* 3. tum ex natura judicii, & potestatis suæ judicialis, quæ requirit aliquam punitionem delictorum; tum denique ad medelam pœnitentis, ut scilicet Confessarius, qui erga eum fungitur etiam officio Medici, imponat ei pœnitentiam ad effugienda de cætero eadem peccata; quare si deficiat injungere satisfactionem, peccabit mortaliter, ut tradunt Paulus *tract.* 23. *disp. Unica punct.* 21. §. 2. *num.* 6. Joan. Sancius *in Selectis disp.* 15. *num.* 14. *&* 17. & Salmanticens. *d. tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 18. Qui declarant, hoc procedere, ubi confessio esset de peccatis mortalibus non antea confessis; secùs si fuisset de solis venialibus, vel de mortalibus sæpè antea confessis; tunc enim Confessarius omittens dare pœnitentiam, peccaret tantummodò venialiter; ut opinantur Eminentiss. Card. de Lugo *de Pœnit. disp.* 25. *num.* 47. Diana Coordinatus 1. *tract.* 6. *resol.* 5. excerpta è veteri *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 44. ea ratione, quia sicut levitas pœnitentiæ excusat pœnitentem, eam non recitantem à mortali; Palaus *d. punct.* 21. §. 4. *num.* 9. & Diana *d. resol.* 44. §. 3. ita eadem levitas satisfactionis debet excusare Confessarium, eam injungere omittentem. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus Confessarius potest absque scrupulo absolvere Pœnitentem nulla imposita satis-7 factione. Primus est, si sit morti proximus, & destitutus sensibus, ut demonstravimus supra *Decis. XXXII.* nam si amissa loquela, & sensibus potest absolvi sine confessione. *cap. Is, qui pœnitentiam. 26. quæst.* 6. multò magis sine impositione satisfactionis. Eminentiss. Card de Lauræa *d. disp.* 22. *num.* 50. Est tamen verum, quòd si potest loqui vel intelligit, etsi sit viribus destitutus, debet ei imponi pro pœnitentia saltem invocatio Sanctissimi Nominis Jesu; vel sufferre cum pâtientia dolores infirmitatis Palaus *d. disp. Unica punct.* 21. §. 2. *num.* 7. Secundus casus est, si confitens sit Vir sanctæ vitæ, ac magnæ pœnitentiæ; tunc enim plures DD. videntur concedere, stantibus levissimis ejus culpis, ac posse Confessarium nullam ei imponere satisfactionem; sed hoc non placet Salmanticensibus, quia semper, quamvis levis, est injugenda aliqua pœnitentia ad integritatem Sacramenti; ut *dict. tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 22. Tertius est casus, si sit tempus Jubilæi, & publicata Indulgentia plenaria. Gobatus *tr.* 7. *num.* 744. Sed nec talis casus est admittendus, pro nullius satisfactionis impositione; bene tamen pro ejusdem exiguitate; ut dicetur infra *num.* 17. & advertunt Suarez *disput* 38. *sect.* 10. *num.* 10. ac Palaus *d. tract.* 23. *disp. Unica, punct.* 21. §. 2. *num.* 9. Quartus verò est casus, equidem concedendus, quem describit idem Gobatus *d. tract.* 7. *num* 743. his verbis: *Quando adolescentes. aut alii seu scrupulosiores, seu conscientiosiores Post impertitam absolutionem dicunt, se hoc, aut illud peccatillum oblitos, poterit Confessarius sine noxa impertiri absolutionem absque nova poenitentia, extendendo tacitè priorem etiam ad illud unum, aut alterum peccatillum: secùs si ad peccatum mortale extenderet solùm tacitè, seu in animo. At sæpè excusabitur, si apertè dicat duntaxat pœnitenti: Fac pro hoc, & prioribus peccatis pœnitentiam priùs injunctam.* Idem docent aliis citatis, Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 24. qui *num.* 25. addunt non deesse Auctores autumantes, posse Confessarium abstinere ab impositione satisfactionis, quando prævidet, poenitentem non esse eam acceptaturam, vel facturum; sed hoc reprobat ob multas rationes idem Collegium Salmanticense *d. num.* 25. ubi alios DD. ita sentientes cumulat; & nos docuimus supra *Decis. XXX. à num.* 6. *& seqq.* in qua ostendimus, poenitentem obedire debere Sacerdoti in satisfactione ei injungenda, aliàs inabsolutum esse dimittendum.

Quo ad Tertium, Ad sciendum, *Qualis, & Quanta satisfactio sit Poenitenti imponenda*, præmittere oportet id, quod scribit Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 22. *num.* 108. scilicet, de facto 8 non dari determinatam Regulam, seu legem, cui debeat se conformare Sacerdos imposiurus satisfactiones, nam Canones Poenitentiales positi in fine Decreti Gratiani non sunt pro foro interno, sed pro externo, nempè pro illis, qui in judicio convincuntur de aliquo illorum dilictorum & licèt olim magis rigorosæ essent satisfactiones, hodie perexiguæ imponuntur, vel ob refrigescentem charitatem orbis Christiani, vel ob frequentem usum Indulgentiarum; ideòque regula in hoc sequenda est dictamen prudentis Confessarii, qui perpendere debet peccata, contritionem, dispositionem, qualitates, ætatem, vires, & statum poenitentis; itaut, quantùm fieri potest, carnalibus imponat jejunia, & macerationes: superbis orationes, aliosque actus humiliratis; avaris eleemosynam, & sic de aliis juxta id, quod ait *Sap.* 11. *Per quæ quis peccaverit, per hæc & punietur*, & quod præcepit Concilium Tridentinum *d. sess.* 14. *cap.* 8. in illis verbis: *Debent pro qualitate criminum, & poenitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere; ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentius cum poenitentibus agant, leviss ima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Hinc est, quòd si Confessarii absque legitima causa pro magnis peccatis levem poenitentiam imponant, peccent mortaliter. Idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 22. *num.* 122. & Eminentis Cardin. de Lugo *disp.* 25. *de Sacram. Poenitent. sect.* 4 *num.* 56. Quem refert Diana Coordinatus 1. *tract.* 6. *resol.* 8. *&* 9. quæ in veteri sunt *part.* 6. *tract.* 7. *resol.* 5. *& part.* 9. *tract.* 9. *resol.* 55. *aliàs* 54. & ibi alii DD.

Cæterùm concedunt tam Theologi Scholastici, quàm Moralistæ circa qualitatem poenitentiæ, ac Sacramentalis satisfactionis, quòd possunt 9 injungi tam actus interni, puta pia meditatio de præsentia Dei, omnes actiones nostras intuentis; de morte certissimè eventura; de judicio Dei, quod effugi non potest; de peccatorum foeditate, ac gravitate; de passione Domini; de actu doloris eliciendo; ac de renovando proposito non ampliùs peccandi, ac similibus; quàm actus externi, qui, ut dictum est, rediguntur ad tria illa genera, Orationem, Jejunium, ac Eleemosynam. Eminentiss. Cardin. de Lugo *disput.* 26. *sect.* 4. Salmanticenses. *d. tract.* 6. *cap.* 10. *num* 27. qui circa hæc tria faciunt sequentes observationes à Confessariis non ignorandas.

Primò, quòd possunt imponi opera quamvis 10 aliàs debita ex præcepto, ut auditio Missæ die festo jejunium in Quadragesima. Suarez *disput.* 38. *sect.* 6. Busembaum *libr.* 6. *tract.* 4. *de Poenit.*

cap. 1.

cap. 1. *dub.* 4. *de Satisfactione.* Sed tunc Confessarius id absque causa facere non debet, & ubi cognosceret sic expedire, teneretur hoc pœnitenti exprimere; prout etiam si ei imponeret, ut singulis Dominicis audiat duo Sacra, vel singulis diebus unum Sacrum; ad hoc ut pœnitens sciat, per adimplementum illius pœnitentiæ se satisfacere etiam præcepto Ecclesiæ; alias deberet auditionem Sacri in diebus festis reiterare, & jejunium extra dies ad ipsum obligantes, assumere. Sanchez *in Decal. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 6. Bonacina *disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 3. *punct.* 2. *num.* 12. idem Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 28. *& seqq.*

11 Secundò: Quòd si injuncta sit eleemosyna, pœnitens non satisfaciet dando ea, quæ debet restituere ob incertorum ablationem; neque si daret eleemosynam fratribus suis, vel avis, vel parentibus ea indigentibus, quia cum de jure teneatur eis subvenire, non erit illa datio eleemosyna, sed solutio debiti legalis. Surdus *de Alimentis tit.* 7. *quæst.* 37. secùs si sint consanguinei in remotiori gradu, quibus de jure non teneatur alimenta præstare. Molina *libr.* 2. *de Primogen. cap.* 15. *à num.* 37. Satisfaceret autem pœnitentiæ, si daret eleemosynam extremè indigenti, nam licèt hoc casu quilibet sit obligatus eam dare, non censetur exclusus in satisfactione Sacramentali, quia est vera eleemosyna. Layman. *libr.* 5. *tract.* 6. *cap.* 15. *num.* 10. Candidus *Disquisit.* 24. *art.* 31. *dub.* 12. Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 86. Quæ in Coordinato est *tom.* 1. *tract.* 6. *resol.* 50.

12 Tertiò: Quòd licèt possit Confessarius imponere pro satisfactione opus alternativum; nempè vel jejunium, vel eleemosynam ad arbitrium pœnitentis eligendum: tamen non potest relinquere arbitrio pœnitentis ejusdem totam pœnitentiam, idest *Jejuna, si vis; Fac Eleemosynam, si tibi placet.* S. Thomas *Quodlibet.* 3. *art.* 23. Turrianus *disp.* 35. *dub.* 2.

Quartò: Poterit Confessarius injungere cessationem ab operibus bonis, si ita viderit expedire utilitati spirituali ipsius pœnitentis, ad ejus voluntatem mortificandam, vel in virtute obedientiæ exercendam; ut ne jejunet, ne tali die communicet; ne ad talem Ecclesiam accedat. Rodriquez *in Summa part.* 1. *cap.* 65. Molina *de Instruct. Sacerd. tract.* 7. §. 4. *cap.* 5. Eminentiss. Cardin. de Lugo *disp.* 25. *num.* 65. Et de his habentur exempla Sancti Philippi Nerii, qui Antonium Gallonium devotissimum Laicum abstinere fecit per plures menses à Synaxi Sacra, ut in ejus vita *libr.* 2. *cap.* 19. *num.* 17. Alium autem Laicum suæ Congregationis, cui prohibuerat, ne in Ecclesiam Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe ingrederetur ad orandum, Deipara eidem S. Philippo Nerio ostendit in spiritu transgredientem fuisse; quem propterea domum reversum redarguit.

14 Quintò: Quod licitum est injungere pro pœnitentia preces recitandas, vel alia bona opera facienda pro Animabus Purgatorii; siquidem est eleemosyna spiritualis, cujus executio ex opere operato, & virtute Sacramenti valet ad deletionem culpæ, & pœnæ debitæ ab ipso Pœnitente, ultra suffragium, quod recipiunt animæ Purgatorii ex opere operantis; ut docent Eminentiss. Cardin de Lugo *d. disp.* 25. *n.* 62. Aversa. *Quæst.* 11. *sect.* 4. Turrianus *disp.* 37. *de Pœnit. dub.* 4. & alii apud Collegium Salmanticen. *d. tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 37.

Sextò: Quod aliquando expedit injungere Satisfactiones conditionales de futuro; nempè si iterùm
15 (exempli gratia) blasphemaveris, vel perjurabis, aut aleis luseris, facito tantam eleemosynam, vel jejunes; multùm enim valent ad emendationem peccati, & ad coercendam pravam consuetudinem. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 21. Suarez *disp.* 38. *sect.* 38. Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 15. *num.* 11. *&* 12. ubi addit, proficuum valdè fore etiam injungere reiterationem frequentem Sacramentalis Confessionis.

Septimò tandem, (quod est notatu dignissimum) omnes DD. in hoc convenire; si peccata sint secreta, non esse cogendum pœnitentem ad publicam pœnitentiam recipiendam. Si autem peccata publica sint, & cum aliorum scandalo facta, non modò licitè sed aliquando etiam necessario, si scilicet aliàs scandalum non cessaret, pœnitentias publicas esse injugendas, ut ea ratione scandalum emendetur. Ita D. Thomas *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 4. *quæstiunc.* 4. *ad* 4. Paludanus, Durandus, Medina, quos citat, & sequitur Coninchus *dub.* 8. Suarez, Vasquez, Henriquez, Bonacina & alii apud. Castropalaum *tract.* 23. *disp. Unica punct.* 20. §. 3. *num.* 5. Aversa *sect.* 3. & alii, quibus adhærent Salmanticenses *eod. tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 39. per text. *in cap.* 1. *De Poenit. & Remiss.* & per Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 8. *de Ref.* præcipiens remitti in usum publicas pœnitentias, quod loqui non solùm de foro judiciali publico; sed etiam de Sacramentali, & secreto, optimè expendunt Coninch. *d. dub.* 8. & Palaus *d. num.* 5. contra Navarrum id negantem. Ratio est, quia ut pœnitens licitè absolvatur; debet ei injungi omnis illa satisfactio, ad quam jure naturæ tenetur: atqui naturaliter pœnitens tenetur exhibere omnem eam satisfactionem, quæ necessaria est, ut scandalum omne tollatur. Ergo quoties an hoc necessaria est publica pœnitentia, ea ipsi debet injungi. Neque obstabit, quòd frangatur sigillum per illam; tum quia præcedente scandalo peccatum erat notorium; tum etiam quia concurrit consensus pœnitentis ad absolutionem obtinendam, sicut eidem imponitur onus postulandi veniam ab offensis absque ulla sigilli violatione. Scandalo autem cessante à publicis pœnitentiis injungendis est abstinendum, quia nostris temporibus sunt curationes duræ, ac valdè periculosæ; ut ajunt iidem Salmanticenses *d. num.* 39.

Quo verò ad quantitatem Pœnitentiæ, quia sæpè sæpiùs pœnitentes evomunt peccata multa, ac enormia; & præteritas satisfactiones satis numerosas, ac ponderosas non adimpleverunt; 17
unde pii Confessarii angustiantur, nescientes quid sint imposituri: si enim multa injungunt, non deducuntur ad effectum; si levia videntur peccatis connivere; placet hîc referre doctrinam expertissimi Gobati, qui *in cit.* Theologiæ Experimentalis *tract.* 7. *num.* 758. quærens, *Quas ob causas sit minor Pœnitentia injungenda, quàm mereantur peccata confessa?* Has omnes sequentes adducit. Quando 1. Confessarius credit, pœnitentem ob fragilitatem non esse impleturum justam cæteroquin pœnitentiam. 2. Quando minuendo pœnitentiam allicitur Pœnitens ad frequentiorem, utilemque confessionem 3. Quando intervenit difficultas infirmitatis; sed tunc infirmis præcipiendum est, quòd si convaluerint, præter modicam præsentem satisfactionem, aliam majorem faciant. 4. Quando pœnitens reipsa est valdè contritus & compunctus. 5. Quando Confessarius noverit, pœnitentiam ex se ipso solere præstare multa bona opera. 6. Quando scit eum subindè esse luoratu-

craturum Indulgentiam parem suis peccatis. 7.
18 Quando in absolutione addit ea verba: *Et quidquid boni feceris, & mali patienter sustinueris*, intendens includere in Sacramentali satisfactione omne opus, quod pœnitens deindè fecerit; & omne malum, quod patienter sustinuerit; itaut utrumque ad tantam excellentiam elevetur, ut ex opere operato prosit ad delendas pœnas; ut vult Navarrus *in cap. Falsas, num.* 11. *de Pœnitent. dist.* 5. & alii apud Dianam *part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 1. Quæ in Coordinato est *tom.* 1. *tract.* 6. *resol.* 10. monentem, ne à Confessariis facilè omittantur dicta verba *Quidquid boni feceris, &c.* Porrò dissentit ab hac doctrina Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp.* 25. *num.* 56. & cum ipso alii relati ab eodem Diana Coordinato *d. tom.* 1. *tract.* 6. *resol.* 8. & 9. asserentes, dicta verba esse simplicem deprecationem, prout sunt illa *Misereatur tui, &c. Indulgentiam, &c.* Octava, & ultima causa injungendæ levissimæ pœnitentiæ pro multis peccatis est, si ipse Confessarius paratus sit expiare in suo corpore peccata pœnitentis; per diras flagellationes, ac jejunia, quòd nullum Parochum reperi fecisse,
19 nisi Sanctum Franciscum Xaverium, qui in itinere Lusitaniam versus, militem jam octodecim annos inconfessum, dulcissima sua charitate, peccata ad ejus pedes evomere suasit, pro quibus nil aliud imperavit dicere, nisi *Pater, & Ave*; at ipse Sanctus extra viam progressus denudatos humeros suos crudeli flagellatione diu percussit, ut narrat in ejus vita P. Bartoli *libr.* 2. *num.* 44. & repetit idem Gobatus *d. tract.* 7. *num.* 763. referens harum causarum auctores, inter quos Bonacinam *de Pœnitent. disp.* 5. *quæst.* 5. §. 3. *punct.* 2. *num.* 18. Quibus addendi sunt Suarez *disp.* 38. *sect.* 10. Navarrus *in Man. cap.* 16. *num.* 21. Toletus *libr.* 3. *cap.* 11. & Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 10. *à num.* 44. usque *ad* 47. ubi prudenter advertunt; quòd quando Confessarius minuit satisfactionem ex aliqua supradictarum causarum, debet monere Pœnitentem, ut sciat, pœnitentiam non esse commensuratam suis peccatis; & ideò remanere obligatum, ad bona opera, vel pœnalitates, aut Indulgenitas sponte assumendas pro complemento debitæ satisfactionis.

Quo ad Quartum; in quo exquiritur, *Quo*
20 *tempore, & in quo statu à Pœnitente sit exequenda Pœnitentia Sacramentalis?* duo sunt in eodem quæsito collecta, *Tempus* & *Status* pœnitentis. Circa tempus omnes DD. conveniunt, quòd quando tempus præstitutum est à Confessario, tenetur pœnitens eam implere intra illud tempus; ut si dixerit *in toto currenti mense jejuna sextis fériis*; vel ordinaverit ita: *singulis diebus recita Litanias Deiparæ*; adeò ut si pœnitens omiserit intra hoc tempus exequi opera præscripta, peccet mortaliter; nisi opus omissum sit leve, vel brevis dilatio, & interruptio, vel causa aliqua legitima eum excuset arbitrio prudentis viri, attentis circumstantiis rerum, personarum, & occasionum. Palaus *d. tract.* 23. *disp. Unica, punct.* 21. §. 4. *num.* 12. Bonacina *disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 3. *punct.* 4. *num.* 6. Salmanticenses, alios allegantes *d. tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 63. nec non Gobatus *d. tract.* 7. *num.* 766. inquiens, attendendam esse intentionem Confessarii, & subdens: *Si nactus es rigidum, cave tibi, & time; si benignum, cave etiam, sed ne facilè timeas noxam lethalem.* His consentit Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp.* 22. *num.* 268. reddens rationem, quia *Sacerdos in partem pœnitentiæ videtur alligare tempus, exigens obedientiam à pœnitente, qui acceptans, manet ligatus ad opus, & ad tempus; ideòque sicut mutans opus non obediret, ita mutans tempus, quòd ingreditur ligamen jam factum.* At si Confessarius nullum præscripsit tempus, discordant DD. circa dilationem pœnitentiæ; nam eam posse differri per integrum annum plures docent apud Dianam *part.* 2. *tract.* 15. *resol.* 53. in fine: & *part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 15. nec non *part.* 10. *tract.* 12. *resol.* 52. Quæ in Coordinato sunt *tom.* 1. *tract.* 6. *resol.* 44. *resol.* 45. & *resol.* 46. Displicet autem hæc dilatio Averlæ *quæst.* 13. *sect.* 6. & Tamburino *de Exped. Confess. lib.* 4. *cap.* 2. §. 2. *n.* 9. quia est gravis inobedientia, frustrans, ut plurimùm, fructum pœnitentiæ, quæ solet etiam medicinaliter dari ad impedienda peccata in futurum; qua propter pendet decisio ab arbitrio boni viri, & à circumstantiis; nam si ex sola desidia, vel negligentia sit dilata, erit quidem mortale; secùs si ex aliquo justo impedimento. Gobatus *d. tract.* 7. *num.* 766. & Salmanticenses *d. cap.* 10. *num.* 65. admonentes, quod licèt pœnitentia, *puta jejunium*, sit affixa certo diei; si eo transacto non jejunavit, tenetur jejunare, ac supplere; quamvis contrarium practicetur in jejuniis de Præcepto. Ita Suarez *disp.* 38. *sect.* 7. *num.* 6. Bonacina *d. disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 3. *punct.* 4. & alii. Ratio est, nam Ecclesia in diebus jejunii de præcepto decernit illum diem pro jejunio; sed Confessarius præcipit jejunium eo die ad satisfaciendum pro peccatis; & sic remanet obligatio satisfaciendi etiam eo die transacto, si fuit omissum jejunium. Tandem quod dicitur de tempore, cui alligata est satisfactio imposita Pœnitenti per Confessarium, idem intelligitur de aliis circumstantiis, concomitantibus ex præcepto Confessarii eandem satisfactionem; puta recitandi Rosarium genibus flexis, vel in tali Ecclesia, vel coram Imagine Deiparæ, vel ante prandium; & ideò eas omittens non satisfacit, nisi excuset levitas circumstantiæ; quando enim est gravis, transit in substantiam operis injuncti. Eminentiss. Card. de Lugo *disp.* 25. *num.* 9. Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp.* 22. *num.* 272. iidem Salmanticenses *d. cap.* 10. *num.* 68.

Circa verò statum, in quo Pœnitens esse de-
21 bet, dum adimplet Pœnitentiam, variæ sunt DD. opiniones. Alii dicunt, quòd si non est in gratia, & relapsus est in mortale, eam adimplendo peccat mortaliter, non satisfacit, & tenetur illam repetere, DD. apud Barbosam *in Collect. ad Concilium Trid. sess.* 13. *cap.* 8. *num.* 6. Alii volunt, peccare tantùm venialiter ob irreverentiam erga Sacramentum, cujus pars est ipsa satisfactio, quam extra statum gratiæ exequitur, sed satisfacere; nec teneri ad eam repetendam, Diana DD. cumulans *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 241. Quæ in Coordinato est *tom.* 1. *tract.* 6. *resol.* 37. Alii docent, neque venialiter peccare satisfacientem suæ pœnitentiæ in statu peccati mortalis, sed per illam non consequi augmentum gratiæ, attento obice, quod ponit; sed solummodò obtinere remissionem pœnæ temporalis; ea ratione quia si inimicus Principi solvat eidem, quod debet, valet solutio, & deletur debitum, pro quo solvit. Ita Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp.* 22. *num.* 178. & ante illum Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disput.* 25. *sect.* 3. Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 10. *n.* 70. nec non Gobatus *d. tract.* 7. *n.* 770. qui *num.* 772.

hæc adjungit: *liber eris onere recitandorum trium Rosariorum, injunctorum tibi à tuo Confessario, si illa recites ex mera devotione: aut ideò quòd sis membrum Confraternitatis Rosarii; esto, dum evolvis globos Virgineos, expressè dicas: volo hoc psalterium hodie recitare, quia sum sodalis Congregationis.* Nam executio operis satisfacit etiam sine intentione satisfaciendi. Secùs autem si illud opus exequaris tanquam debitum ex Voto. Gobatus *ibid. num.* 773. Et idem si aliàs de Præcepto, ut antea scripserat *num.* 748. & 749.

22 Quo ad Ultimum: Quærenti *An satisfactio per Confessarium injuncta possit commutari? & à quo?* In primis est advertendum inter cæteras Propositiones damnatas ab Alexandro VII. *die* 24. *Septembris* 1665. hanc *num.* 28. reperiri: *Pœnitens propria auctoritate substituere alium potest, qui loco ipsius Pœnitentiam adimpleat.* Ergo ipse Pœnitens non potest aliquam mutationem circa sibi injunctam pœnitentiam facere, sivè ratione impotentiæ, sivè ratione impotentiæ, sivè ratione melioris boni, sivè etiam gravioris pœnæ; non enim habet auctoritatem in Claves Ecclesiæ; & acceptando pœnitentiam à Confessario, contractum fecit cum illo, à quo non potest resilire; operaque alia non essent pars Sacramenti, nec satisfacerent ex opere operato; ut rectè differit Eminentiss Card. de Lauræa *d. disp.* 22. *à num.* 220. *& seq.* Eminentiss. Catdin. de Lugo *d. disp.* 25. *sect.* 6. *à num.* 96. Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 76. & Gobatus *d. tract.* 7. *num* 774. ubi ait cavendum à Diana contrarium innuente *part.* 11. *tract.* 7. *resol.* 3. Quæ in Coordinato reperitur *tom.* 1. *tract.* 6. *resol.* 31. Idem verò Confessarius ex causa potest eam commutare, non repetita Confessione, si de priori memoriam saltem in confuso habeat. Gobatus *ibid. num.* 775. Non etiam alter, seu diversus Confessarius, nisi coram eodem priorem Confessionem pœnitens faciat, & justam causam alleget commutandæ pœnitentiæ; tunc enim poterit eam commutare. Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp.* 25. *sect. ult.* Gobatus *d. tract.* 7. *num.* 776. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 22. §. 3. *à num.* 248. ubi *num.* 252. rectè advertit, excipiendum esse, si prior pœnitentia fuisset injuncta pro reservatis; secundus autem Confessarius non haberet auctoritatem absolvendi ab illis, nam tunc ex defectu jurisdictionis neque priorem satisfactionem posset commutare. Quare cavendum est à DD. dicentibus, quemcumque alium Confessarium, etiam non audita præcedenti Confessione posse pœnitentiam commutare, quos cumulat Diana *part.* 2. *tract.* 15. *resol.* 53. existente in Coordinato *tom.* 1. *tract.* 6. *resol.* 25. & præcipuè ab aliis, qui extendunt hanc facultatem, ubi prior pœnitentia injuncta fuisset pro reservatis; quibus videntur adhærere Salmaticen. *d. tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 73. Sed minus probabiliter, & in hoc minimè admittendi, prout nec in illa assertione, quod diversus Confessarius possit commutare, non audita præcedenti Confessione; quam opinionem proscribit etiam Palaus *d. tract.* 23. *disp. Unic.* §. *ultim. num.* 13. & ex antiquis Sotus *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 2. *art.* 3. *in fine*, & Sylvest. *Verb. Confessor.* 1. *quæst.* 27.

Tandem notandæ sunt duæ causæ excusantes ab adimplemento Pœnitentiæ. *Una* est impotentia Physica; ut si pœnitens deberet jejunare, vel dare eleemosynam, & esset oppressus infirmitate, vel paupertate; at hac causa cessante, teneretur illam adimplere. Aversa *quæst.* 13. *sect.* 6. Salmanticenses *d. cap.* 10. *num.* 81. Altera est in casu impotentiæ moralis, ut si superior, vel Maritus prohibeat exequi peregrinationem, vel eleemosynas. Palaus *d.* §. *ult. num.* 17. vel pœnitens sit omninò oblitus eandem pœnitentiam; idest crediderit, eam feciſſe; nam sciens, non esse executum, & non recordans qualis fuerit, tenetur adire primum, vel alterum Confessarium, repetere præcedentem Confessionem, & obtinere novam satisfactionem. Bonacina *de Pœnitent. disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 3. *punct.* 3. *num.* 9.

DECISIO XXXV.

ARGUMENTUM.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est absolutio à peccatis, exactissimè explicatur. Plures quæstiones curiosæ, ac utiles circa illam resolvuntur. Quomodo peccata aliàs confessa, & dimissa in nova Confessione iterùm dimittantur, subtiliter examinatur, ac ostenditur. Mutatio formæ hujus Sacramenti an licitè, & validè fieri possit? An liceat absolvere a peccatis sub conditione? Bulla Clementis Papæ VIII. de confitente per litteras, & absente non absolvendo, interpretata, ac declarata.

SUMMARIUM.

1 *Forma Sacramenti Pœnitentiæ quænam sit?*
2 *An proferri possit nutibus, signis, vel scriptura?*
3 *Verba, In Nomine Patris, &c. an sint de ejus essentia?*
4 *Verba, Misereatur, &c. ac aliæ preces ante, & post formam absolutionis an possint omitti?*
5 *Censurarum absolutio in Confessionibus an omitti possit?*
6 *Crucis signum faciendum in absolutione à peccatis.*
7 *Formæ absolutionis Sacramentalis sensus, & effectus.*
8 *Peccata jam confessa, & dimissa quomodo iterùm dimittantur in nova Confessione?*
9 *Sententiæ plures super eodem delicto pronunciari possunt.*
10 *Cecilianus Episcopus Carthaginis, & S. Athanasius pluries absoluti à calumniis hæreticorum.*
11 *Mutatio Verborum Formæ Sacramenti Pœnitentiæ an licitè, & validè fieri possit?*
12 *Absolutio Sacramentalis sub conditione an valida?*
13 *Absenti absolutio Sacramentalis an possit impertiri? & num.* 17.
14 *Clementis VIII. prohibitio de absente Sacramentaliter non absolvendo.*
15 *Bulla Clementis VIII. an conjunctivè, vel disjunctivè, intelligenda?*
16 *Absolutio dari potest pœnitenti præsenti à peccatis per litteram manifestatis.*
17 *Casus duo curiosi circa absolutionem non datam ex oblivione.*
18 *Moralis præsentia sufficit ad absolvendum pœnitentem.*
19 *Absolutio à Censuris etiam absenti datur.*

IN

IN Sacramento Pœnitentiæ ad ejus essentiam, sicut in quocunque alio, requiritur *Materia*, & *Forma*. Hucusque actum est de Materia, tam *remota*, quæ est peccatum actuale commissum post Baptismum; quàm de *proxima*, consistente in illis tribus actibus pœnitentis, qui vocantur *Contritio*, *Confessio*, & *Satisfactio*; ut docuimus supra *Decis. XIII. num.* 1. ubi *num.* 3. addidimus, eandem materiam vel esse *necessariam*, nempè peccatum mortale, de quo nulla fuit facta Sacramentalis Confessio; vel esse *sufficientem*, scilicet peccatum veniale, aut etiam mortale, quod alia vice pœnitens ritè, ac rectè confessus fuit, juxta *Extravag. Inter cunctas.* §. *Cæterum. de Privilegiis.* Igitur, completa tractatione Materiæ, devenire debemus ad explicandam Formam, circa quam in præsenti Decisione videbimus.

Primò: Quænam sit Forma Sacramenti Pœnitentiæ.
Secundò: Quinam sit sensus, seu effectus ejusdem formæ.
Tertiò: An sit licita mutatio Verborum formæ.
Quartò: An forma sit valida sub conditione.
Quintò: An absolutio Sacramentalis validè dari possit absenti.

Quo ad Primum. Forma Sacramenti Pœnitentiæ est: *Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine* 1 *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Sed circa essentiam omnium horum verborum variæ sunt Theologorum opiniones. Alii dicunt ea omnia esse de essentia. Ita Durandus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 2. Alii, quòd illa verba *In nomine Patris, &c.* non sunt necessaria. Ita Gabriel *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 2. Alii, quòd hæc sunt merè essentialia: *Absolvo te à peccatis tuis.* Ita Major *in* 4. *dist.* 14. *q.* 2. Alii, satis esse dicere *Absolvo te.* Suarez *disp.* 19. *sect.* 1. relatis pluribus DD. *num.* 21. Alii de essentia esse etiam illa verba *à peccatis tuis.* Paludanus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 3. & Petrus de Soto *sect.* 4. *de Confess.* quas omnes opiniones referunt Salmanticenses *de Sacram. in genere, tract.* 6. *cap.* 3. *punct.* 1. Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa *disp.* 17. *num.* 80.

Ex his colligere debemus: Primò, quòd forma Sacramenti Pœnitentiæ necessariò, & essentialiter 2 consistit in verbis; ideò neque nutu, neq; signis, neq; scriptura exprimi potest; sicut nec in Baptismo, nec in consecratione Eucharistiæ, & aliorum Sacramentorum, excepto Matrimonio; & hoc ex Christi voluntate, ac institutione, ex praxi Ecclesiæ, Conciliorumque auctoritate, & præcipuè Tridentini *sess.* 14. *cap.* 3. S. Thom. 3. *part. qu.* 84. *art.* 3. *ad* 3. Scoti *in* 4. *dist.* 14. *qu.* 4. *A.* & *dist.* 16. *q.* 1. *E.* quem citat, & sequitur Emin. Catd. de Lauræa *disp.* 17. *art.* 4. & alii plurimi apud Salmaticenses *d. tract.* 6. *cap.* 3. *punct.* 5. *num.* 30. & 31. Non me latet, contrarium esse opinatum Joannem Pontium apud Dianam *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 14. Quæ in Coordinato est *tom.* 1. *tract.* 4. *resolut.* 16. Sed eum confutat Gobatus *tract.* 7. *n.* 166. Secundò colligere debemus, quòd strictè loquendo prædicta Forma simplicliter, & essentialiter consistit in his duobus verbis: *Absolvo te*, ut pluribus argumentis probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 17. *art.* 5. & præcipuè, quia Sacramentum Pœnitentiæ exercetur per viam Judicii; sed Judiciales Sententiæ possunt proferri dicendo tantùm *Condemno te*; Vel *Absolvo te*: & hoc idem testatur caterva Scholasticorum, ac Moralistarum, quos citant, & laudant Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 1. Tertiò colligere debemus, quòd illa Verba *à peccatis tuis*, etsi rigorosè tenendo, si omitterentur, non destruerent Formam, tamen nunquam sunt omittenda, quia sic majori cum certitudine datur absolutio; nam non videtur improbabilis sententia Durandi, Gabrielis, & aliorum dicentium, ea esse de essentia. Salmanticen. *ibid. num.* 2. Quartò colligere debemus; 3 quod verba, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* non sunt de essentia Formæ, quia à Christo non sunt ordinata, prout ea ordinavit in Baptismo. S. Thom. 3. *p. q.* 84. *art.* 3. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 17. *à num.* 85. *& seqq.* Nihilominùs absque urgenti causa non sunt omittenda sub pœna peccati venialis. Bonacina *disp.* 5. *q.* 4. *punct.* 1. etsi, secluso contemptu, neque veniale committi, si omittantur, tenent Valentia *disp.* 7. *qu.* 1. *punct.* 3. Sotus, Leander, & alii apud Salmanticenses *ubi supr. num.* 3. Quintò tandem debemus colligere, quòd preces antecedentes, ac subsequentes ipsam Formam, nempè *Misereatur tui, &c. Indulgentiam, absolutionem, &c.* 4 *Dominus noster Jesus Christus, &c.* Item *Passio Domini Nostri Jesu Christi, &c.* possunt pro libito Sacerdotis prætermitti, imò expedit, ea prætermittere in brevibus Confessionibus illorum, qui frequenter confitentur; & in longioribus, quando multi adsunt Pœnitentes. Sà *Verb. Absolutio num.* 1. Eminentiss. Cardin. de Lugo *disp.* 13. *num.* 9. Tamburin. *de Exped. Confess lib.* 3. *cap.* 1. & Gobatus *d. tract.* 7. *à n.* 160. *& seqq.* ubi tria notatu digna scribit: Unum *num.* 162. quòd ipse, discedente pœnitente absoluto Forma brevi, addit precatiunculam *Passio Domini Nostri, &c.* sequutus opinionem illorum, qui per eam putant omnia bona opera secutura pœnitentis elevari ad satisfactionem Sacramentalem, ut diximus supra *Decis. XXXIV. n.* 18. Alterum, quòd innoxiè potest 5 omitti cum Laicis absolutio ab excommunicatus ante absolutionem à peccatis, quia ipsi ferè unquam eam incurrunt, nisi in gravioribus casibus ipso jure, ut in percussione Clerici, vel Laici in loco sacro, & similibus. Ego tamen brevioribus confessionibus ad cautelam dico, *absolvo te à Censuris, & à peccatis tuis. In nomine Patris, &c.* Quòd si Laicus esset excommunicatus, dum confitetur, & Sacerdos omitteret eum priùs absolvere à censura, quàm à peccatis, valeret absolutio à peccatis, si pœnitens ignoraret se esse excommunicatum, ut diximus, supra *Decis. XXXI. num.* 9. & 10. quia excommunicatus est incapax Sacramentorum solum modò, dum scit, & retinet affectum ad ipsa peccata. Ita Gobatus *d. tract.* 7. *num.* 164. *& num.* 168. & ibi Navarrus *in Summ. cap.* 9. *n.* 3. & Suarez *de pœnit. disp.* 31. Tertium dictum Gobati notabile est *num.* 165. quòd in Germania Confessarii detecto capite absolvunt Pœnitentes; at hoc non servatur in Italia; ideò quisque sequi potest usum suæ regionis; prout etiam alium usum imponendi manus super caput pœnitentium, quod ab aula recessit. Porrò signum Crucis in danda absolutione esse 6 omniò faciendum, quia omnia Sacramenta cum eo administrantur, ait Layman *libr.* 5 *tract.* 6. *cap.* 3. *n.* 8.

Quo ad secundum; in quo quæritur: *Quinam sit sensus, seu effectus ejusdem formæ*: Circa hoc 7 quæsitum plures sunt responsiones, quæ dantur à Scholasticis, relatæ ab Eminentiss. Cardin. de

Lauræa *d. disp.* 17. *num.* 140. videlicet, *vel* quòd Sacerdos per verba Formæ Sacramenti Pœnitentiæ declarat pœnitentem esse à Deo absolutum à peccatis; sicut Sacerdotes Aaronici declarabant, leprosos esse liberatos à Deo à lepra; & ita sentit Magister Sententiarum *in* 4. *dist.* 18. *c.* 6. quem reprobant tam Scotistæ, quàm Thomistæ ejus discipuli. *Vel* quòd Sacerdos liberat pœnitentem à peccatis, si accedit cum attritione; vel ab obligatione ea ampliùs subdendi clavibus, si cum contritione. *Vel* quòd eum liberat à pœna æterna; quia si est contritus, Deus liberavit eum à culpa. Alii dicunt, quòd significat liberationem à pœna temporali; *vel* quòd demonstratur ministerium Sacerdotis vice Dei liberantis pœnitentem à culpa, à pœna æterna, & in parte à pœna temporali; & alii alia.

Pro clara intelligentia hujus quæsiti satis difficilis, tres casus sunt distinguendi. Primus est, quando pœnitens habens mortalia accedit cum attritione ad Confessionem, & ea confitetur. In hoc casu dum Sacerdos eum absolvit; sensus verborum formæ, & eorum effectus est, quòd Sacerdos solvit pœnitentem à peccatis: & illa ei remittit, non principaliter, sed ministerialiter, idest tanquam minister, ac judex delegatus à Deo; ideoque ipse Sacerdos vi clavium, & per verba formæ Sacramentalis delet culpam, commutat pœnam æternam in temporalem; concedit pœnitenti gratiam sanctificantem, & delet partem pœnæ temporalis, Ita S. Thomas 3. *p. q.* 86. *art.* 6. & colligitur ex Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 3. *& seqq.* quod latè probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 17. *art.* 7. *& disp.* 18. *art.* 10. 11. *&* 12. & Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 2. *n.* 12. Secundus casus est, quando Pœnitens habens mortalia est verè contritus, & cum ipsa contritione accedit ad Confessionem, & confitetur peccata. In hoc casu, etsi jam culpa fuerit deleta, & gratia infusa; nihilominùs quia id concessum fuit pœnitenti ob votum Sactamenti pœnitentiæ, verba formæ significant, quòd Sacerdos virtute earundem clavium absolvit ipsum pœnitentem à peccatis, quorum remissionem meruerat per contritionem antecedentem; auget novum gradum gratiæ sanctificantis in ipso; & partem pœnæ temporalis delet. Idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa *disp.* 8. *art.* 13. *sub num.* 150. Tertius casus est, quando Pœnitens accedens ad Confessionem non habet alia peccata sivè mortalia, sivè venialia nisi aliàs ab eo confessa, & per Sacramentalem absolutionem dimissa, & iterum illa confitetur; & ab jisdem iterùm Sacerdos pœnitentem absolvit. In hoc casu dubitatur, quomodo vera sit forma Sacramenti, *Ego absolvo te à peccatis*; si peccata jam dimissa non sunt ampliùs
8 peccata; & ubi nullum est peccatum, nulla possit esse absolutio. Iste casus difficilis adeò est, ut DD. in ejus responsione obscurè loquantur, & non satisfaciant intellectui legentium. Gobatus *d. tract.* 7. *num.* 170. ait, hunc esse sensum formæ absolutionis: *Ego hac mea judiciali sententia confero tibi, si capax es, gratiam Divinam, quæ, quantum ex se est, vim habet dimittendi peccata quo ad culpam, & pœnam.* Suarez *de Pœnitent. disp.* 19. *sect.* 2. *num.* 20. ait: In hoc casu formam significare efficaciam absolutionis à peccatis, *quantum est in se, non in actu signato, sed in actu exercito.* Pariter Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 7. respondent his verbis: *Quando ideo non remittuntur peccata, quia supponuntur remissa, satis est ad hoc, ut remitti verificetur, quòd quantum est ex se, tum Sacramentum, tum minister, tum gratia Sacramenti remittant peccata, licet de facto per accidens non remittantur. Quemadmodum verba voti in renovatione, etiamsi explicentur per verba: obligo me ad faciendum hoc, aut illud, vera sunt, quamvis de facto de novo non inducant obligationem, quæ jam præsupponitur per aliud prius votum inducta.* Ecce obscuræ responsiones, quæ non satisfaciunt; nec dant intelligere, quomodo sicut ille, qui semel solutus fuit à vinculis corporeis, iterùm accedens non potest cum veritate dicere, *absolve me à vinculis*, si vincula non habet: nec alius verè dicit, *Solvo te*, si vincula non habeat, à quibus egeat ut solvatur; quomodo, inquam, qui jam fuit absolutus à peccatis, iterùm absolvatur ab illis?

Cæterùm, veritas est, quòd Sacerdos absolvens pœnitentem confitentem peccata jam dimissa, verè 9
eum absolvit. Pro intelligentia sciendum est id, quod docet Eminentiss. Cardin. de Lauræa *disp.* 17. *art.* 3. dum quærit: *Quomodo peccatum jam dimissum possit esse denuò materia circa quam in alio Sacramento Pœnitentiæ*; videlicet quòd in materiis judicialibus delicta, ex electione Rei, possunt subesse pluribus sententiis, sivè facta nova perquisitione in causa, sivè facta nova confessione, aut instantia ab ipsomet Reo. Plura in Historiis de hoc habentur testimonia; nam, ut hæc pauca in 10
medium afferam, Cecilianus Episcopus Carthaginensis, falsò calumniatus, & injustè condemnatus à Donatistis, appellavit ad Melchiadem Papam, coram quo causam suam disputavit, & sententiam absolutionis obtinuit, ut refert Spondan. *ad Annum Christi* 313. *num.* 5. *&* 7. At iterùm exagitatus super eadem causa in Concilio Arelatensi, iterùm ab eodem fuit absolutus. Idem Spondan. *Anno* 314. *num.* 4. *&* 7. Eodem modo S. Athanasius variis calumniis ab Arianis impetitus causam suam agit Romæ coram Julio Papa, à quo absolvitur. Spondan. *Anno* 341. *num.* 13. Sed iterùm provocatus ab Hæreticis super jisdem calumniis in Concilio Sardicensi, novam absolutionis sententiam reportat, & Sedi suæ restituitur. Idem Spondanus *ad Annum Christi* 347. *num.* 7. Igitur cùm Sacramentum Pœnitentiæ sit institutum per modum judicii, nihil prohibet, quòd homo Christianus pluribus vicibus absolvatur ab jisdem peccatis, quamvis antea confessis, ac dimissis; siquidem peccata sunt materia remota hujus Sacramenti; proxima verò sunt actus pœnitentis, idest cordis contritio, oris confessio, ac operis satisfactio; & quotiescunque exhibetur materia proxima, & applicatur forma, conficitur Sacramentum; quamvis materia remota, quæ est objectum Sacramenti, aliàs fuerit exhibita, ut patet de aqua in Baptismate, & de oleo in Extrema Unctione: utrumque enim applicari pluries potest ad faciendum Sacramentum. Idcircò exhibente homine fidele materiam tum remotam, quæ est accusatio peccatorum antea dimissorum, tum proximam, quæ consistit in novo dolore, & nova Confessione, Sacerdos validè applicat formam, dicendo: *Ego te absolvo à peccatis tuis*; & hæc forma operatur effectum Sacramenti, quia licèt non dimittat culpam, quæ non reperitur, (cùm fuerit remissa in priori Confessione) tamen auget novos gradus gratiæ sanctificantis, ac delet aliquam partem pœnæ temporalis, ut latiùs demonstrant

idem

idem Eminentiſs. Cardin. de Lauræa *d. diſp.* 17. *art.* 3. Eminentiſs. Cardin. de Lugo *diſp.* 13. *ſect.* 3. *num.* 73. & Maſtrius *in* 4. *Sent. diſp.* 5. *q.* 12. *art.* 1. qui exemplificant, accomparant abſolutionem Sacramentalem reiteratæ promiſſioni, quam facit creditor debitori, de eo amplius non moleſtando circa debitum, quod habebat. Nec currit ſimilitudo de ſoluto à catenis corporeis, qui ab eis ampliùs ſolvi non poteſt; nam differunt Phyſica à Moralibus. Poſſunt itaque pluries abſolvi homines à peccatis, ut probat uſus Eccleſiæ; & docuit Benedictus XI. *in Extravag.* 1. *de Privileg.* quia datur ſemper infuſio novæ gratiæ, & deletio partis pœnarum.

Quo ad Tertium Quæſitum: *An ſit licita mu-*
11 *tatio Verborum Formæ*, Reſponſio generalis eſt, nulli licitum eſſe mutare Formam ſupradictam abſolutionis Sacramentalis; & ſi aliter fiat, peccatum erit mortale; quilibet enim tenetur ſervare ritum Eccleſiæ in formis Sacramentorum. Scotus *in* 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 4. Eminentiſs. Card. de Lauræa *d. diſp.* 17. *num.* 139. Salmanticenſes allegantes alios DD. *d. tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 13. Porrò dari poſſunt mutationes, quæ quamvis illicitæ, tamen eſſent validæ in forma hujus Sacramenti; & ſunt ſequentes: 1. Si Confeſſarius dicat dignitatis ſuæ gratia: *Nos abſolvimus te à peccatis tuis, &c.* Vel ob dignitatem Pœnitentis: *Abſolvo Veſtram Dominationem, Veſtram Excellentiam, Veſtram Eminentiam, Veſtram Majeſtatem.* 2. Si non activè, ſed paſſivè loquantur, nempè *Tu abſolveris à peccatis tuis, &c.* 3. Si utatur modo imperativo: *Abſolvaris à me*; ſivè *Jubeo te abſolvi.* 4. Si dicat, *Remittuntur tibi peccata tua.* 5. E contra invalida erit abſolutio, ſi dicatur *Utinam abſolvaris*, vel *abſolvat te Deus*, quia cùm hoc Sacramentum ſit inſtitutum à Chriſto per actum judiciarium, non eſt utendum verbis deprecativis, ſed jurisdictionalibus. S. Thomas *Opuſc.* 15. Neque obſtat, quòd in extrema Unctione remittantur peccata per illa verba deprecatoria, *Indulgeat tibi Dominus*, quia Sacramentum illud non fuit inſtitutum in forma judicii. Ita Eminentiſs. Cardin. de Lauræa *d. diſp.* 17. *art.* 5. *&* *art.* 8. Eminentiſs. Cardin. de Lugo *diſp.* 13. *ſect.* 6. Salmanticenſ. *d. tract.* 6. *cap.* 3. *punct.* 2. ubi *num.* 20. notant, ſemper eſſe peccatum mortale uti verbis dubiis in abſolutione; idemque docet Bonacina *diſp.* 5. *quæſt.* 4. *punct.* 2. *num.* 11. & ibi alii multi.

Quo ad Quartum: *An forma ſit valida ſub con-*
12 *ditione*; Ad hoc quæſitum quatuor dantur reſponſiones. Prima eſt: Conditio impoſſibilis adjecta abſolutioni facit eam irritam, & invalidam, ut *Si ſum omnipotens, abſolvo te*: *Si campanilis ſe curvaverit, te abſolvo.* Ratio eſt, quia hæc impoſſibilitas denotat, non eſſe intentionem abſolvendi in abſolvente; ſicut ait Juſtinianus de Conditione impoſſibili in ſtipulante, quæ vitiat ſtipulationem. *Inſtit. libr.* 3. *tit.* 19. §. *Si impoſſibilis. XI.* & ibi Pacius *in Analyſi.* Secunda reſponſio eſt: Conditio de futuro adjecta abſolutioni eam nullam reddit; ut ſi dicatur; *Ego te abſolvo, ſi cras reſtitueris centum*; Vel, *ſi intra menſem ingreſſus fueris Religionem*; quia nullum Sacramentum poteſt dari ſub conditione de futuro, neque ejus effectus in ſuſpenſo valet remanere usque ad impletam conditionem; ſiquidem ante conditionis implementum Sacramentum non ponitur in eſſe, quoniam deeſt intentio Miniſtri, ſine qua non fit Sacramentum; & multò minùs ponitur in eſſe poſt impletam conditionem; quia tunc neque exiſtit forma, neque materia, ſine quibus non poteſt conſtare Sacramentum. Salmaticenſes *de Sacramentis in genere, tract.* 1. *cap.* 7. *punct.* 6. & *d. tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 23. ubi concordantes citantur; cum quibus ſentit Eminentiſs. Cardin. de Lauræa *d. diſput.* 17. *n.* 236. *& ſeqq.* Tertia reſponſio eſt: Conditio de præterito contingenti reddit invalidam formam abſolutionis; ut ſi diceret: *Abſolvo te, ſi Princeps dormivit*; vel, *Si pater tuus heri non peccavit*; aut, *Si Dux Moſcoviæ Anno præterito jejunavit.* Ita Eminentiſs. Cardin. de Lauræa *ead. diſput.* 17. *n.* 247. *& ſeqq.* ob plures rationes, quas ibi conſiderat, ſed præcipuè quia verba formæ Sacramentorum debent immediatè cauſare id, quod ſignificant. Sed verba abſolutionis cum conditione de re præterita contingenti non poſſunt cauſare ſuum effectum ob incertitudinem, & contingentiam illius conditionis. Ergo reddit formam invalidam. Quarta tandem reſponſio eſt: Conditio de præſenti poſita in forma abſolutionis, ſi in ſe vera ſit, prout à Confeſſario ponitur, non officit validitati Sacramenti, & ipſa abſolutio eſt valida; ſiquidem neque ſuſpendit ſenſum, neque efficit aliud, quod obſtare poſſit valori abſolutionis. Idcircò ſi Confeſſarius rationabiliter dubitat, an abſolvendus ſit bene diſpoſitus quoad dolorem, propoſitum, ac integritatem; vel ſit præditus ſufficienti uſu rationis ad peccandum; vel an ea, quæ pœnitens confeſſus eſt, ſint peccata, poteſt abſolvere cum conditione, ſi capax es: aut ſi ego poſſum. Bonacina *d. diſp.* 5. *quæſt.* 4. *punct.* 3. *n.* 1. Eminentiſs. Cardin. de Lugo *diſp.* 13. *n.* 107. Salmanticenſes *eod. tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 21. & 22. atque Gobatus *d. tract.* 7. *num.* 268. *& ſeqq.* ubi *num.* 271. ulteriùs advertit, bene quidem eſſe, ſi dicta conditio verbis exprimatur; at in rigore ſufficere, ſi ſola mente retineatur, & non ſolùm explicitè, ſed etiam implicitè, ac virtualiter; ex illo principio, quòd omnis Sacerdos timoratus, dum incipit excipere Confeſſiones, virtualiter intendit tale munus exequi juxta inſtitutionem Chriſti, & permiſſionem Eccleſiæ; & per conſequens cùm in prædictis caſibus conditio de præſenti ſit juxta Chriſti inſtitutionem, ac Eccleſiæ intentionem, cenſetur virtualiter, & implicitè, dum abſolvit, abſolvere cum conditione, *Si tu es capax*; vel, *ſi ego validè poſſum*; quod notatu dignum eſſe ait Gobatus *num.* 272. ad tollendos ſcrupulos. Concordant DD. apud Dianam *part.* 10. *tract.* 11. *reſol.* 55. Quæ in Coordinato reperitur *tom.* 1. *tract.* 4. *reſol.* 23.

Quo ad Ultimum, in quo petitur, *An abſolu-*
tio Sacramentalis validè dari poſſit abſenti; Reſpon- 13
detur negativè; tum ex intentione Chriſti Domini, qui ſic inſtituit hoc Sacramentum, ut coram Sacerdote acculatentur peccata à pœnitente; & eidem præſenti per ipſum abſolutio daretur, ut denotant illæ particulæ, *Te abſolvo*, quæ innuunt utriusque præſentiam; & teſtatur praxis univerſalis, ac inveterata Eccleſiæ; Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 9. Eminentiſs. Cardin. de Lugo *diſp.* 13. *ſect.* 6. & Bonacina *diſp.* 5. *q.* 4. *punct.* 5. ubi alios refert; & Gobatus *d. tract.* 7. *num.* 287. tum ex *Bulla* 87. Clementis VIII. edita *die* 20. *Junii Anno* 1602. in qua hanc propoſitionem: *Licere per litteras, ſivè per internunciam* 14

Confessario absenti Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere; ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam damnavit, ac prohibuit: præcepitque sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, sibique reservata: *Ne deinceps ista Propositio publicis, privatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neve unquam, tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.* Ex quibus deducitur, quòd in nullo casu licitè, aut validè dari potest absolutio Sacramentalis pœnitenti absenti.

Sed quoniam supra in *Decis. XV. num.* 26. dictum est, secundum DD. ibi citatos, supradictam
15 Bullam prohibitivam esse intelligendam *conjunctivè*, non autem *disjunctivè*; itaut nulla sit Confessio facta per litteras Confessario absenti; & absolutio sit invalida transmissa per litteras ab eodem Confessario absente; concurrente simul, ac *conjunctim* absentia pœnitentis, & absentia Confessarii absolventis, secus autem dicendum sit, si *disjunctivè* sola Confessio sit facta absenti, seu per litteras; absolutio autem detur à Confessario præsente, & superveniente ubi sit pœnitens, cujus peccata per litteras intellexerat, ut tenet novissimè Mastrius, Theologus non frustra figens pedem in opinionibus, quas amplectitur, *disp. 5. de Pœnit. num.* 473. & 474. & Diana Coordinatus *tom.* 1. *tract.* 3. *resol.* 74. desumpta *ex part.* 11. *tract.* 7. *resol.* 30. hæc, inquam, distinctio videtur pati difficultatem ex his, quæ scribunt Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 3. *n.* 26. videlicet Paulum V. *die* 14. *Julii* 1605. Romæ in Congregatione Sancti Officii declarasse, eam distinctionem non subsistere, & mentem Clementis VIII. fuisse, quòd confessio, & absolutio inter absentes illicita sit, & invalida tam *conjunctivè*, quàm *disjunctivè*.

Nihilominùs, salvo meliori judicio, in disjunctiva acceptione duo casus sunt distinguendi. *Unus,*
16 quando ex urgenti causa per litteras manifestata sunt Confessario absenti peccata; qui eis intellectis se confert ad locum, ubi est ipse pœnitens, qui scripsit, & per nutus, aut aliud signum notum Confessario ratificat accusationem prædictarum suarum culparum; & sic Confessarius præsens impertitur eidem pœnitenti Sacramentalem Confessionem: in hoc casu validam, ac licitam esse absolutionem, & non comprehensum esse hunc casum in prohibitione Clementis VIII. neque in declaratione Pauli V. est dicendum juxta doctrinam Mastrii *in* 4. *disput.* 5. *num.* 473. & 474. ac Dianæ *part.* 11. *tract.* 7. *resol.* 30. Quæ in Coordinato est *tom.* 1. *tract.* 3. *resol.* 74. qui hunc casum accidisse testatur in Anglia, tempore persecutionis Catholicorum; dum eorum unus in odium fidei damnatus ad mortem, & prohibitus coram Sacerdote confiteri peccata sua, ea per litteras manifestavit Confessario, rogavitque sub incognita veste, se constituere penes scalam patibuii, in cujus ascensu patiens, & pœnitens innuisset oculis prædictam suam Confessionem; & ipse Confessarius submissa voce largiretur ei Sacramentalem absolutionem; prout factum fuit. *Alter* casus disjunctivus est, quando Sacerdos audit præsentialiter Confessionem pœnitentis, sed eo inabsoluto discedit; deindè post diversos dies, vel horas, per litteras, vel internuncium, vel etiam ore proprio, sed absens absolvit prædictum pœnitentem à peccatis antea auditis. In hoc casu illicita, & invalida est absolutio, juxta declarationem Pauli V, & de hoc casu se loquuntur Salmanticen. *d. tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 26. & 27. ut desumitur ex eorum verbis, quæ sunt ista: *Illam particulam, Et, non solùm sumendam esse copulativè, sed etiam divisivè; itaut quælibet pars seorsim damnata sit; & ita absolutio collata absenti, sivè Confessio facta sit Sacerdoti præsenti, sivè absenti in nullo casu liceat; ac proindè in nullo casu valida sit.*

Juxta hanc distinctionem reperio respondisse 17
Patrem Gobatum ad sequentes sibi propositos casus. Frobenius excipit Confessionem decumbentis lethaliter in lecto, qui nondum habita absolutione Sacramentali differit de suo testamento. Completo sermone, Confessarius oblitus eum absolvere, discedit; distans per viginti passus ab ædibus decumbentis recordatur non impertitæ absolutionis. Eodem in loco se obvertit versus domum infirmi, & pronunciat formulam absolutionis, dirigens eam mente sua ad infirmum. Requisitus P. Gobatus, an validè fuerit absolutus? respondit *d. tract.* 7. *n.* 284. negativè. Et quidem optimè respondit, quia absolutio data ab absente est invalida juxta supradictam distinctionem circa Bullam Clementinam, & declarationem Pauli V. vetantis dari absolutionem ab absente, etsi præsentialiter Sacerdos audiverit Confessionem. Alter casus P. Gobato propositus fuit: Mulier gravida, communicatura die dominico confitetur in Ecclesia Parocho suo, & inter alia peccata, unum, quod dubitabat esse lethale, enunciavit: at illud mortale esse demonstravit Parochus multis rationibus; quarum causa oblitus absolutionis, statim celebraturus accedit in Sacristiam, deindè ad Altare. In medio Missæ recordatur, se non absolvisse mulierem illam; quam propterea post Sacerdotis communionem, appropinquantem ad Altare, antequam eam communicaret, submissa voce absolvit. Interrogatus P. Gobatus, an validè? respondit *d. tract.* 7. *num.* 292. affirmativè. Ratio fuit, quia præsenti pœnitenti potest impertiri absolutio etiam de peccatis antea auditis, vel manifestatis juxta Doctrinam Mastrii *d. disput.* 5. *num.* 473. & 474. imò idem Gobatus *d. tract.* 7. *num.* 289. & 290. asserit, in casu non datæ absolutionis pœnitenti personaliter confesso, posse eundem absolvi, si obvius venerit, post quinque, aut sex horas; ac etiam post quinque, aut sex dies; quamvis ingenuè fateatur, tutius esse monere pœnitentem de absolutione non data; & hortari, ut genuflectat, & eam accipiat, potissimùm si timor sit, quòd post illam Confessionem lapsus fuerit in aliquod mortale nunc exprimendum. Et hæc omnia esse facienda, cessante omni periculo scandali, aut gravis detrimenti ipsius Confessarii; qui de eo dubitans probabiliter poterit, ut dictum est, obvium suum pœnitentem inabsolutum absolvere; quia satis est ejusdem præsentia. Eminentiss. Cardin. de Lugo *disp.* 22. *num.* 51.

Porrò non ignorandum, non esse necessariam 18
præsentiam physicam, sed sufficere moralem; quam talem esse dicit Bonacina *disput.* 6. *quæst.* 7. *punct.* 6 *num.* 2. *de Pœnitent. Sacramento*, si pœnitens à Confessario videri possit, vel non distet ultra viginti passus; quæ assertio non placet Tamburino *de Sacramento Pœnitentiæ libr.* 5. *cap.* 2. *num.* 11. dicens, requiri, quod pœnitens possit audire Confes-

fessarium loquentem communi voce, seu aliquantulum altiore. Utramque tamen opinionem approbat Gobatus *d. tract. 7. num. 288.* docens, quid agendum, quando pœnitens confessus, & recepta pœnitentia, dum Sacerdos incipit pro eo absolvendo *Misereatur tui, &c.* velociter discedit à sede Confessionali, (ut sæpè faciunt rudes, seu rustici homines) & ab Ecclesia egreditur? Convenit in hoc casu cum alta voce revocare, ut genuflectat imponere, & sic genuflexum ad pedes Confessarii absolvere. Sed si Confessarius stipatus sit magna pœnitentium caterva? Tunc juxta Bonacinam, si nondum se absentavit ultra viginti passus, proferenda est in eum abeuntem absolutio. Ita Gobatus *d. num. 288.*

Tandem advertendum, hanc præsentiam physicam, vel moralem non requiri pro absolutione
19 ab excommunicatione, aliisve censuris, quia hæc etiam absentibus potest impertiri; ut absque hæsitatione docent Suarez *de Pœnitent. disp. 32. sect. 6. num. 3.* Eminent. Card. de Lugo *disp. 22. num. 51.* & Gobatus *d. tract. 7. num. 286.* quos damen intelligendos puto de absolutione in foro exteriori, in quo Judex Ecclesiasticus absolvit reum absentem à censuris, instante ejus Procuratore; secùs autem in fore interno, ac pœnitentiali, in quo ex supradictis requiritur præsentia physica, aut saltem moralis Pœnitentis.

DECISIO XXXVI.

ARGUMENTUM.

Solum Sacerdotem esse Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ in hac Decisione firmatur. Ejusdem Ministri quatuor necessaria requisita exponuntur; Probitas, Scientia, Prudentia, ac Justitia; & enucleantur variæ Quæstiones in eorundem requisitorum declaratione. Præcipuè an Confessarii teneantur monere Superiores, quorum Confessiones audiunt, de eorum notoriis defectibus, vel suorum Ministrorum; Utrùm debeant ipsi restituere, si non inculcaverint pœnitentibus onus restitutionis? An opinio Confessarii prævaleat opinioni pœnitentis? Probabilitatis tractatus confusi, & incerti.

SUMMARIUM.

1 *Minister Sacramenti Pœnitentiæ est solus Sacerdos.*
2 *Confessarii requisita necessaria quinque.*
3 *Probitas, idest status gratiæ necessarius in audiente Confessiones.*
4 *Scientia quæ, & quanta requiratur in Confessario?*
5 *Prudentia Confessarii quæ, & quanta esse debeat?*
6 *Interrogandorum pœnitentium documenta octo.*
7 *Justitia in Confessario requirit, ut pœnitentem Confessum absolvat.*
8 *Instruere pœnitentem quando debeat Confessarius? Et de quibus?*
9 *Superiores monendi à Confessario de eorum notoriis defectibus; & Cardin. Baronii exemplum.*
10 *Restituere an teneatur Confessarius, qui non obligavit pœnitentem ad restituendum?*
11 *Confessarius an teneatur sequi opinionem pœnitentis?*
12 *Probabilitatis tractatus omnes confusi.*

REstat, ut de Ministro Sacramenti Pœnitentiæ disseramus; & de requisitis, ac qualitatibus ejus, sivè ad illud validè ministrandum; sivè licitè. Ministrum hujus Sacramenti esse solum Presbyterum, ordine Sacerdotali ritè, ac rectè insignitum diximus, ac probavimus supra *Decis. XVIII. à num. 9. & seqq.* ubi ostendimus, quòd si quis vellet confiteri Laico peccata sua, ut ab eo reciperet absolutionem, incideret in hæresim Lutheranorum; & quicunque non promotus ad ordinem Presbyteratus præsumeret audire Confessionem Sacramentalem alterius, & illum absolvere à peccatis, puniendus esset tanquam hæreticus in Officio S. Inquisitionis per *Constitutionem* 21. Gregorii XIII. quia est de fide, quòd solus Sacerdos potest esse minister Sacramenti Pœnitentiæ, ut definitum est in Concilio Constantiæ *in Bulla Martini V.* in Florentino *in Decreto Eugenii IV.* & in Tridentino *sess. 14. cap. 6. & Can. 10.* & testantur testimonia Patrum, quos cumulat Eminentiss. Cardin. Bellarminus *libr. 3. de Sacram. Pœnitentiæ*, qui ab exordio nascentis Ecclesiæ agnoverunt, absolutionem Sacramentalem esse actum, seu exercitium potestatis Sacerdotalis; idcircò bene infert Eminentiss. Cardin. de Lugo *eod. tract. disp. 18. sect. 1.* & nos innuimus supra *Decis. XIX. num. 31.* eum, qui verè non accepisset in sua ordinatione ad Sacerdotium potestatem ab Episcopo consecrandi Corpus, ac Sanguinem Christi, offerendique Sacrificium, sivè per defectum materiæ, sivè per defectum formæ, aut quemcunque alium; postea non recipere validè potestatem absolvendi, per illa verba: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* sed debere repeti ordinationem quo ad utramque potestatem; quia esse non potest minister Sacramenti Pœnitentiæ, nisi solus Sacerdos; non est autem Sacerdos, qui nonhabet potestatem offerendi Sacrificium; quod notant etiam Salmanticenses *de Sacramentis tract. 6. cap. 11. num. 2.* 1

Porrò in Sacerdote non excommunicato, non suspenso, & non interdicto quinque requisita concurrere debent, *Probitas, Scientia, Prudentia, Justitia*, ac *Approbatio*; prima quatuor, de quibus in præsenti Decisione agemus, necessaria sunt ad licitè ministrandum hoc Pœnitentiæ Sacramentum; quintum verò, de quo in Decisione sequenti, ad validè conferendum. 2

Probitas requiritur in Sacerdote ministrante Sacramentum Pœnitentiæ, idest status gratiæ, & quod ipse non sit in peccato mortali. *cap. Remissionem 1. quæst. 1. cap. Odi, & proieci. 24. quæst. 1.* alias illicitè administrat, & quò ad se sacrilegium committit, etsi validè absolvat pœnitentem; scriptum est enim in *Psal. 100. Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.* Disputant vero Theologi, an Confessarius debeat esse in statu gratiæ, dum incipit audire Confessionem alterius; vel sufficiat, quando audita Confessione vult ei impertiri absolutionem Sacramentalem? Alii volunt, ipsum non peccare mortaliter audiendo Confessionem in peccato mortali, dummodò habeat propositum pœnitendi, & reponendi se in statu gratiæ per actum veræ contrition- 3

tionis, antequam proferat absolutionis verba. Ita Aversa *de Pœnit. quæst.* 16. *sect.* 10. Henriquez, quem citat, ac sequitur Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 47. reposita in Coordinato *tom.* 1. *tract.* 7. *resol.* 43. ea ratione, quia Sacerdos quando audit Confessionem, non administrat Sacramentum, sed quando absolvit. Alii verò contrarium tenent, quia tunc incipit administrare Sacramentum, & fungitur ministri ejus officio, quando incipit audire Confessionem, quæ est actio materialis proxima ejusdem Sacramenti; ideò eo tempore debet seipsum per contritionem à macula mortalis culpæ liberare, ne novum peccatum Sacrilegii committat. Suarez *de Pœnitent. disp.* 28. *sect.* 1. *num.* 3. Leander alios allegans *eod. tract. disp.* 11. *quæst.* 116. quibus adstipulatur Eminentiss. Cardin. de Lauræa *disp.* 20. *art.* 1. *num.* 24. ubi inexcusabilem demonstrat à Sacrilegio Sacerdotem, alios mundantem per administrationem hujus Sacramenti à peccatis, cùm sit ipse immundus, & adfert sub *num.* 18. hanc rationem: *Si enim Deus à Ministris Legis Mosaycæ, qui pecora tantùm sacrificabant, neque gratiam ex opere operato conferebant, exigebat Sanctitatem, eò quòd opera Religionis à Deo præcepta exercebant; quanto magis à ministris omnium Sacramentorum, quæ gratiam Sanctificantem conferunt?* His addere licet illud *Eccles.* 18. 19. *Ante judicium para justitiam.*

4 Scientia est secundum requisitum in Confessario; per quod non intelligimus *Clavem*, de qua disseruimus supra *Decis. XIX. n.* 30. & diximus, esse potestatem, quam habet Confessarius tanquam Judex interrogandi pœnitentem de speciebus, numero, ac circumstantiis peccatorum, ut de illis se bene informet; sed hic per Scientiam denotatur doctrina, seu instructio, quam habere debet ipse Confessarius, ac notitia tum Theologiæ Moralis, tum Sacrorum Canonum, ut possit esse idoneus minister hujus Sacramenti; ut bene advertit Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 20. *n.* 27. ubi *num* 29. docet, quòd Scientia in Sacerdote ad validè conferendum Sacramentum Pœnitentiæ sufficit, si sciat solvere, ac ligare, idest proferre formulam absolutionis, & imponere convenientem satisfactionem pœnitenti. Ast ad bene, ac licitè administrandum Sacramentum multò plura scire debet, de quibus disputant Moralistæ, quos citat Bonacina *d. disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 4. §. 2. & Suarez *disput.* 28. *sect.* 2. considerans, quòd Confessarius gerit Officium Judicis, Doctoris, Medici, ac Pastoris; & ideò debet habere tantam scientiam, quanta necessaria est respectivè supradictis personis in ministerio suo. Cæterùm ad instructionem studiosi Lectoris, ut summatim capere possit ea, quæ fusè, ac sparsim scribunt Doctores de scientia Confessarii, satis erit, ut notet sequentes quatuor Conclusiones.

Conclusio Prima. Confessarius ante omnia scire debet discernere inter peccata mortalia, ac venialia, quia sine hac scientia non potest ferre judicium justum. Salmanticen. *d. tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 4. cum hac tamen moderatione, ut hæc scientia præcisè non requiratur in omnibus casibus, sed in his, quæ communiter accidunt; in reliquis autem sufficiat bona voluntas; & satis sit, ut pœnitens bona fide declaret culpam suam; ipseque Confessarius habeat intentionem eum absolvendi tam à venialibus, quàm à mortalibus; nec ultra sit ab eo cogitandum; tantum enim sufficit ad validitatem Confessionis. Eminentiss. Card. de Lugo *disp.* 22. *num.* 70. & Dicastillus *disp.* 10. *dub.* 12. *num.* 350. ubi alii plures.

Conclusio secunda: Ulteriùs scire debet Confessarius Casus reservatos, ut cognoscat, quos potest absolvere, & quos non potest. Similiter scire debet Excommunicationes, quæ ipso facto incurruntur; tum quia non potest absolvere à peccato, nisi priùs absolvat ab excommunicatione; tum etiam quia oportet, ut sciat admonere pœnitentem de his, quæ illi necessaria sunt, ut ab excommunicatione absolvatur. Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 5.

Conclusio Tertia: Præcipuè opus est, ut Confessarius sciat species, numerum, ac circumstantias necessariò explicandas; & in universum ea, quæ per se spectant ad integritatem Confessionis; & quid necessarium sit, ut pœnitens sit sufficienter dispositus ad recipiendam absolutionem, tam ex parte doctoris, quam ex parte propositi; & an pœnitens sit in occasione proxima peccandi; nec non obligationem satisfaciendi, ac restituendi; impedimenta quoque Matrimonii pro Laicis; censuras, ac irregularitates pro Ecclesiasticis.

Conclusio Quarta: Circa omnia prædicta, non est necesse, ut Confessarius habeat perfectam scientiam, & cognitionem; sed satis est, ut intelligat ea, quæ frequentiùs accidunt; & de aliis dubitare sciat, ut justè, ac dignè suo munere fungatur: nam si dubitat, potest legendo, vel alios consulendo se instruere, & cum pœnitente ea, quæ oportet, adimplere; aliàs vix aliquis esset, qui possit confessiones audire. Suarez *d. disp.* 28. *sect.* 2. Eminentiss. Cardin. de Lugo *disp.* 21. *n.* 70. & 71. Gobatus *d. tract.* 7. *num.* 188. & 189. ac Salmaticenses *d. tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 7. & *seqq.* ubi bene observant, minorem scientiam requiri in Confessario deputato in parvis Villis; majorem verò in eo, qui in magna Civitate Confessiones audit; prout etiam, quòd ubi pœnitens est vir doctus, quæcunque scientia, etsi parva, sufficit in Sacerdote; ut ait etiam Suarez *d. sect.* 2. *num.* 3.

Prudentia est Tertium requisitum necessarium in quocunque Confessario juxta illud *Prov.* 4. 5. *Posside sapientiam; posside prudentiam*; est enim Virtus, quæ regulat omnes actiones humanas, ut dicit Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in* 3. *Sentent. tom.* 2. *de Virtutibus in genere disp.* 10. *num.* 11. & ea uti debet ad cognoscendum, an pœnitens sit bene dispositus ad validè recipiendam absolutionem; observatis ejusdem verbis, moribus, conditione, longitudine, vel brevitate temporis ab ultima illius Confessione decursi; aliisque circumstantiis ipsius pœnitentis personam concernentibus; siquidem quando prudenter judicat, esse bene dispositum tum quoad dolorem, integritatem Confessionis, ac propositum emendationis, satis est, ut eum absolvat absque aliis interrogationibus. Suarez *disp.* 32. *sect.* 3. *num.* 3. Palaus *tract.* 23. *disput. Unic. punct.* 19. §. 2. & Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 15. & 16. optimè advertentes, quod pœnitentes honesti,

nesti, bene instituti, ac docti non sunt indiscretis interrogationibus fatigandi; nisi aliquando quoad numerum, vel circumstantias peccatorum, de quibus ipsi mentionem fecerunt, si non satis se explicuisse videantur. E contra si Confessarius probabiliter dubitet, pœnitentem deficere in sui accusationem circa species, numerum, aut circumstantias peccatorum, sivè ex defectu examinis, sivè ob ignorantiam, & inadvertentiam, debet, quoad prudenter fieri potest, illum de iisdem interrogare, juxta *tex. in cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnitent. & Remiss.* ubi Summus Pontifex ait: *Sit Sacerdos discretus, & cautus more periti Medici, diligenter inquirens peccatorum circumstantias, &c.* & docet Magister Sent. *in* 4. *dist.* 19. quem ibidem sequuntur S. Thomas, & Scholastici; nec non omnes Moralistæ, quos longa serie citant Salmanticen. *ubi prox. num.* 18.

In interrogando autem pœnitente opus est sum- 6
ma prudentia, ad quam comparandam, Deo auxiliante, non parùm conducent sequentia documenta. *Primò*: non requiri exactissimam diligentiam in interrogando, quæ sit nimis onerosa pœnitenti, ac ipsi Confessario; sed talis qualis sit sufficiens ad integritatem Confessionis. *Secundò*, non esse interrogandum pœnitentem de omnibus, quæ scripta sunt in Morali Theologia; sed de his, quæ spectare possunt ad ejus statum, vel conditionem. *Tertiò*, in peccatis carnalibus parcè, ac velociter, & cum modestia esse procedendum in interrogationibus, ne pœnitentem scandalizet, vel se periculo pollutionis exponat. *Quartò*, non reprehendat, aut invehat in aliquod peccatum, nisi completa Confessione, ne pœnitens deterritus alia fortè graviora manifestare omittat. *Quintò*, ubi est aliquid examinandum circa aliquod peccatum quo ad speciem, numerum, vel circumstantias, id requirat cum benignitate de peccato in peccatum, ne, si expectet in finem, oblivio, aut conclusio impediat, ne Confessarius scienda sciat. *Sexto*, rusticos, aut alios rudes homines, qui absque debito examine ut plurimùm ad pedes Confessarii accedunt, non expedit dimittere, ut se examinent, ac redeant; sed eos juvare per opportunas interrogationes; sic enim fient magis apti, quàm si millies dimittantur. *Septimò*, Rustici, qui agresti, & inculto modo confessi sunt multo tempore cum bona fide, sed sine integritate quoad numerum, species, vel circumstantias, non sunt eogendi iterare Confessiones factas; sed satis est ab iisdem exigere, quæ omiserunt in præteritis Confessionibus, juxta DD. quos cumulat, & sequitur Diana Coordinatus *tom.* 1. *tract.* 3. *resol.* 119. & 120. quarum prima est in Diana antiquo *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 107. *aliàs* 108. altera verò *part.* 10. *tract.* 14. *resol.* 21. *aliàs* 19. *Octavò* tandem, si Confessario innotescat, pœnitentem commisisse mortale, de quo nulli est confessus, & licèt prudenter interrogatus, de illo non se accuset; disputant DD. quid sit agendum. Alii dicunt, quòd eum dimittat, si certò scit peccasse, secùs si ex aliorum relatione, quia in Confessione Sacramentali tam pro, quàm contra standum est dictis pœnitentis, tantò magis, quia potest pœnitens habere aliquam legitimam causam, illud non manifestandi ipsi Confessario, ut diximus supra *Decis. XXIII. num.* 11. Nihilominùs prudentia Confessarii tanta esse debet in instruendo pœnitente de necessitate integritatis, & in præbenda ei fiducia inviolabilis secreti, ut ex ejus ore eruat virus illius culpæ. Suarez *d. disp.* 32. *sect.* 3. & Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 12. *n.* 28.

Justitia est quartum requisitum Confessarii, quæ 7
quidem etsi multa genera casuum respiciat, tria tantùm hìc referre satis erit. Unum est, quòd Confessarius auditis peccatis pœnitentis bene dispositi, tenetur de justitia ei absolutionem impertiri, sivè sit proprius Parochus, sivè alius Sacerdos ad Confessiones audiendas approbatus; sic enim postulat ratio justi judicii, & æquitas inter pœnitentem, & Confessarium; & aliàs magna fieret injuria ipsi pœnitenti, si sine causa privaretur Sacramento, & cogeretur iterùm coram alio eadem peccata confiteri, sivè sint mortalia, sivè etiam tantùm venialia. Aversa *de Pœnit. quæst.* 16. *sect.* 11. Suarez *disp.* 32. *sect.* 5. Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 29. & 30. ubi tamen concedunt, posse ex justa causa Confessarium differre absolutionem ad se certiorandum de vera dispositione pœnitentis, vel recidivi, vel contumacis in adimplenda pœnitentia. *Alterum* genus justi- 8
tiæ est, ut Confessarius instruat eo meliori modo, quo potest, pœnitentem in his, quæ sunt necessaria ad salutem, & ab eodem pœnitente ignorata culpabiliter; puta mysterium Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis nostræ ex Incarnatione, Passione, Morte, ac Resurrectione Christi Domini, Venerabilis Eucharistiæ Sacramenti; Resurrectionis Universalis, ac similium; Cardenas *in Crisi Theolog. dissert.* 41. ubi ponit Propositionem damnatam 64. quæ asserebat. *Absolvi posse ignorantes dicta mysteria etiam ex negligentia.* Debet etiam instruere sponsos de impedimentis Matrimonii, præcipuè contrahendi, ut fusè disserit Sanchez *de Matrim. lib.* 12. *disp.* 38. Bonacina & alii, quos allegant Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 12. *punct.* 3. per totum; ubi *num.* 32. in specie dicunt, teneri Confessarium ex justitia admonere pœnitentes de obligatione revelandi Superioribus hæreticos, nec non Sacerdotes sollicitantes ad turpia in Confessione, juxta Bullam Gregorii XV. *Incipien. Universi Dominici Gregis.* 30. *Augusti* 1622. de qua plenè agunt mea Erotemata *cap.* 126. in quo omnes casus ad dictam materiam spectantes summatim collegi tum ex Moralistis modernis, tum ex Criminalistis practicis, ac sapientioribus. *Ter-* 9
tium genus justitiæ est, ut à Confessario moneantur pœnitentes, si Prælati, Pastores, aut Gubernatores sint, de eorum notoriis peccatis, quæ vel nesciunt, vel non curant, circa malam collationem beneficiorum, Ministrorum electionem, subditorum gubernationem, aut eleemosynarum distributionem; si enim Confessarius ea scit, & tacendo prædictas absolvit, imponit suis humeris peccata eorum; & errores, quos in pœnitente dissimulat; nam qui formidat potentis faciem, non debet Confessarii officium assumere. Eminentiss. Cardin. de Lugo *disp.* 22. *num.* 37. Busembaum *de Pœnitentia, capite* 2. *dubio* 5. *numero* 8. Hinc Cardinalis Baronius audiens Confessiones Clementis Papæ VIII. eum monuit de monopolio Annonæ, quod ejus Nepos faciebat in præjudicium omnium pauperum. Pontifex nepotem corripuit, qui minatus Baronium, de purpura eo privando, audivit, eum sibi respondentem: *Sine dolore relinquam, quod sine amore possideo.* Bernabeus

in Vita Card. Baronii lib. 2. cap. 1. in fin. Quod si pœnitentes sint personæ privatæ, tenetur confessarius ex justitia, eos monere de obligatione adimplendi vota, si quæ emiserint, juramenta, promissiones, aut præteritas Sacramentales satisfactiones; ad tollenda, seu reparanda scandala, si quæ intulerunt; ad corripiendos delinquentes, si ad eorum spectet officium; & præcipuè ad restitutionem famæ, aut bonorum, si in his aliquem læserunt; nec non ad eosdem pœnitentes retrahendos à negotiis illicitis, & à contractibus usurariis, in quibus si sint renitentes, absolutionem omnino debet denegare; ut latè DD. apud Salmanticen. *d. cap. 12. punct. 3. à num. 32. & seqq.*

Sed hic duo oriuntur dubia. *Unum* est, si
10 Confessarius omittat obligare pœnitentem ad restitutionem, an teneatur ipse restituere. Multi multa dicunt; ut videre est apud Dianam *part. 2. tract. 16. resol. 1.* reposita in Coordinato *d. tom. 1. tract. 6. resol. 22.* Resolutio vera est, quod si positivè dixerit ex ignorantia pœnitenti, non teneri restituere; monere debet pœnitentem de suo errore; & eum onerare ad restitutionem; quòd si amplius reperire non possit pœnitentem, remanet obligatus ipse Confessarius ad illam. Si autem omisit tantummodò eidem pœnitenti hanc obligationem exprimere in Confessione; sunt hinc inde opiniones, ut referunt Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp. 22. à num. 60. & seqq.* ac Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 12. à num. 50. 51. & 52. Alterum* dubium est,
11 si Confessarius dicat aliquam actionem, seu contractum esse peccatum mortale; pœnitens verò asserat ex studio facto, seu ex consilio ab aliis sumpto, non esse mortale peccatum; an Confessarius possit, & debeat adhærere opinioni pœnitentis, & eum contra suam opinionem absolvere; alii negant, alii affirmant, quos cumulat Diana *part. 2. tract. 13. resol. 11.* quæ sedet in Coordinato *tom. 8. tract. 1. resol. 6.* nec non Salmanticenses *d. cap. 12. num. 42. & seqq.* ubi tres opiniones referunt. Apud me prævalet distinctio Eminentiss. Cardin. de Laurea *disp. 21. de pœnit. art. 4. §. 4.* quæ est hujusmodi: In iis, quæ respiciunt essentiam Sacramenti, potestatem, ac facultatem Ministri, nec non dispositionem pœnitentis, non tenetur Confessarius sequi opinionem illius, sed suam. At in aliis dubiis de agibilibus, puta de obligatione jejunandi, de justitia Contractus, de gravitate vel levitate peccati, potest Confessarius sequi opinionem pœnitentis, sua propria postposita, si vult; dummodo sibi ostendat, eam esse probabilem; & tanquam talem approbari à Doctoribus fide dignis. Sed quibus rationibus suadebit sibi ipsi
12 Confessarius probabilitatem assertam à pœnitente Quis ignorat, materiam de probabilitate opinionum esse pelagum sine fundo? Quis adorsus est legere Fagnanum disserentem de opinione probabili in *cap. Ne innitaris, de Constit. à num. 13. usque ad num. 493.* & non remansit obtusus? Et qui non obtusior percurrendo Caramuelē loquentem de Probabilitate vel studendo integris voluminibus Bordoni, Thyrsi Gonzalex, & Joannis de Cardenas in Crisi Theologica de eadem materia? Idcircò pœnitus rejiciendam censeo doctrinam Summæ Dianæ *Verb. Opinio probabilis num. 6.* & esse amplectendam illam prædicti Thyrsi Gonzalez, Præpositi Generalis Societatis Jesu; qui in tractatu *de recto Usu opinionum probabilium Dissert. 14. cap. 9. §. 4. num. 126.* ita concludit; *Quando opinio Confessarii est in se probabilior, seu communior inter Authores Classicos, & aliunde post diligentem veritatis inquisitionem, circa passionem, & culpam, illie judicat esse veram ob fundamenta rationis, quæ ipsi videntur manifestè urgentiora omnibus rationibus, quibus nititur Pœnitentis opinio; tunc non potest absolvere pœnitentem, quamvis ille bonafide amplexus fuerit sententiam contrariam.* Utinam, non reperiantur Confessarii, qui vel ex defectu studii, vel ob humanos respectus opinionem pœnitentium contractus usurarios practicantium, & licitos esse prætendentium, approbaverint, irreparabili cum detrimento suarum animarum. Oh quanti reperiuntur de illis, de quibus ut testatur Molina *tom. 4. de Just. & Jure tract. 3. disp. 38. num. 3.* Elisabeth Regina Lusitaniæ dicebat: *Se, scilicet, nunquam consuluisse Medicum, Jurisperitum, aut Theologum, qui ei non respondisset, quod ipsa fieri optabat.*

DECISIO XXXVII.

ARGUMENTUM.

De approbatione Confessariorum sæcularium differitur in præsenti Decisione. Docetur, quod eorum approbatio requirit duo; scilicet judicium de idoneitate; & concessionem Jurisdictionis pro pœnitentibus absolvendis. Qualiter approbentur Parochi; nec non simplices Sacerdotes. Utrum approbatio facienda sit ab Episcopo Confessarii, vel Pœnitentis, vel Loci, in quo audienda est Confessio. An dentur Casus, in quibus Sacerdos non approbatus possit absolvere. Abbates habentes territorium separatum approbant Confessarios: Non etiam Monasteria, & Capitula pro Ecclesiis Curatis de eorum Mensa. Parochi num possint assumere in Confessarios Sacerdotes approbatos tantum quo ad scientiam? quando expiret facultas audiendi Confessiones.

SUMMARIUM.

1 *Approbatio Confessarii necessaria pro validitate Absolutionis.*
2 *Approbatio Confessarii importat Actum intellectus, & voluntatis in approbante.* & num. 3. & 6.
4 *Judicium de idoneitate quale esse debeat? interius vel exterius?*
5 *S. Teresiæ dictum de Confessariis parum doctis.*
7 *Jurisdictio est necessaria in Confessario.*
8 *Doctores expresse loquentes de judicio idoneitatis & de danda jurisdictione Confessario.*
9 *Approbatio ad Confessiones fit duobus modis. Et quibus?*
10 *Institutio alia Authorizabilis, alia Collatoria tituli.*
11 *Parochus eo ipso qui fit est approbatus ad Confessiones.*
12 *Parochi de consuetudine audiunt Confessiones in tota Diœcesi.*
13 *Parochus in aliena Diœcesi an possit absolvere suum subditum?*

14 *Confessarii*

14 *Confessarii simplices quomodo deputentur?*
15 *Approbatio confessariorum potest committi ab Episcopo cuicumque viro docto.*
16 *Confessarii approbantur vel indefinitè, vel ad tempus limitatum.*
17 *Appellatio duorum simplicium Capellanorum ob denegatam licentiam audiendi Confessiones.*
18 *Rationes denegandi licentiam audiendi Confessiones ignorantibus.*
19 *Approbare Confessarios ad quem spectet?*
20 *Episcopi approbant omnes Confessarios in sua Diœcesi.*
21 *Moralistæ corrigendi circa eorum dicta de approbatione Confessariorum.*
22 *Abbates habentes territorium separatum, & jurisdictionem quasi Episcopalem approbant Confessarios.*
23 *Capitula; ac Monasteria in beneficiis sibi unitis non approbant Confessarios.*
24 Farræ *Ecclesia Curata de mensa Capituli Paduani Litigium super approbatione illius Curati.*
25 *Parochi an possint assumere in Confessarios Sacerdotes approbatos quoad scientiam tantùm? Et quòd non.* Num. 26.
26 *Casus non veri, in quibus Moralistæ docent: non requiri approbationem Confessarii pro absolutione à peccatis.*
27 *Articulus, & periculum mortis non eget Confessario approbato.*
28 *Confessarius non approbatus an præsente approbato absolvere possit in articulo, vel periculo mortis?*
29 *Angeli an possint absolvere à peccatis?*
30 *Approbatio pro Confessionibus quando expiret?*
31 *Dubitans an sit expirata licentia Confessionis, an possit absolvere confitentem?*

PRæter probitatem, scientiam, prudentiam, ac justitiam, quæ requiruntur in Sacerdote Confessario pro recta administratione Sacramenti Pœnitentiæ; opus est Approbatione, quæ est quintum Requisitum necessarium pro validè administrando prædicto Sacramento. Pro ejus intelligentia hic duo sunt repetenda, ac rememoranda, quæ diximus supra: Unum in *Dec. XV. n.* 28. quòd nomine approbationis pro Confessionibus audiendis veniunt duo actus; primus scilicet intellectus, quo Prælatus judicat Sacerdotem idoneum quo ad scientiam, & mores; secundus voluntatis, quo ei concedit Jurisdictionem, facultatem, ac potestatem absolvendi pœnitentes à peccatis in foro Sacramentali; quamvis enim antiquitus plures DD. opinarentur, quemlibet Sacerdotem complete ordinatum posse quoscunque pœnitentes à peccatis absolvere absque alia licentia Superiorum, hæc opinio fuit damnata tum in Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. tum in Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 7. ubi definitum fuit: *Nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet Jurisdictionem;* quod est alterum rememorandum à nobis dictum supra in *Decis. XIX. num.* 31. & 32. Igitur Sacerdos Confessarius, ut validè absolvat pœnitentes idoneus ad Confessiones audiendas judicari debet à Superiore, & ab eodem recipere jurisdictionem, & facultatem absolvendi, & utrumque includitur in approbatione, quam ad hunc effectum indixit, tanquam conditionem, sine qua non, idem Concilium Tridentinum *in sess.* 23. *cap.* 15. his verbis: *quamvis Presbyteri in sua ordinatione potestatem absolvendi à peccatis accipiant decernit tamen Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audire; nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si ita illis videbitur, aut idoneus judicetur: & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemoriali non obstantibus.*

His rememoratis, agendum est in præsenti de Approbatione Confessariorum Sæcularium, tanquam requisito simpliciter necessario pro Confessionibus audiendis; nam de eadem approbatione pro Confessariis Regularibus separatim est differendum. Videbimus itaque

Primò: Quid approbatio Confessariorum?
Secundò: Quibus modis fiat?
Tertiò: A quibus sit facienda?
Quartò: Quibus in casibus non sit necessaria?
Quintò: Quando jam facta expiret?

Quo ad primum. Approbatio Confessarii *est judicium de ejus idoneitate quo ad scientiam, & probitatem; simulque concessio Jurisdictionis pro audiendis, ac absolvendis pœnitentibus in foro interno, ac Sacramentali.* 3 Dicitur, eam esse *judicium*; quia est actus intellectus cognoscere, an Sacerdos, qui petit facultatem audiendi Confessiones, sit idoneus ac habilis scientia ac probitate, per reflexionem ad ejus responsa, si examinetur; vel ad ejusdem studia, operationes, ac actiones, si sint notoriæ; siquidem duæ sunt operationes intellectus, ut ait Arist. *libr. 3. de Anima cap. 5. tex.* 21. idest simplex apprehensio, in qua non datur veritas, aut falsitas; & reflexio ad diversos conceptus, in qua fit compositio, conducens ad eruendam veritatem, vel falsitatem. Reflectendo igitur Superior, qui debet approbare, ad interrogationes, & responsa approbandi; sive ad ejus litteraria exercitia alio modo sibi cognita; concludit in suo intellectu an idoneus sit, vel non, ad administrandum Sacramentum Pœnitentiæ; & juxta judicium suum interius, ipsum exteriùs approbat, dicendo, ac declarando, eundem esse, vel non esse idoneum,

Hic autem quærunt DD. An si Episcopus in mente sua aliquem judicet inhabilem; voce tamen vel scripto idoneum proferat, eique approbationem ac facultatem concedat, valida sit approbatio, dum Episcopus fictionem suam non declarat? Alii negant, illam approbationem esse validam, dicentes, quod Concilium Tridentinum requirit approbationem cum judicio idoneitatis, & judicium idoneitatis cum approbatione, Ita Reginaldus *libr. 1. num.* 197 & Bonacina *de Sacram. Pœnit. disp. 5. quæst. 7. punct. 4. num.* 29. Alii tamen verius affirmant, quia ex instituto Ecclesiæ attendendum est judicium exterius, non autem interius; & si aliter fieret, quilibet esset expositus infinitis scrupulis, & dubitationbus circa validitatem Confessionis, ideò valida erit prædicta approbatio quamvis Episcopus peccaret. Ita Suarez *disput.* 28. *sect. 5. numer.* 7. Eminentiss. Cardinalis de Lugo *disput.* 21. *numer.* 25. & Salmanticenses alios allegantes *de Sacram. in genere d. tract. 6. cap.* 11. *num.* 91. 4

Ulterius dicitur, prædictum judicium esse debere *quo ad scientiam ac probitatem*; quia utraque necessaria est in Confessario ad bene administrandum Pœnitentiæ Sacramentum, ut ostendi-

5 mus in præcedenti *Decis. XXXVI. num. 3. & 4.* ubi DD. quibus addendus est Nicolius in *Flosculis Verb. Confessarius num. 11. & 12.* referens hoc dictum S. Theresiæ *in cap. 5. ejus vitæ: Experientia didici, meliores esse Confessarios, aliàs virtutibus, sanctisque moribus præditos, si nihil habeant litterarum, quam si parum; nam nec illi confessi fuissent de ipsis, & potius interrogassent, seu consuluissent eos, qui multa sciunt, nec ego de ipsis confisa fuissem. Egregiè, ac eminenter docti numquam me fefellerunt. Mediocres non credo, me decipere voluisse, sed plura nesciebant.* Dicitur, *simulque concessio Jurisdictionis pro audiendis, ac absolvendis pœnitentibus.* Quoniam ut dictum est supra, non sufficit, quod Superior judi-
6 cet Sacerdotes sæculares habiles, & idoneos ad audiendas Confessiones per actum sui intellectus, sed opus est, ut addat actum voluntatis, impertiendo, ac concedendo iisdem suam Jurisdictionem, potestatem ac facultatem ligandi, ac solvendi pœnitentes suæ Diœcesis sibi subditos. Aliud enim est judicare idoneitatem per actum Intellectus, & aliud est concedere potestatem, facultatem, & Jurisdictionem per actum voluntatis; qui sunt duo actus inter se distincti, etsi adinvicem subordinati, ut primum præcedat actus intellectus judicando circa habilitatem, atque idoneitatem volentis audire Confessionem; deinde subsequatur actus voluntatis concedentis necessariam Jurisdictionem, ac potestatem administrandi Sacramentum Pœnitentiæ; quod, (ut pluries notatum est) cum sit institutum à Christo sub forma judiciali ad ligandum, vel solvendum pœnitentes à peccatis, quæ confitentur; non potest exerceri à simplicibus Sacerdotibus, quamvis habeant characterem, & clavem ligandi, atque solvendi sibi consignatam in sua ordinatione, nisi subinde sibi consignentur subditi, & tradatur
7 Jurisdictio eosdem judicandi; prout in profanis observatur, quando quis fit Doctor in publica Academia; constituitur enim capax judicandi, ac dirimendi lites civiles, ac criminales in foro; at ad actuale exercitium judicandi devenire non potest, donec à Principe, vel à Civitate sibi non fuerit traditum officium, atque potestas judicandi; ut latissimè, ac novissimè probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Sacram. Pœnitent. disp. 18. art. 7.* per totum, *& disp. 19. art. 3.* & Salmanticenses *d. tract. 6. c. 11. num. 5.*

Inficiari non possumus, quod Moralistæ solliciti
8 non sunt, hos duos actus Intellectus, Voluntatisque in Superiore, Sacerdotes ad Confessiones audiendas approbante, distinguere; sed eosdem complicant in verbo *approbationis*; per illud supponentes utrumque actum; nihilominus non desunt aliqui, è quibus utriusque actus essentia diversa proditur; & utriusque necessarius concursus pro completa approbatione Confessarii indicatur. Petrus Murga loquens de approbatione ad curam Animarum de Mensa Monasterii, in suo libro *de Jure & Potest. Parochi part. 1. quæst. 2. Divis. 2. num. 28.* ita scribit: *Approbatio autem Episcopi, de qua num. 25. ut bene docet Marc. Vital. in Arca Vitali tit. de Jurisd. Inquisit. num. 12.* & Thomas del Bene *de Immunit. Eccl. tom. 2. cap. 14. dub. 18. sect. 11. num. 38. & 46. quem omnino vide, non est Jurisdictionis collatio, sed idoneitatis declaratio, & quasi justa sententia, quia approbatio actus est intellectus; collatio verò Jurisdictionis est voluntatis actus.* Idem advertendum esse dicit Layman *de Sacram. Pœnitent. lib. 5. tract. 6. cap. 11. num. 7.* in verbis: *Distinguendum est inter approbationem, & delegationem Jurisdictionis*, quia ut rectè ait Lamas *part. 1. Method. cap. 6. §. 5. Approbatus Ordinarii judicio, sive sufficiens declaratus non eo ipso Jurisdictionem recipit: approbatio enim est actus intellectus, utpote judicium, sive sententia. Traditio autem Jurisdictionis debet esse actus voluntatis Superioris.* Concordat testimonium Pauli Squillantis *in tractat. de Obligat. & Privileg. Episcopor. part. 3. cap. 39. num. 1.* ita loquentis: *Hujusmodi tamen Episcopi approbatio non est delegatio Jurisdictionis; sed aliquid prævium ad illam; cum approbatio nil aliud fit, quam quædam publica sententia, seu authentica contestatio de sufficientia illius Sacerdotis ad audiendas Confessiones, quam S. Concilium Tridentinum voluit esse necessariam dispositionem, ut simplex Sacerdos sit proximè capax hujus Jurisdictionis.* His omnibus addendus est Eminentiss. Cardin. Capisucchius *in Q. Q. Theologicis quæst. 1. pag. 42. col. 1.* ita distinguens: *Animadvertendum tamen Jurisdictionem, seu potestatem absolvendi Sacramentaliter à peccatis non conferri per approbationem, qua quis in Confessarium approbatur. Approbatio enim per se nullam confert Jurisdictionem; atque ideo illa sola non sufficit ad audiendas Confessiones. Igitur præter approbationem requiritur Jurisdictio, quæ confertur, cùm Sacerdos Juridice deputatur ad Confessiones audiendas: quod contingit, quando beneficium Pastorale confertur, aut alioquin conceditur potestas audiendi Confessiones.* Itaque extra omnem controversiam esse debet, quòd approbatio Confessarii per ejus Superiorem facienda requirit duos actus; Unum intellectus, quo judicetur, & declaretur idoneus; Alterum voluntatis, quo ipse Superior impertiat illi jurisdictionem, potestatem scilicet, ac facultatem pœnitentes ligandi, atque solvendi.

Quo ad secundum; si quærimus, *quot modis hæc approbatio fiat*; respondetur, eam fieri duobus modis; *Uno*, per collationem beneficii Curati; *altero* per simplicem concessionem Episcopi, quæ vocatur simplex delegatio, aut deputatio ad Confessiones au- 9
diendas. In collatione beneficii intervenit uterq; actus intellectus, ac voluntatis supra explicitus; quia præmittitur concursus ad præscriptum S. Conc. Trid. *sess. 24. de reform. cap. 18.* in quo per examinatores Synodales in præsentia Episcopi, aut ejus Vicarii fit experimentum idoneitatis concurrentium quo ad scientiam, probitatem, & prudentiam ad regimen Animarum, & per consequens ad audiendas Confessiones; & ita fit judicium super eadem idoneitate: jurisdictio postea conceditur pro administratione Sacramentorum; & sic pro absolvendis pœnitentibus à peccatis per collationem beneficii curati & per institutionem Sacerdoris præelecti in illo; quæ quidem cùm per beneficialistas dividatur in duas species; itaut una sit collatio, & institutio authorizabilis; & alia simplex collatoria tituli ad tradita per Loterium *de Re benefic. libr. 1. quæst.* 10
33. num. 99. hæc secunda spectare potest non solùm ad Papam, & ad Episcopum; sed etiam ad Monasteria, & ad Capitula habentia Jus conferendi beneficia, quamvis sint de eorum mensa; ea ratione, quia subjectum talis collationis sunt fructus ejusdem beneficii, ad quos percipiendos jus, facultas, ac potestas recipitur ab iisdem Monasteriis, ac Capitulis. At collatio, ac institutio

pri-

primæ speciei, dicta authorizabilis, sit à solo Episcopo; ejusdem enim collationis, ac institutionis subjectum est simplex cura, ac regimen populi; qui cùm sit subditus Episcopo, ab ejus Jurisdictione dependet concedere potestatem Parocho instituto absolvendi populum ipsum à peccatis; ut antea docuerat idem Loterius *d. libr. 1. quæst. 25. num. 13.* & novissimè tradidit Eminentiss. Cardin. de Luca *in Theatro Veritatis, in tract. de Parochis, disc. 12. num. 3. & de Jurisdictione, disc. 14. & 15.* Quæ potestas authorizabilis provenit immediatè in Parochum à Papa, quando à Sede Apostolica obtinet beneficium ob supremam Jurisdictionem, quam habet Summus Pontifex super omnes Ecclesias totius Orbis Christiani. Loterius *d. lib. 1. qu. 8. num. 52.* ita tamen, ut Parochus in suo ministerio sit subordinatus Episcopo.

Hinc certum est apud omnes Theologos tam Scholasticos, quàm Moralistas, quòd statim ac quis
11 obtinet beneficium Parochiale censetur eo ipso approbatus ad Confessiones audiendas. Floronus *de Casibus reservat. part. 1. cap. 4. §. 12. num. 2.* Barbosa plures DD. cumulans *ad dict. sess. 23. Concil. Trident. cap. 15. num. 17.* bene advertens, quòd licèt strictè loquendo, & attento rigore antiquorum Canonum, Parochus non possit audire Confessiones, nisi eorum, qui habitant in ejus Parochia, prout servatur circa Baptismum, Sacrum Viaticum, Extremam Unctionem, ac Matrimonium; nihilominùs de universali consuetudine ubique, scientibus, ac approbantibus eam Episco-
12 pis, introducta, atque firmata, omnes Parochi audiunt Confessiones quorumcumque pœnitentium ad se confluentium, non solùm in eodem Oppido, ac Civitate, in qua habent beneficium; sed etiam per totam Diœcesim sui Episcopi; imò etiam in Ecclesiis alterius Diœcesis positis in confinio Diœcesis propriæ, ut affirmat servari in Hispania, Gallia, Lusitania, & aliis Regnis idem Barbosa *ad d. sess. 23. cap. 15. num. 19.* & concordat Eminentiss. Cardin. de Lugo *disput. 11. num. 11. & seqq.* nec non praxis hujus Patavinæ Diœceseos. Sed utrum Parochus in aliena Diœcesi possit absolvere Sacramentaliter suum subditum absque licentia Ordinarii illius Diœcesis? Concedunt omnes Moralistæ, quos allegant Salmanti-
13 censes *d. tract. 6. cap. 11. num. 55.* & Barbosa ubi proximè *num. 20.* extendentes hanc suam assertionem etiam ad simplicem Confessarium, circa subditos illius Diœcesis, in qua ipse est approbatus, repertos in aliena Diœcesi; quod minimè esse verum constabit ex infra dicendis *num. 20.* Porrò post dimissum beneficium non posse ampliùs à Parocho audiri Confessiones, nisi obtineat novam facultatem ab Episcopo, docent concorditer omnes DD. apud Barbosam *de Parocho, cap. 19. num. 6.* & ad Concilium Tridentinum *d. sess. 23. cap. 15. num. 21.* Reginaldus *d. libr. 1. num. 190.* ac Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp. 11. num. 8.*

Alter modus approbandi Sacerdotes sæculares
14 ad Confessiones audiendas est per simplicem delegationem, quæ passim practicatur, & fit ab Episcopis; concedendo licentiam simplicibus Sacerdotibus Capellanis coadjuvandi Parochos in administratione Sacramenti Pœnitentiæ; & fieri potest hæc delegatio, vel *prævio examine*, ut plerumque fit super scientia, & idoneitate Capellani; vel etiam *sine examine*; quando ejus doctrina est notæ Episcopo, qui non est adstrictus facere dictum examen; dicente Concilio *in d. sess. 23. cap. 15. Si ita illi videbitur.* Item non est obligatus Episcopus examinare, approbare, & Jurisdictionem, facultatemque audiendi Confessiones concedere per se ipsum; quia cùm hi omnes actus sint actus ordinariæ suæ Jurisdictionis Episcopalis, ut bene advertit Jordanus *tom. 1. lib. 3. tit. 4. n. 108.* ubi Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 3.* & Barbosa *de Offic. & Potest. Episc. alleg. 25. num. 3.* potest eos committere non solùm Vicario suo Ge- 15
nerali; sed cuicunque alteri viro, de cujus doctrina, justitia, & integritate certitudinem habeat, ut notat Diana Coordinatus *tom. 1. tract. 3. resol. 26. num. 14.* desumpta ex veteri in *part. 11. tract. 4. resol. 16.* Idcircò pluribus ab hinc annos, cùm ab Eminentissimo, ac Reverendissimo D. Gregorio Cardinali Barbadico sanctæ mem. Episcopo Patavino demandata mihi Auditori suo fuisset generalis facultas tum examinandi, tum approbandi ac mandata subscribendi pro confessionibus audiendis, quoscunque simplices Confessarios, murmurabat de hac commissione Vicarius Generalis, quem Eminentia sua nimis desidem repererat in iisdem Confessariis examinandis; sed obmutuit visis supradictis auctoritatibus, ac præcipuè punctuali doctrina Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Sacram. Pœnitent. disput. 20. art. 3. num. 198.* affirmantis, quòd ubique Episcopi ob plurimas suas alias occupationes, judicium de habilitate Confessariorum mutuant ab alio examinatore, cui committunt suam auctoritatem pro examinandis, & approbandis iisdem Confessoribus; ac illis, si idoneos reperiant, jurisdictionem absolvendi pœnitentes impertiendi.

Cæterùm hæc simplex delegatio Capellanorum, ac Sacerdotum pro confessionibus audiendis fieri
16 potest vel ad tempus indefinitum, vel ad tempus limitatum juxta beneplacitum Episcopi, vel ejus Vicarii, aut Ministri; habito respectu ad sufficientiam Sacerdotis eandem delegationem petentis; sed ex universali consuetudine omnium Episcoporum hodie Confessariis sæcularibus non datur facultas audiendi confessiones, nisi ad annum, ut testatur Nicolius *in Lucubrat. Canonicis lib. 5. tit. 38. sub num. 9.* qua finita, & tempore transacto, non possunt ampliùs confessiones audire, nisi iterùm compareant pro nova licentia, prævio novo examine, si ita videatur Episcopo, vel ejus Ministro deputato; qui si repererit ipsum comparentem defecisse in scientia, ob derelictum studium, (ut sæpè accidit,) poterit eum reprobare, & absque petita facultate dimittere; ut frequenter mihi convenit facere, dum supradicto munere Auditoris, & Approbatoris Confessariorum hujus amplissimæ Diœcesis Patavinæ fungerer; & neminem, nisi præmisso examine approbarem, juxta præscriptum Eminentiss. Domini mei Cardinalis. Nec tacenda est arrogantia duorum Capellanorum Villarum Brudiginis, ac Campaneolæ, qui cùm aliàs fuissent approbati à Vicario Generali ad audiendas Confessiones per annum; at à me reperti penitùs 17
ignorantes fuissent in petitione novæ licentiæ rejecti, dicto anno transacto, appellarunt ad Metropolitanum, prætendentes cogere Curiam Eminentissimi D. Cardinalis Episcopi Patavini ad novam approbationem iisdem concedendam: at disputato hoc articulo, fuerunt per Metropolitanum licentiati, & in expensas condemnati, vigore ju-

rium, ac rationum per me in sequenti scriptura deductarum.

Illustrissime, ac Reverendissime Domine. Perpetam agunt Capellani Villarum Brudiginis, & Campaneolæ præsumentes obtinere per viam appellationis facultatem audiendi confessiones ab hac Curia Episcopali Patavina, innixi approbationibus in antea à Vicario Generali concessis; siquidem cum ipsæ fuerint ad tempus limitatum, quod jam expiravit, habentur tanquam non concessæ. Barbosa *ad Concil. Trid. sess. 23. cap. 15. num. 42. & 45.* Garzias *de Benefic. part. 1. cap. 2. num. 87.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Sacram. Pœnit. disp. 20. num. 179.* & declaravit Sacra Congregatio Concilii *in una Patavina 7. Januarii* 1654. quam refert Nicolius *in Lucubrat. Canon. libr. 5. tit. 38. n. 9.* Neque cogi potest Emin. Episcopus Paduanus ad eos noviter approbandos pro confessionibus audiendis, quia approbatio simplicium Capellanorum, quales sunt supradicti duo, ad dictum munus, est actus pendens à libera voluntate Prælati, qui potest concedere uni Jurisdictionem fori interni supra gregem suum; & alteri eam negare juxta suum beneplacitum, ut eruditè demonstrat idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 20. num.* 180. & 187. *ac etiam* 198. & nulla lex reperitur, vel divina, vel humana quæ ad hoc adstringat Episcopos; ut docent omnes Theologi, & Canonistæ relati à Cotonio *in Controversiis Illustr. libr. 2. Controver. 7. cap. 3. num. 41. & cap. 4. num. 80. & 81.* & à Nicolio *d. lib. 5. tit. 38. num. 9.* ubi testatur, talem esse usum Urbis, & Orbis.

18 Et hæc veritas eò magis procedit in casu nostro attenta ignorantia, ac insufficientia dictorum Capellanorum, qui denuò examinati, reperti sunt ignorare ea, quæ necessariò scire deberent pro recta administratione Sacramẽti pœnitentiæ; ob quam imperitiam ne dum simplices Capellani, ut sunt antedicti, sed etiam Parochi perpetui Ecclesiarum suspendi possunt ab Episcopis à confessionibus audiendis, tam in Visitatione, quam extra; & docet Fagnanus *in cap. Accepimus. num. 46. De Ætate, & Qualit.* & declaravit S. Congregatio *die 15. Januarii anno* 1667. teste Pignatello *tom. 1. Consult. 132. num. 7.*

Neque se tueri possunt præsumpta sufficientia ex approbationibus habitis à Vicario Generali præteritis annis: Quia, præterquamquod eos approbavit vel nullo, vel leviss̃imo præmisso examine; eo tamen non impeditur Episcopus, quin possit iterum illos examinare; præcipuè completo tempore, ad quod fuerunt approbati; & casu quo eos non reperiat idoneos; nihil obstat, quòd possit, immò quod debeat eos reprobare, ad tradita per eundem Fagnanum *ind. cap. Accepimus. n. 15. 45. & 47. De Ætate & Qualit.* per Barbosam *Decis. Apostolic. Collect. 38. n. 7.* & novissimè per prædictum Emin. Card. de Lauræa *ind. disp. 20. num. 53.*

His rationibus & auctoritatibus motus Vicarius Metropolitanus Aquilejensis licentiavit eosdem Capellanos à petitis, illosque condemnavit in expensis, quas rigorosè exegit ab ipsis Promotor Fiscalis Patavinus, in pœnam temeritatis, ac ignorantiæ; & ad aliorum exemplum. Est igitur certa, & indubitata conclusio, quòd simplices confessarii sæculares admitti possunt ad munus audiendi confessiones non solum tempore indefinito; sed ad tempus limitatum, non excedens spatium unius anni; quo transacto revertentes pro nova approbatione, iterùm examinari possunt; prout servatur in praxi; potissimum super materiis, quarum in præterito examine non habebant perfectam intelligentiam; de quibus ego specialem memoriam tenebam in scriptis in libro particulari *de Confessoribus* intitulato; & hoc pacto, & perstuprum menstruum harum Decisionum Clerus Patavinus celebris evasit in discussione casuum conscientiæ sub regimine Eminen. Cardin Barbadici.

Quo ad Tertium, in quo quæritur, *à Quibus sit faciendaprædicta Confessariorum approbatio*: Non est dubitandum de potestate Papæ, qui per totum orbem terrarum approbare potest confessarios. Suarez *de pœnit. disp. 26. sect. 1. num. 3.* ubi plures *tex.* allegat; & nos offendimus supra *Decis. XIX. num. 31.* neque de Cardinalibus, qui pro se ipsis & pro eorum familia deputare possunt in Confessarium propria auctoritate quemcunque voluerint Sacerdotem, à nullo alio Prælato approbatum, ut pluribus DD. citatis demonstrat Diana *part. 11. tract. 4. resol. 13.* quæ transmeavit in Coordinatum *tom.* 19
1. tract. 3. resol. 23. quapropter tota inspectio hujus quæstii restringitur ad tres personas, videlicet ad Episcopum, seu Ordinarium; ad Monasteria, & Capitula habentia Ecclesias curatas sibi unitas, & de mensa pro audiendis confessionibus in iisdem Ecclesiis; & ad Parochos in deputatione Capellanorum, qui eos adjuvent in administratione Sacramenti Pœnitentiæ.

Circa primas personas, idest Episcopos, seu Ordinarios, certum est ex d. decreto Concilii Tridentini *sess. 23. cap. 15.* spectare ad ipsos examen, ac
20 approbationem Confessariorum; sed quia tres Episcopi possunt considerari circa administrationem Sacramenti Pœnitentiæ unius solius personæ; nempè Episcopus loci, in quo Sacramentum administratur; Episcopus, cui subditus est pœnitens; & Episcopus Superior Confessarii; magna est controversia inter Scholasticos, & Moralistas, quis horum trium Episcoporum debeat approbare confessarium, tum quo ad idoneitatem, tum quo ad impertiendam ei Jurisdictionem, ut licitè, ac validè possit absolvere pœnitentem à peccatis. Quatuor opiniones refert Barbosa *de Offic. & pot. Episc. alleg. 25. à num. 26. & seqq.* Prima dicit, sufficere approbationem cujuscunque ex prædictis tribus Episcopis, Henriquez *libr. 6. cap. 6. §. 7. & libr. 7. cap. 12.* Valerius *de Differ. utriusque fori. Verb. Absolutio. diff. 1. num. 62.* Secunda requirit approbationem ab Episcopo ipsius pœnitentis. Gutierez *QQ. Canonic. libr. 1. cap. 27. num. 6.* Tertia asserit necessariam esse approbationem Episcopi ipsius Confessoris. Reginaldus *libr. 1. n. 185.* Suarez *disp. 28. sect. 8. à num. 3.* Quarta tenet, requiri, quòd Confessarius sit approbatus ab Episcopo Diœcesano, idest ab Episcopo illius loci, in quo administratur Sacramentum Pœnitentiæ, & audiendæ sunt confessiones; & hanc amplectitur tanquam veriorem ipse Barbosa *d. alleg. 25. n. 30.* eamque probat pluribus rationibus, ac Auctorum multitudine; & præcipuè ob declarationem Sacræ Congregationis relatam à Beja *part. 4. Casu 20. Vers. Tandem*, quæ dicit: *Approbatum ab alio, quàm à Valentino Episcopo, in Diœcesi Valentina non censeri approbatum ab Ordinario.* Aliam quoque declarationem refert ipse Barbosa *sub num. 32. In una Calaguritana die 6. Junii* 1608. quæ sic loquitur: *Confessarius tam secularis, quàm Regularis in una Diœcesi approbatus ad audiendas personas-*

personarum sæcularium Confessiones, non potest in alia eásdem Confessiones audire absque Episcopi Diœcesis approbatione. Hanc eandem quartam opinionem tenet, & comprobat pluribus argumentis Emin. Cardin. de Lauræa *disp. 20. de Sacram. Pœnit. art. 3. à num. 83. & seqq.* illamque servat praxis totius orbis; & hisce temporibus non est recedendum ab illa; stante novissima Constitutione Clementis Papæ Decimi, *Incipien. Superna &c. die 20. Maii 1670.* in qua §. 4. ita decernit: *Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad Confessiones Sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire; quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerunt approbati.* Et hæc determinatio circa confessarios Regulares multò magis comprehendit Confessarios Sæculares, adeòut nunquam possint audire confessiones, nisi sint approbati, ac licentiam, facultatemque obtinuerint ab Episcopo loci, & Diœcesis, in qua sunt eas audituri: undè corrigendi sunt Moralistæ contrarium scribentes, & docentes, quòd Confessarii absque approbatione Episcopi loci, in quo volunt audire confessiones, possunt audire confessionem subditorum illius Episcopi, à quo fuerunt antea approbati; ita allerebat Tamburinus *de Jure Abbat. tom. 2. disp. 6. quæst. 14. n. 4.* Diana Coordinatus *tom. 1. tract. 3. resol. 9. 10. & 11.* & alii ibi ab eo allegati; sed hæc assertio proscripta est in supradicta Clementina. Nomine verò Episcopi Diœcesani, seu loci veniunt etiam Abbates, & alii Prælati inferiores habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio, & populo exempto, ut bene notat idem Tamburinus *d. disp. 6. quæst. 11.* Reginaldus *lib. 1. num. 182.* & Barbosa *d. alleg. 25. n. 9.* ubi nominat diversos Prælatos hujusmodi conditionis; & idem docent omnes Beneficialistæ, Campanil. *in Divers. Juris. Canon. Rubric. 12. cap. 13. num. 76.* Riccius *in Decis. Curiæ Neapol. part. 4. Decis. 22. nu. 4.* & Ciarlinus *libr. 2. cap. 208. num. 46.* prout etiam Vicarius Capitularis sede Episcopali vacante. Suarez *disp. 28. sect. 5. n. 2.* & Barbosa *ubi supr. n. 10.*

Circa secundas personas; nempè Monasteria; aut Capitula, quæ habent Ecclesias curatas sibi subjectas, unitas, ac de Mensa; dicendum est, eorundem Prælatos, Abbates, seu Archipresbyteros non posse approbare Sacerdotes pro audiendis confessionibus in iisdem Ecclesiis; sed debere illos eligere, ac præsentare Episcopo Ordinario loci, ut eos approbet, examinando illos quo ad idoneitatem; & subinde, si idoneos eos repererit, ut illis impertiat Jurisdictionem, ac facultatem absolvendi pœnitentes; ea ratione quia populus non est subjectus Monasteriis, vel Capitulis, sed ipsi Episcopo; ideò ab ipso tanquam proprio Pastore deleganda est potestas audiendi Confessiones suarum ovium; ac illas Sacramentaliter absolvendi, ut eruditè disserit Eminentiss. Cardin. de Luca *in tract. de Parocho disc. 12. num. 3. & in tract. de Jurisdictione disc. 14. & 15.* Et hoc fuit unum ex tredecim Capitibus; in quibus diu litigatum fuit inter Curiam Episcopalem Patavinam, ac Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, cui à nonnullis suasum fuerat, spectare ad ipsum Capitulum dare facultatem administrandi Sacramenta, & audiendi Confessiones Curato, ac Capellanis in Ecclesia Parochiali Villæ Farræ Paduanæ Diœcesis, unita mensæ Capitulari ab Eugenio Papa IV. *Anno 1439.* ad hoc, ut ex ejus fructibus augerentur distributiones quotidianæ pro residentibus in Choro ejusdem Cathedralis, cum onere manutenendi in illa Parochum pro cura animarum, eligendum ab ipso Capitulo. Dicebant consultores prædicti Capituli, non posse Curiam Episcopalem approbare Curatum, ac Capellanos Ecclesiæ Farræ, nisi quo ad idoneitatem, ac doctrinam; quo verò ad Jurisdictionem, & potestatem administrandi Sacramenta, ac audiendi Confessiones, Jus esse in Capitulo, quia agebatur de Ecclesia sibi pleno jure incorporata, ac annexa; & ostendebant mandatum quoddam *diei 8. Mensis Novembris anni 1604.* in quo dicebatur, quod Sacerdoti tunc electo per Capitulum, & per Curiam Episcopalem idoneo reperto, ipsum Capitulum dabat facultatem, ac licentiam exercendi Curam animarum Villæ Farræ, & in ea exercendi Sacramenta. Respondebant Curiæ Episcopalis defensores (inter quos egregius Advocatus Venetus Petrus de Marinis, morum integritate, consiliorum rectitudine, ac perorandi eloquentia, eruditione, ac energia præclarissimus) respondebant inquam, quòd concessio dictæ facultatis, ac licentiæ non poterat intelligi de facultate authorizabili, proveniente à Clavibus Ecclesiæ, & à jurisdictione spirituali super populum Villæ Farræ, quæ in solo Episcopo Diœcesano residet, & ab eo emanare debet, prout semper emanavit in approbatione facta Curatorum ejusdem Ecclesiæ quo ad utrumque effectum per duo sæcula, & ultra; & concludenter ipsa Curia Episcopalis demonstrabat, quod Bulla Eugeniana Unionis concedebat Capitulo solum jus colligendi fructus temporales Ecclesiæ Farræ, & Facultatem eligendi Curatum, illumque præsentandi Episcopo Patavino, ut ab eo approbaretur tum quo ad idoneitatem tum quo ad impertiendam eidem Jurisdictionem, ac potestatem administrandi Sacramenta, & audiendi Confessiones fidelium ejusdem Villæ Farræ; prout in terminis loquitur Rota *part. 1. Diversor. Decis. 758.* & scribunt idem Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. discurs. 12. num. 3. de Paroch. & disc. 14. ac 15. de Jurisdict.* novissimè Pignatellus *tom. 1. Consult. 136. num. 15.* Addebat Curia Episcopalis, quòd etiam Unio fuisset facta pleno Jure quoad temporalia, ac spiritualia; adhuc remanente populo sub jurisdictione Episcopi ab eodem exigenda erat facultas audiendi confessiones ejusdem populi; in quem Capitulum nullam habet superioritatem; itaut neq; Dominus Archipresbyter caput Capituli posset personaliter audire confessiones prædicti populi, aut exercitium Curæ animarum assumere sine licentia Episcopi, ut in puncto tradit Rota *part. 4. recent. Decis. 448. num. 12. part. 5. tom. 1. Decis. 53. num. 37. part. 10. Decis. 83. num. 12.* & coram Card. Seraphino *Decis. 1009. num. 5.* & testatur Dominus Turricellius J. C. Patavinus *in tract. de Unione cap. 4. num. 45.* Tandem eadem Curia ostendebat exemplum Abbatum Sanctæ Justinæ de Padua; Canonicorum Lateranensium, Candianæ, ac aliorum habentium plures Parochiales sibi unitas pleno jure, ac de mensa, in quibus tamen sola electio Curatorum spectabat ad eosdem Abbates; approbatio verò quo ad idoneitatem, & quo ad authorizabilem ad Episcopum Paduanum propter prædictam rationem, quòd populi illarum Ecclesiarum sunt subjecti Episcopo, non autem ipsis Abbatibus. Quare *Anno 1693.* decisum fuit ad favorem Episcopi

in

in supraſcripto jurgio approbationis Curati Villæ Farræ.

Circa tertias perſonas, nempe Parochorum, Moraliſtæ ferè omne junctis pedibus deſcendunt in
25 hanc aſſertionem, quòd Parochi poſſunt concedere Jurisdictionem, & facultatem audiendi Confeſſiones ſuorum Parochianorum illis Sacerdotibus, qui quo ad idoneitatem tantùm fuerunt approbati ab Epiſcopo; ea ratione, quia Parochi habent ordinariam Jurisdictionem in ſuos Parochianos, qui autem habet Jurisdictionem ordinariam, poteſt eam alteri delegare. *cap. Inter cætera. De Offic. Ordinar.* Suarez *de Pœnitent. d. diſp. 26. ſect. 1. num. 3.* Navarrus *in cap. placuit. num. 48. de Pœnitent. diſt. 6.* idcircò Parochos poſſe aſſumere in ſuos coadjutores pro Confeſſionibus audiendis propriorum Parochianorum Sacerdotes approbatos ab alienis Epiſcopis, non habentes jurisdictionem ab Epiſcopo loci Superiore eorundem Parochorum docet per plures reſolutiones Diana Coordinatus *d. tom. 1. tract. 3. reſol. 11. 12. 13. & 14.* ubi DD. Porrò apud me hæc aſſertio non intrant, & eam in praxi nunquam habere locum obſervavi; ſi enim eſſet vera, ſequeretur, quòd omnes illi, qui concurrunt ad aliquod beneficium Parochiale, & ab examinatoribus ſynodalibus coram Epiſcopo approbantur quo ad ſcientiam; & mores, poſſent absque mandato, ſeu licentia Epiſcopi vocari à Parochis ad audiendas confeſſiones in eorum Eccleſiis; quod quidem à nemine fit; & ſi fieret, non tardarent Epiſcopi punire hujusmodi Confeſſarios, ſemiapprobatione, ſcilicet quo ad idoneitatem tantùm, fultos.

Dicendum eſt igitur, Parochos non poſſe aſſumere in Confeſſarios pro ſe, ac ſuis ovibus, niſi Sacerdotes approbatos completè ab Epiſcopo, & quoad idoneitatem, & quo ad jurisdictionem, ac expreſſam facultatem habentes audiendi confeſſiones; quandoquidem Parochi circa Sacramentum Pœnitentiæ non habent Jurisdictionem aliis per ipſos delegabilem. Primò, quia Jurisdictio eorundem Parochorum non eſt propriè jurisdictio. Butrius *in cap. Cum ab Eccleſiarum. num. 23. ad fin. De Offic. ordinarii* quem laudet, & ſequitur Loterius *de benefic. libr. 1. quæſt. 5. n. 37.* ſed eſt exercitium Jurisdictionis delegatum Parochis per collationem beneficii, vel per deputationem ab Epiſcopo factam ad regimen alicujus Eccleſiæ Curatæ. Idcircò non poſſunt ſuum miniſterium, quoad confeſſiones ſubdelegare. Suarez *d. diſp. 26. ſect. 1. num. 2.* Secundò, quia eſtò quòd lato modo Parochi dicantur habere Jurisdictionem; habent Jurisdictionem delegatam, non autem ordinariam; hæc enim ſupponit Magiſtratum, & concernit in univerſum Res, & Perſonas; illa verò eſt reſtricta ad certas perſonas tantùm; & ideò Parochi non habent vim coercitivam, neque judicium circa res Eccleſiæ; ſed tantùm in foro interno circa perſonas limitatas intra confines ſuæ Parochiæ *l. 1. C. Ubi, & apud quem. l. Legatus. ff. de Offic. Proconſ.* Cephalus *conſ. 358. n. 2.* Neque obſtat, quod etiam delegatus poteſt ſubdelegare. *cap. Si pro debilitate. De Offic. delegati. cap. Cùm cauſam. De Appellat. l. A. judic. C. de Judic. l. 1. C. Qui pro ſua Jurisdict.* Nam reſpondetur, procedere in delegato à Principe; ſecùs in delegato ab inferiore. M. Ant. Peregrinus Eques Patavinus *in tractat. Variis libr. 1. ad Rubr. de Officio, & Poteſt. Jud. deleg. num. 6.* Parochi autem ſunt delegati ab Epiſcopis inferioribus Papa ad regimen animarum; imò potiùs ſunt ſubdelegati; nam omnes Epiſcopi ſunt delegati à Summo Pontifice tanquam ſupremo, & univerſali Paſtore ad regimen Animarum; & ideò dicuntur vocati in partem Paſtoralis ſollicitudinis. *cap. Decreto 11. cum ſeqq. 2. quæſt. 6. cap. Multum. 3. q. 6.* Loterius *d. libr. 2. quæſt. 22. num. 25.* & per conſequens Parochi ſubdelegantur ab Epiſcopis in eodem regimine, & ſic ſubdelegare alios non poſſunt in audiendis confeſſionibus, & abſolvendis pœnitentibus à peccatis. Tantò minùs, quia in hoc miniſterio cenſetur electa induſtria propriæ perſonæ ipſius Parochi; quo caſu prohibita eſt ſubdelegatio. *cap. fin. §. 1.* & ibi Abbas, & DD. *De Offic. Deleg.* M. Ant. Peregrinus *ubi ſupra n. 7.* Loterius *d. lib. 2. quæſt. 2. n. 32.* & Pax Jordanus *lib. 13. tit. 6. à num. 26. & ſeqq.* Neque implicat, quòd Parochi ſubdelegant absque ſcrupulo alios Sacerdotes ad alia Sacramenta ſuis Parochianis adminiſtranda, ſcilicet Baptiſmum, Euchariſtiam, Extremam Unctionem, ac etiam Matrimonium. Falis enim eſt reſponſio, quia prædicta Sacramenta, etſi ſpectent ad Parochum, non requirunt Jurisdictionem, ſed ſolum Sacerdotium in aliis; in Matrimonio autem expreſsè à Concilio Tridentino permittitur Parochis, ut alium Sacerdotem poſſint deputare ad adſiſtendum, ut *in ſeſſ. 24. de Refor. Matrim. cap. 1.* ibi: *Qui aliter, quàm præſente Parocho; vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, &c.* Igitur concluſio ſit, non poſſe Parochos committere Sacerdotibus approbatis tantùm quo ad idoneitatem, ut audiant Confeſſiones ſuorum Parochianorum; quia non ſpectat ad ipſos Parochos impertiri jurisdictionem, & auctoritatem Clavium ligandi, ac ſolvendi pœnitentes; ſed ad ſolum Epiſcopum, ut expreſsè loquitur Concilium Tridentinum *d. ſeſſ. 23. cap. 15.* & ſervatur in praxi in hoc Epiſcopatu Patavino; in quo eſt expreſsè prohibitum cuicumque audire confeſſiones ſine licentia Epiſcopi, ut legitur *in Conſtit. Synodal. part. 2. cap. 14. Verſ. Nullus.* ubi ita eſt ſancitum ab Epiſcopo: *Nullus ad hoc munus obeundum accedat, niſi vel prævio examine facultatem à Nobis impetrarit, vel animarum cura præſit.* Quam prohibitionem eſſe juſtam, ac validam demonſtrat Diana Coordinatus *tom. 1. tract. 3. reſol. 22. num. 25. & 26.* quæ in Veteri eſt *part. 11. tract. 4. reſol. 13.*

Quo ad quartum. Si petamus, & requiramus, *quibus in caſibus prædicta plena Epiſcopi approbatio non ſit neceſſaria pro confeſſionibus audiendis.* In primis referendi ſunt plures caſus, in quibus Scholaſtici, ac Moraliſtæ docent, non eſſe neceſſariam approbationem Epiſcopi pro confeſſionibus audien- 26
dis, quamvis eorundem DD. opiniones, & aſſertiones hodie ſint proſcriptæ, ac reprobatæ; ut paſſim notabimus, ad certam inſtructionem ſtudioſorum in hoc quæſito. Primò docebant, pro abſolutione à Venialibus quemlibet Sacerdotem ſimplicem eſſe Miniſtrum Sacramenti Pœnitentiæ, & abſolvere poſſe abſque approbatione Epiſcopi, aſſerentes Jurisdictionem concedi univerſaliter ab Eccleſia. Ita Averſa *quæſt. 16. de Miniſtr. Sacrament. Pœnit. ſect. 3.* Eminentiſſ. Cardin. de Lugo *diſp. 18. ſect. 3. num. 41.* Diana, alios DD. cumulans in Coordinato opere *tom. 1. tract. 4. reſol. 10.* nec non *in tom. 3. tract. 1. reſol. 39.* & Salmanticenſes *d. tract. 6. cap. 11. à num. 8. & ſeqq.* Sed, (præterquam quod hanc opinionem impugnabant, & non veram oſtende-

bant

bant Bordonus *Var. Resol. part.* 1. *resol.* 36. *num.* 57. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *disp.* 19. *art.* 10. *per totum*; & alii per nos citati supra *in Decis. XV. num* 30.) nunc reprobata, & expressè damnata est hæc doctrina, ac talis opinio ab Innocentio Papa XI. in suo Decreto Communionis Quotidianæ *die* 12. *Februarii Anni* 1679. quod ego posui, & transcripsi in meis Decisionibus *De Venerabili Eucharistia Sacramento in Decis. X. num.* 11. & de eadem reprobatione loquitur Cardenas *in sua Crisi Theolog. Dissert.* 2. *capit.* 6. *à num.* 416. *& seqq.* Secundò negabant necessitatem approbationis pro nova absolutione à peccatis aliàs confessis, ac dimissis, quamvis mortalibus, ob eandem rationem, quam de Venialibus allegabant; scilicet non esse materiam necessariam Sacramenti pœnitentiæ, sed tantum deficientem Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp.* 18. *sect.* 3. Laym. *de Sacram. Pœnitent. cap.* 10. *num.* 2. Salmanticenses *d. cap.* 11. *num.* 15. Sed & hæc opinio est deserenda; quia etiam peccata jam confessa, & remissa, si noviter subdantur Clavibus per reiteratam confessionem, datur vera, ac valida absolutio, ut ostendimus supra *Decis. XXXV. num.* 8. ideò opus est approbatione Episcopi, & quòd per eam jurisdictio habeatur. Tertiò flocci faciebant approbationem prædictam pro absolutione à mortalibus inculpabiliter oblitis, dum ea pœnitens recordatur, & confitetur. Diana Coordinatus *tom.* 7. *tract.* 1. *resol.* 87. existente in veteri *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 44. *alias* 46. *ubi* DD. At etiam ab hac opinione est cavendum; eam enim reprobant Candidus *Disquisit.* 24. *art.* 66. *dub.* 2. *num.* 5. Leander *quæst.* 13. quem citant, & sequuntur Salmanticenses *d. tractat.* 6. *cap.* 11. *num.* 18. Quartò concedebant non esse necessariam dictam approbationem Doctoribus, Licentiatis, ac Magistris; sed rejicitur & hæc doctrina, tanquam erronea à DD. quos cumulant, & commendant Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 11. *num.* 94. stante Constitutione B. Pii V. edita anno 1571. *Incipien. Romani Pontifices &c.* in qua præcipit Magistros, ac Doctores in Theologia esse approbandos ab Episcopis prævio examine ad Confessiones audiendas. Et quintò asserebant, quod Prælati Regulares non egebant prædicta approbatione pro confessionibus, quia quodammodò videntur Parochi, cum habeant regimen Monasterii, seu Conventus. Ita DD. apud Henriquez *libr.* 7. *de Indulgent. cap.* 12. *num.* 3. in glossa *litt. K.* Valerius *in Different. utriusque fori Verb. nullitas diff* 5. *n.* 3. & alii apud Dicastillum *disp.* 10. *dub.* 9. *num.* 265. Sed meritò exploditur & hæc opinio à DD. allegatis per Salmanticenses *d. cap.* 11. *num.* 93 rectè advertentes, quod illæ Prælaturæ non significantur nomine beneficii Parochialis, de quo loquitur Concilium Tridentinum *d. sess.* 23. *cap.* 15. & ideo videbimus, quòd Abbates, Priores, Guardiani, & alii Superiores Monasteriorum volentes audire confessiones Sæcularium accedunt ad Episcopum pro approbatione ac mandato.

Igitur pro responsione propositi quæsiti dicendum est, Unum tantùm esse casum, in quo non est opus approbatione; videlicet articulus, seu peri-
27 culum mortis. In hoc casu omnes Sacerdotes habent sufficientem Jurisdictionem absolvendi à quibuscunque censuris, ac peccatis quomodolibet reservatis, ut declaravit Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 7. in illis verbis: *Veruntamen piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possint.* Et equidem in prædicto casu nullus Sacerdos excipitur, etiamsi esset excommunicatus, hæreticus degradatus, suspensus, vel irregularis, ut docent Suarez *disp.* 26. *sect.* 4. Sanchez *in Decalog. libr.* 2. *cap.* 13. *à num.* 6. Eminentiss. Cardin. de Lugo *disp.* 18. *sect.* 2. *num.* 18. & alii plures apud Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 57. Quæ est in Coordinato *tom.* 1. *tract.* 5. *resol.* 2. & apud Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 11. *num.* 20. ubi *num.* 23. bene docent articulum mortis esse, quando proximè, certò, moraliter, & ferè invincibiliter mors instat; periculum verò, quando sub dubio, vel timore probabili mors expectatur, ut in prælio, in morbo periculoso, in difficili partu, in longa navigatione, & similibus. Quamvis autem aliqui DD. putent, non esse idem dicendum in periculo mortis, quod dicitur in articulo; communior tamen opinio, est nullam esse differentiam quoad prædictam facultatem absolvendi sivè in articulo, sive in periculo mortis: illæ enim voces reciprocè in jure usurpantur, *cap. Si quis suadente* 17. *quæst.* 4. *cap. Eos, qui. De Sent. excommunic. in* 6. & ita scribunt Suarez *d. disp.* 26. *sect.* 4. *num.* 43. & alii plurimi relati à Salmanticensibus, *ubi supra num.* 24. addentibus sub periculo mortis comprehendi periculum futuræ amentiæ; nec non eos, qui sunt in captivitate; hi enim omnes à quocunque Sacerdote possunt absolvi, ac si essent in articulo mortis.

Sed quid juris si in eo articulo, vel periculo adsit Sacerdos approbatus? poteritne non approbatus absolvere? Sunt hinc inde opiniones probabiles ob 28
rationem ac multitudinem Doctorum pro utraque militantium, quos cumulant Salmanticenses *ubi ante num.* 29. & 30. qui adhærent negativæ, illam limitantes, quando Parochus, vel Sacerdos approbatus recusaret audire Confessionem moribundi, vel existentis in periculo mortis, aut superveniret, incœpta jam confessione coram non approbato; hic enim posset continuare in audienda illa, & absolvere; prout etiam si esset repetenda confessio coram eodem non approbato facta, ob nullitatem absolutionis ex aliquo defectu pœnitentis puta mendacii, non doloris sufficientis, vel sine proposito emendandi. Porrò, si in dicto articulo, vel periculo mortis pœnitens irretitus esset excommunicatione, & superveniret Superior habens facultatem absolvendi ab illa, ab ipso esset priùs recipienda absolutio à censura deinde eo nolente audire confessionem peccatorum, posset pœnitens ea confiteri Sacerdoti non approbato. Sanchez *d. libr.* 2. *cap.* 13. *num.* 15. Salmanticenses *ibid. num.* 36. addentes *num.* 37. quòd completa confessione coram non approbato & recepta ab eo absolutione; si superveniat approbatus, & pœnitens iterum velit aliqua peccata oblita confiteri; id facere debet coram approbato; quia hæc est nova confessio à priori independens Sanchez *d. c.* 13. *num.* 15. Tandem, an in defectu Sacerdotum possint Angeli in articulo mortis absolvere à peccatis? Videatur Diana *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 14. quæ transitum fecit in Coordinati operis *tom.* 1. *tract.* 4. *resol.* 16. De Sacri Viatici administratione 29
exemplum habemus in S. Raymundo Nonnato, de quo ait Breviarium Romanum *die* 31. *August. Lect.* 6.

Cumque morbus ingravesceret, & Sacerdos diutius tardaret, Angelorum ministerio sub specie Religiosorum sui Ordinis apparentium salutari Viatico refectus fuit.

Quo ad Ultimum. Si quærimus, *Quando approbatio jam concessa pro audiendis confessionibus expiret?* Tres casus sunt distinguendi. Primus est, quando concessa fuit ad tempus limitatum; videlicet ad sex menses; vel ad annum; ut hisce temporibus faciunt Episcopi cum quiscunque Confessariis, & est mos Urbis, & Orbis, ut ait Nicolius *in Lucubrat. Canonicis d. libr. 5. tit. 38. num. 9.* & in hoc casu extra omnem controversiam est, quod expirato tempore, expirata etiam est ipsa approbatio; nam limitata, causa limitatum producit effectum Menoch. *consil. 24. num. 19.* & *consil. 414. num. 1.* Secundus casus est, quando data est approbatio indefinitè, & illimitatè; & in hoc casu durat etiam post mortem concedentis, & donec revocetur à Successore. Sanchez. *de Matrimon. libr. 8. disp. 28. num. 72.* Garzias *de Benefic. part. 6 cap. 2. num. 321.* Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 11. num. 80.* ubi DD. plurimos congerunt ita scribentes, ob eam rationem, quia approbatio, quæ fit ab Episcopo, ut simplices Sacerdotes possint audire confessiones, est gratia; gratia autem de jure non expirat morte concedentis. *cap. Si super gratia 9. De Offic. Deleg. in 6. & in cap. Sicut 36. De Præbend. eod. lib. 6.* Hinc praxis ostendit, quòd mortuo Episcopo, Confessarii antea ab eo approbati continuant suum ministerium, donec Vicarius Capitularis revocet eorum facultates; quod circa Confessarios Sæculares facere non est ei prohibitum. Marchettus *in Praxi Vicar. Capitul. part. 2. tit. 17. num. 15.* & Diana *part. 8. tract. 4. resol. 48.* reposita in Operis Coordinati *tom. 3. tract. 3. resol. 33. §. 2.* Et quod dicitur de morte Episcopi, procedit etiam de cessatione ejus ab Officio, ut si cedat dignitati, aut ea privetur; vel per incursum in censuras jurisdictione exuatur. Aversa *quæst. 16. sect. 4.* Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 11. num. 82.* Tertius casus est, quando Episcopus concessit licentiam Confessario audiendi confessiones his verbis: *Ad beneplacitum nostrum.* Vel, *Donec voluero*; seu, *dum fuerit nostra voluntas*; aut *Ad arbitrium voluntatis nostræ*; sivè, *Dum nobis placuerit.* Et in his casibus per mortem concedentis expirat facultas Confessarii; nam beneplacitum, & voluntas personæ pendet ab ipsa persona; qua extincta per mortem, etiam beneplacitum, & voluntas extinguitur. Ita Suarez *disp. 27. sect. 4.* Reginaldus *libr. 5. num. 95.* & Salmanticenses alios DD. allegantes *d. cap. 11. num. 85.* ubi subdunt, aliud esse dicendum, si Episcopus dixisset in licentia, se eam dare; *donec revocavero*; vel *donec aliter disposuero*; quia per mortem supervenientem impeditur actus revocationis, & contrariæ dispositionis.

Corollarii loco notandum est iste casus. Vocatur Confessarius habens licentiam suam limitatam ad tempus, ut audiat confessionem Parochi necessariò celebraturi Dubitat Confessarius, an duret sua licentia? timet tempus ejusdem expirasse. Poteritnè audire & absolvere? affirmativè respondent Suarez *disp. 26. sect. 6.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *disp. 29. num. 28.* Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 11. num. 72.* sub conditione, *si mea licentia durat.* Ratio est, quia nullus est abusus Clavium cum dicta conditione; nam si adest jurisdictio, fiet Sacramentum, & proficit pœnitenti; si vero non adsit, nihil ponitur in esse & tantummodo ipse pœnitens monitus deinde de veritate, si licentia expirasset, teneretur, iterum confiteri. Id autem fieri non debet, nisi urgente necessitate.

DECISIO XXXVIII.

ARGUMENTUM.

De Approbatione Confessariorum Regularium pro audiendis secularium personarum Confessionibus tractatur in præsenti Decisione, Recensentur eorundem Regularium Privilegia antiqua, eaque declarantur, distinguendo tria Jura; Jus vetus Extravagantium, Jus novum Concilii Tridentini; & Jus novissimum Constitutionis Urbani Papæ VIII. Disputatur, An Regulares Confessarii habeant Jurisdictionem à Papa; vel ab Episcopis? Quomodo sit danda licentia Regularibus audiendi Confessiones Laicorum? Et quando jam data limitari, vel revocari possit? pluraque alia dubia proposita deciduntur, tum ex declarationibus Sacræ Congregationis Concilii; tum ex Constitutione Clementis Papæ X. Anni 1670.

SUMMARIUM.

1 *Monachi quando cœperint audire Confessiones Laicorum? & quando Ordines Mendicantium?*
2 *Privilegia cur data Regularibus circa Prædicationem, & Confessiones?*
3 *Privilegia Regularium in corpore Juris inserta, quæ sint?*
4 *Bonifacii VIII. privilegium pro Confessariis Regularibus.*
5 *Benedicti XI. aliud privilegium pro iisdem.*
6 *Clementis V. ordinatio pro Confessariis Regularibus.*
7 *Regulares Confessarii olim à suis Superioribus tantùm examinabantur.*
8 *Examen & approbatio Regularium Confessariorum spectat ad Episcopos tantum ex Decreto Conc. Trid.*
9 *Urbanus VIII. cassat, & irritat omnia privilegia Regularium quo ad examen, & approbationem eorum pro Confessionibus audiendis.*
10 *Jurisdictionem pro absolvendis pœnitentibus sæcularibus an Regulares recipiant à Papa, vel ab Episcopis Diœcesanis?*
11 *Glossæ in Sacros Canones auctoritas.*
12 *Jurisdictio pro Confessionibus ante Concil. Trid. debetur Regularibus ab Episcopis.*
13 *Privilegia omnia Regularium circa Confessiones Laicorum revocata.*
14 *Moralistarum assertiones non vere circa Confessarios Regulares.*
15 *Auctoris opinio circa jurisdictionem Regularium Confessariorum.*
16 *Appellare possunt Regulares idonei à denegata licentia audiendi Confessiones, non etiam Presbyteri sæculares.*
17 *Regulares Confessarii an sint approbandi tempore limitato?*

18 *An li-*

18 *An licentia eis data possit revocari?*
19 *Lis inter Episcopum Paduanum, & Regulares Confessarios Anno 1653.*
20 *Quæsita, & Responsa S. Congregationis pro Confessariis Regularibus Anno 1654.*
21. *Parochi possunt iterum examinari ab Episcopo quoad scientiam.*
22 *Revocare licentias Confessionum Regularibus quando liceat?*
23 *Licentia Confessionum data ad tempus, eo elapso expirat.*
24 *Vicarius Capitularis an possit examinare Regulares Confessarios?*
25 *Confessarii Regulares approbati ab Episcopo, an etiam à suis Superioribus sint approbandi?*
26 *Abbates, aliive Superiores Regularium an possint audire Confessiones secularium sine licentia Episcopi?*
27 *Oracula vivæ vocis sunt omnia revocata.*
28 *Regulares Confessarii an teneantur interesse Congregationi Casum Conscientiæ?*
29 *Regulares Curati debent dare refectionem in die Congregationis Casuum.*
30 *Pœna Confessarii non approbati audientis Confessiones.*
31 *Regulares approbatiab Episcopo ad Confessiones secularium non possunt mitti à suis Superioribus ad audiendas illas Moniatium sibi subditarum.*
32 *Clementis X. Constitutio decisiva omnium dubiorum circa licentias pro Confessariis Regularibus*

ACtum est in præcedenti de approbatione Confessariorum sæcularium; in præsenti agere oportet de eorundem Regularium approbatione, ad effectum, ut ipsi personas sæculares, quæ peccata sua iisdem Regularibus confitentur, possint absolvere. Ut autem perfectam cognitionem studiosus lector consequatur circa facultatem, quam Regulares habent audiendi confessiones Laicorum, tria jura sunt distinguenda, ac observenda; videlicet jus antiquum, jus novum & jus novissimum.

Quod attinet ad jus antiquum. Hoc consistit in
1 Privilegiis concessis per Summos Pontifices Ordinibus Religiosis tum Monasticis, tum Mendicantibus audiendi confessiones Laicorum, & eos absolvendi à peccatis: siquidem statim post redditam pacem Ecclesiæ, sub Constantino Magno, florere cœperunt Regulares Ordines sanctitate, ac doctrina; quarum virtutum intuitu iidem tum Canonici, tum Monachi sacramenta administrandi, & confessiones Sacramentales audiendi munus susceperunt; ut testatur de eis S. Ambrosius, evectus ad Archiepiscopatum Mediolanensem *Anno* 374. sic scribens *in cap. Dictos. 16. quæst. 1. Doctos ac probos Monachos Presbyterii honore dedicatos, baptizare, prædicare, pœnitentiam dare, debita miseris laxare, &c. moderata dispensatione commendamus.* Et S. Gregorius Magnus electus Papa *Anno* 590. *Anglorum gentis conversionem meditatus, Augustinum Monasterii sui Pæfectum, virum Sanctissimum, cum aliis quibusdam Monachis sociis misit in Angliam,* ut ex Eminentiss. Cardin. Baronio transcribit Spondanus *Anno* 596. *n.* 2. & ad favorem aliorum Monachorum, qui in Italia curam animarum gerebant, & excipiebant Laicorum confessiones *in cap. Moderamine. ead. causa* 16. *quæst.* 1. idem S. Gregorius Papa ita rescripsit: *Moderamini Apostolicæ auctoritatis decernimus, ut Monachi, si Presbyteri honore dedicati sunt, cum ligandi, solvendique potestate, decimarum, primitiarum, &c. portionem, non minùs, quàm cæteri Sacerdotes sibi vendicent.* Et quoniam plures ab invidia agitati garriebant contra Confessarios Monachos (quorum duodecim Monasteria erecta fuerant à Sancto Benedicto usque *de Anno* 494. ut notat idem Spondanus *ibid. n.* 16.) Bonifacius Papa Quartus, qui Cathedram Divi Petri ascenderat *Anno* 607. objurgat detractores *in cap. Sunt nonnulli.* 16. *quæst.* 1. & commendat Monachos confessariorum munus exercentes ita dicens: *Sunt nonnulli, nullo dogmate fulti, audacissimè quidem, zelo magis amaritudinis, quàm dilectionis inflammati, asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo vivunt, Sacerdotalis Officii penitus indignos, neq; pœnitētiam christianitatē largiri, neq; absolvere posse per Sacerdotalis Officii divinitus sibi injunctam potestatem: sed omnino labuntur, neque enim beatus BENEDICTUS, Monachorum Præceptor Almificus, hujus rei aliquo modo fuit interdictor: sed eos secularium negotiorum edixit expertes fore tantummodò* Et Paulo infra: *Nos verò tantorum Patrum instituti exemplis (quibus periculosissimum est refragari credimus à Sacerdotibus Monachis ligandi, solvendique Officium, Deo operante, dignè administrari, si eos dignè contigerit hoc ministerio sublimari.* Engitur, quòd per spatium undecim sæculorum, & ultra, ex sacrarum Canonū testimonio, Monachi audiebant Confessiones Laicorum; eisque Sacramenta Ecclesiæ administrabant; & idem munus ab ipsis assumptum fuisse in antedictis transactis sæculis affirmant Canonistæ, quos citat, & sequitur Lezana in suis Consultationibus variis *consult.* 41. *num.* 47. Monachos autem imitati sunt Regulares Mendicantes exorti in Ecclesia tam ante, quam post decimum sæculum, & præcipuè Carmelitæ, Eremitæ Sancti Augustini, Prædicatores à S. Dominico instituti; Minores à S. Francisco; & alii multi, quorum ortum recenset Barbosa *de Jure Eccles. Univers. lib.* 1. *cap.* 41. *per tot.* qui omnes vineam Domini ingressi, eam ingentibus laboribus coluerunt doctrinis, ac exemplis, & præcipue prædicatione Verbi Dei, & administratione Sacramenti Pœnitentiæ.

Porro ob non leves controversias, quas Regulares, etsi coadjutores Cleri Sæcularis, cum eodem contraxerant, potissimum in concionibus, & in audiendis laicorum confessionibus, Summi Pontifices illos exemptos fecerunt à Jurisdictione Ordinariorum, ac pluribus Privilegiis eosdem tutati sunt; quorum aliqua in corpore juris, & intra Sacros Canones sunt inserta; alia collecta leguntur apud Cassarubium, Confettium, Mirandam, Joannem à Cruce, Peyrinum, Portelium, utrumque Rodriquez ac Lezanam *in Summa tom.* 5. *& tom.* 6. in quibus commentaria facit super Privilegia, *Maria Magna* nuncupata Regularium Mendicantium, & referuntur novissimè à P. Augustino à Virgine Maria Carmelita Strictioris observantiæ; qui omnia Privilegia Ordinum Mendicantium, & non mendicantium summatim narrat usque ad Alexandrum VII. inclusivè, præter ea, quæ leguntur in duobus elaboratissimis; ac eruditissimis tomis Bullarii Cassinensis; & alia relata à R. P. D. Virginio Alviset Monacho Benedictino in suo Tractatu *de Privilegiis Regularium* impresso Venetiis *Anno* 1661. Nec non à R. P. D. Ysone Pfavu Monacho Monasterii S. Galli in *Collectario, sivè Summario Privilegiorum Abbatibus, & Religiosis Monasteriorum exemptorum Ordinis Benedictioi per Helvetiam ab Urbano VIII. concessorum, typis ejusdem Monasterii excusso Anno* 1665:

2

Igitur plura Privilegia antiquitus concessa fuerunt per Summos Pontifices tam Monachis, quàm Regularibus Ordinum Mendicantium audiendi confessiones Sæcularium, eosque absolvendi à peccatis, ut ostendunt prædicti P. Augustinus à Virgine Maria *Verb. Confessio Sæcularium*; P. D. Virginius Alviset *sect. 3. cap. 5. §. 1. & 2.* & P. D. Yson Psavu *part. 2. sect. 1. & 2. in §. §. quinque*; apud eosdem & alios supracitatos Collectores à Studiosis videnda, usque ad Pontificatum Clementis VIII. qui Anno 1601. hoc Privilegio decoravit etiam PP. Capuccinos, ut ad d. Annum notat Illustrissimus Episcopus Baptaglinus in suis eruditissimis *Annalibus Sacerdotii, & Imperii d. Anno 1601. num. 12.* At mihi satis sit referre ea, quæ in corpore juris inserta leguntur, tanquam præcipua, ac Magistralia, & sunt, Unum Bonifacii Papæ VIII. de Anno 1294. *in Extravag. super Cathedram. §. Statuimus de Sepulturis.* Alterum Benedicti Papæ XI. de Anno 1303. *In Extravagant. Inter cunctas. §. Ut autem. De Privilegiis.* Tertium Clementis Papæ V. de Anno 1304. *in Clement. Dudum. De Sepulturis.* In Primo Privilegio Bonifacius Papa VIII. *in d. §. Statuimus.* 4 ordinaverat, ut Superiores Regularium seligerent Confessarios suorum Ordinum, eosque examinarent; & quos idoneos reperirent ad confessiones Laicorum audiendas, præsentarent Episcopis locorum, in quibus eas essent audituri; ad effectum, ut ab illis licentiam confessionum hujusmodi audiendarum reciperent; & si aliquis ex præsentatis rejiceretur ab Episcopis, eo emoto, loco ipsius alter præsentaretur *Si verò* (sunt verba Bonifacii VIII.) *iidem Prælati præfatis Fratribus ad Confessiones, ut præmittitur, audiendas electis hujusmodi exhibere licentiam recusaverint, Nos ex nunc ipsis, ut Confessiones sibi confiteri volentium libere, licitèque audire valeant, & eisdem Pœnitentias imponere salutares, atque eisdem beneficium absolutionis impertiri, gratiosè concedimus de plenitudine Apostolicæ potestatis.* Huiusmodi executio Privilegii non paucas suscitavit controversias inter Episcopos, ac Superiores Regularium; siquidem, ut plurimum, ab his examinati, ac idonei judicati rejiciebantur semel ac bis ab Episcopis; ipsique rejecti de facto audiebant laicorum Confessiones, reclamantibus, ac resistentibus Episcopis, atque Parochis. Ad hæc jurgia tolenda, cùm esset defunctus Bonifacius VIII, ejus Successor Benedictus 5 Papa XI. (qui antea fuerat Frater, ac deinde Magister Generalis Ordinis Prædicatorum) alterum Privilegium Regularibus Confessariis concessit, ut absque alia licentia Episcoporum, laicorum Confessiones (dummodo à suis Superioribus idonei per examen essent judicati) audirent: ita præcipiens *in d. Extravag. Inter cunctas. §. Sed quia multoties de Privilegiis*; videlicet: *Electi igitur ab eisdem Fratribus ad audiendas Confessiones, & pœnitentias injungendas, liberè auctoritate Apostolica absque licentia Diœcesanorum, & aliorum Prælatorum inferiorum, exemptorum, & non exemptorum, quibus subsunt, qui ad confitendum accedunt, audient eis peccata* 6 *sua confiteri volentes.* Hoc secundum Privilegium majores amaritudines produxit inter Regulares, atque Episcopos Diœcesanos; quapropter defuncto Benedicto XI. qui menses octo, ac dies viginti septem vixit in Pontificatu, Clemens V. qui ei successit auditis Episcoporum indolentiis in Concilio Viennensi Anno 1304. prædictam extravagantem Benedictinam cassavit, & annullavit; & Constitutionem Bonifacii VIII. observari præcepit, ut legitur *in Clem. Dudum. de Sepultur.* cujus hæc sunt verba: *Dudum à Bonifacio Papa VIII. Prædecessore nostro infrascripta edita Decretali, Benedictus Papa XI. Prædecessor noster aliam illius revocatoriam promulgavit, quia, (ut probavit effectus) nedum pacis ab auctore ipsius speratæ fructum non attulit, quinimmò discordiæ, pro qua sedandâ processerat, fomentum non modicum ministravit. Nos eam omnino cassantes, aliam à Præfato Bonifacio editam, sacro instante, & approbante Concilio innovamus; subjicientes tenorem illius, qui dignoscitur esse talis.* Et inserit ibidem antedi- 7 ctam extravagantem: *Super Cathedram. de Sepulturis.* Idcircò de Jure antiquo Confessarii Regulares examinabantur à suis Superioribus, & cùm ab iisdem idonei judicarentur pro audiendis Confessionibus laicorum, præsentabantur Episcopis, *ut de eorum licentia, gratia, & beneplacito, in Civitatibus, & Diœcesibus eorundem, hujusmodi Personæ sic electæ confessiones confiteri sibi volentium audirent*; prout ordinaverat Bonifacius VIII. Quod si Episcopi detrectarent absque causa; tunc iidem Regulares ex concessione Apostolica de facto Confessiones audiebant. Hæc praxis servata est de Jure antiquo circa Confessarios Regulares usquequò supervenit.

Jus Novum, nempè Concilium Tridentinum; 8 in quo conquerentibus Episcopis, quòd plures Regulares indocti ex nimia indulgentia, ac facilitate Superiorum eorundem sibi tanquàm idonei præsentarentur pro habenda licentia audiendi Confessiones populorum, determinatum fuit, ut de cætero examen omnium Confessariorum, etiam Regularium, super eorum idoneitate spectaret ad Episcopos tantum: & ab iisdem solummodò essent approbandi ad Confessiones audiendas; prout legitur *in sess. 23. de Reformat. cap. 15.* his verbis: *Quamvis Presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur; & approbationem, quæ gratis detur obtineat. Privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili non obstante.* Quo quidem Conciliari Decreto ablata fuit Superioribus Regularium facultas, quam antea habebant, examinandi, & idoneos judicandi suos Religiosos pro Confessionibus laicorum audiendis, & eadem commissa fuit Episcopis; cumque completo Concilio Tridentino nonnulli asserent, non esse per ipsum sufficienter derogatum privilegiis antiquis contrarium disponentibus, Pius Papa Quartus Anno 1565. publicavit Bullam, incipien. *In Principis Apostolorum &c.* impressam in Calce Concilii Tridentini, revocatoriam Privilegiorum, exemptionum, immunitatum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, confessionalium, Maris magni, & aliarum quarumcunque similium gratiarum, quibuscumque locis; & personis concessarum in his, in quibus contrariantur Decretis Sacri Concilii Tridentini; sicque firmatum fuit examen, & approbationem omnium Confessariorum, non solùm Sæcularium, sed etiam Regularium, pro laicorum confessionibus audiendis, spectare ad Episcopos. Verùm quia post Concilium Tridentinum nonnulli Ordines Religiosi recentiores obtinuerant aliqua Privilegia à Summis Pontificibus, relata à prædicto P. Augustino à Virgine Maria *d. Verb. Confessio Sæcularium à num. 66. & seqq.* quæ vel eos eximebant

bant ab examine Episcoporum, vel concedebant, ut semel examinati, & approbati ab uno Episcopo, ab aliis Episcopis amplius examinari non possent, pro Confessionibus suorum Diœcesanorum audiendis, emanavit.

9 Jus Novissimum; nempe Constitutio Urbani Papæ Octavi, *die* 12. *Septembris* 1628. quæ incipit: *Cum sicut accepimus, &c.* & est in Bullario Laertii Cherubini *tom.* 4. *Constit.* 92. *pag.* 103. indoluit ipse Pontifex, quòd *cum aliquibus Religiosis quorumdam Ordinum, seu Congregationum à Sede Apostolica indultum fuerit, ut Sacramentales personarum Sæcularium Confessiones audire valeant, etiamsi ab Episcopis Diœcesanis ad id examinati, & approbati non fuerint; nec desint, qui temere asseverent, hoc ipsum Privilegium cæteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere ex amplissimis Privilegiorum communicationibus, quas ab eadem Sede Apostolica obtinuerunt; & hinc saluberrimum Sacri Concilii Tridentini Decretum desuper sancitum penitus evertatur.* Ideò ipse Urbanus VIII. prædicta sua Constitutione, amplissimis, ac prægnantissimis clausulis, motu proprio, & ex certa Scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine revocat, cassat, tollit, abrogat, & annullat omnia, & quæcumque Privilegia dicto Decreto Concilii Tridentini *sess.* 23. *de reformat. cap.* 15. contraria, omnibus, & singulis Religiosorum Ordinibus quandocunque, & quomodocunque concessa: *etiamsi talia essent, ut de iis specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret.* Quapropter hisce nostris temporibus nullum est indultum, & nullum reperitur Privilegium, quo Monachi, vel alii Regulares possint audire Confessiones sæcularium ac eos absolvere, absque approbatione Episcopi ac prævio examine, si illos Episcopus examinare voluerit; ut testantur ex Scholasticis Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Sacrament. Pœnitentiæ disp.* 20. *n.* 153. & Canonistis Fagnanus *in cap. Quia propter.* § *. Illud autem. nu.* 7. *de Electione.* Pax Jordanus *lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 119. ubi ponit dictam Constit. Urb. Pignatellus *tom.* 7. *consult.* 8. *n.* 29. *& tom.* 10. *consult.* 95. *num.* 10. & ex Moralistis Lezana *in Summa tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 2. *& num.* 6. quamvis sint Magistri, Doctores, & Graduati.

His stantibus, etsi dubitare ampliùs non liceat de obligatione Regularium subeundi examen coram Episcopis, si ab eis petant approbationem pro confessionibus audiendis; nihilominùs circa formalitatem ejusdem examinis, ac approbationis ingens est numerus dubiorum, quæ tam ante, quàm post Constitutionem Urbani VIII. exorta, ac decisa fuere vel à Moralistis, aliisque doctissimis Theologis, qui de hac materia scripserunt; vel ab Oraculis Sacrarum Congregationum Eminentissimorum Cardinalium, vel Tridentini Concilii Interpretum, vel negotiis Episcoporum, ac Regularium præpositorum; quare quæ præcipua sunt, & scitu necessaria, hic omni possibili brevitate recensebo.

Primum autem dubium sit: *Utrùm Confessarii Regulares approbati ab Episcopis ad audiendas con-*
10 *fessiones Diœcesanorum, pro iis absolvendis recipiant Jurisdictionem à Papa; vel ab ipsis Episcopis?* Communis opinio est, quòd eam habeant à Papa. Primò, quia ita docet Glossa *in cap.* 2. *in Verb.*
11 *Item tertiò, de Pœnitent. & remiss. in* 6. Glossæ autem opinio in re dubia prævalet opinionibus quorumcunque Doctorum, & eis anteponenda est, Fagnanus *in cap. Cum vos. in fin. De offic. Ordin.* & Calcaneus *in cons.* 6. *n.* 5. Sed illa Glossa facta est ante Concilium Tridentinum, & tanquam antiqua, & antiquata non probat. Secundò, quia Concilium Tridentinum dedit Episcopis *in d. cap.* 15. *sess.* 23. jus examinandi, & declarandi idoneos Confessarios Regulares; quod de jure antiquo spectabat ad eorum Superiores; nihil autem disposuit circa Jurisdictionem necessariam ad absolvendos pœnitentes à peccatis, quam antiquitùs Regulares habebant à Papa virtute plurimorum Privilegiorum. Ergo etiam post Concilium Tridentinum eam Regulares recipiunt à Papa. Hæc ratio patitur plures difficultates; nam Tridentinum voluit, omnes Confessarios, etiam Regulares, & judicari idoneos per examen ab Episcopis, & ab iisdem approbari ad audiendas confessiones sæcularium. At sub nomine approbationis non solùm venit actus intellectus, quo examinatus judicatur idoneus, & habilis; sed etiam actus voluntatis, quo Episcopi velint concedere Jurisdictionem, & potestatem necessariam ad absolvendos pœnitentes, ut probatum est supra *Decis.* 15. *num.* 28. *& Decis. XXXVII.* cumque circa hanc approbationem Concilium Tridentinum nullam distinctionem fecerit circa Presbyteros Sæculares, & circa Presbyteros Regulares ab Episcopis examinatos; immo utrosque comprehenderit sub eadem dispositione, ac formalitate concedendi facultatem pro confessionibus audiendis; dicendum videtur, quòd sicut idem Concilium voluit, ut Episcopi darent Jurisdictionem pro absolvendis pœnitentibus, qui sua peccata confitentur Presbyteris Sæcularibus, quando eos idoneos repererint in examine, sic tradant Jurisdictionem Regularibus examinatis, & habilibus repertis; siquidem una determinatio respiciens plura determinabilia, ea omnia pariformiter determinat. *l. Nam hoc jure, & l. Lucius. ff. de Vulgar. & Pupill. substit.* Gratian. *discept. forens. cap.* 70. *num.* 39. & Barbosa *Axiom.* 69. *num.* 6. Ulteriùs non est absolutè verum, quòd ante Concilium Tridentinum Confessarii Regulares, pro absolvendis sæcularibus 12
à peccatis, haberent Jurisdictionem à Papa; nam Bonifacius VIII. in supra relata *Extravag. Super Cathedram. De Sepultur.* confirmata, & renovata à Clemente V. *in Clem. Dudum. eod. tit.* ordinabat, quòd Regulares Confessarii examinati, & idonei judicati à suis Superioribus, præsentarentur Episcopis, ad hoc ut ab iisdem Episcopis licentiam obtinerent audiendi confessiones, & absolvendi pœnitentes sæculares; si verò Episcopi absque causa dictam licentiam exhibere recusarint; tunc ipse Papa eam concedere de plenitudine Apostolicæ potestatis declarabat. Si itaque Episcopi antiquitùs dabant licentiam Regularibus electis per suos superiores ad Confessiones audiendas; ipsi Episcopi dabant iisdem jurisdictionem; dare enim licentiam idem est, ac dare potestatem, facultatem, & jus aliquid faciendi. Bart. *in l. Alio hærede. num.* 7. *ff. de Aliment. legatis.* Et praxis est in omnibus patentibus Curiarum Episcopalium, quæ dantur Regularibus, qui approbantur ad audiendas confessiones, ponere hæc verba: *Tibi licentiam concedimus, & facultatem impertimur*: itaut absque hæsitatione hoc verbum *Licentia* pro confessionibus audiendis denotet Jurisdictionem pro absolvendis pœnitentibus. Barbosa *in Summa Apostol. Decis. Verb. Licentia, num.* 39. Nihilomi-

nus esto; quod antè Coucilium Tridentinum jus dandi
13 jurisdictionem Confessariis Regularibus pro absolutione peccatorum spectaret ad eorum Superiores, virtute suorum Privilegiorum; hodie prædicta omnia Privilegia, circa sæcularium confessiones audiendas, sunt pœnitus cassata, revocata, & annullata non solùm per Concilium Tridentinum *d. sess. 23. cap. 15.* & Bullam Pii IV. *In Principiis Apostolorum, &c.* Sed eò magis per d. Constitutionem Urbani VIII. *Cum sicut accepimus.* Itaut hodie inutile sit circa hanc materiam allegare Privilegia. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. libr. 9. cap. 2. num. 1.* Lezana *d. Consult. 40. num. 97. & 98.* & jure quidem, nam non entium nullæ sunt qualitates, nullæ vires, nulla potentia. Surdus *Decis. 316. num. 6.* Thomasset *in Florib. leg. Reg. 202.* Barbosa *Axiom. 162. num. 1.* & Gobatus in *Quinario tract. 3. num. 510.* His tamen non obstantibus omnes Theologi Moralistæ asserunt, Regulares Confessarios habere jurisdictionem à Papa, non autem ab Episcopis pro audiendis sæcularium confessionibus, & iisdem absolvendis à peccatis. Rodriquez *tom. 1. quæst. 58. art. 1.* Peyrinus *tom. 1. in Constitut. 2. Sixti IV. §. 11. num. 44.* Molfesius *in Summa part. 1. tract. 7. cap. 14. num. 64.* Pellizarius *in Manuali Regular. tom. 2. tract. 8. cap. 3. num. 9.* Alviset *Sect. 4. dub. 16. numer. 3. & numer. 14.* Yson Pfavu *part. 2. sect. 2. §. 2.* Miranda *tom. 1. quæst. 45. art. 5. & 6.* Bordonus *Var. resol. part. 1. resolut. 34. num. 7.* & (aliis relictis) Lezana *in Summa tom. 1. cap. 19. sub num. 9. & d. Consult. 40. num. 66. & 67.* Adhuc tamen infirma censetur horum Doctorum auctoritas; tum quia ipsi alia multa dicunt, quæ declarata sunt aliena à
14 veritate per Sacrarum Congregationum Concilii, ac Regularium responsa; puta quod Regularis confessarius semel approbatus ab uno Episcopo non est ampliùs examinandus, neque approbandus ab aliis Episcopis, in quorum Diœceses ille transmearet. Ita plures DD. quos cumulat Diana Coordinatus *tom. 7. tract. 1. resol. 83. 84. 85. 86.* Quòd Prælati Regulares possunt sine approbatione Ordinarii audire confessiones sæcularium. Quòd Sacerdotes simplices sine licentia Episcopi possunt absolvere à peccatis venialibus, & à mortalibus in præterita confessione oblitis. Idem Diana hæc asserentes referens, *d. tom. 7. tract. 1. resol. 88.* & similia. Tum etiam quia nullum aliud allegant fundamentum, nisi prædicta Privilegia cassata, & revocata; unde fit locus regulæ, quod Doctori loquenti sine fundamento non credatur. *Cap. Ego solis. dist. 9.* Jason *cons. 89. num. 22. lib. 3.* Surdus. *cons. 90. num. 35.* Fagnanus *in cap. Ne innitaris à num. 403. & seqq. De Constitutionibus.*

Cæterum pro resolutione præsentis dubii, & benigna interpretatione communis opinionis,
15 quòd Regulares Confessarii recipiant Jurisdictionem à Papa pro pœnitentibus sæcularibus absolvendis; dicendum est, eandem quidem Jurisdictionem ipsis concedi à Papa non ramen immediate, sed mediante ministerio Episcoporum, ac de eorum manu, & concessione. Hoc tribus præcipuis rationibus demonstratur. Una est, quòd approbare Sacerdotes sæculares ad Confessiones audiendas est actus gratiæ, dependens à beneplacito Episcopi, qui pro suo libito potest vel concedere, vel negare approbationem & Jurisdictionis concessionem; ut optimè disserit Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 20. num. 180. & num. 198.* E contra approbare Confessarios Regulares, quando idonei sunt, est actus justitiæ; itaut absque eorum injuria non liceat Episcopis iisdem denegare approbationem, & petitam facultaris audiendarum confessionum concessionem; ut concludenter demonstrant Suarez *de Sacrament. Pœnitent. disp. 28. sect. 5. num. 5. & num. 15.* adeò ut si Regulares idonei 16
& habiles injustè repellantur per Episcopos, & eis denegetur petita licentia audiendi confessiones, possint appellare, & recursum facere ad Superiorem; ut in puncto dicit Nicolius *Canonic. Lucubrat. libr. 5. tit. 38. num. 11. Vers. Verum alii.* Secunda est, quia Sæculares confitentes peccata sua Confessariis Regularibus in Paschate satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, de confitendis peccatis eo tempore proprio Sacerdoti, ut *in cap. Omnis utriusque sexus. de pœnitentia, & Remissionibus*; ut abundè demonstrant Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Pœnit. disp. 19. sect. 2. num. 27.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *disp. 19. à num. 129. & seqq.* & Fagnanus *in cit. c. Omnis utriusque sexus num. 57.* ea ratione, quia ipsi Confessarii Regulares sunt delegati Papæ, (qui est Supremus, & universalis Pastor omnium fidelium) & ab eodem recipiunt qualitatem propriiSacerdotis, idest Parochi quo ad audiendas eorundem Sæcularium Confessiones tempore Paschæ, & censentur recipere Jurisdictionem ab ipso Papa; non immediatè, sed mediante opera Episcoporum, quibus commissum est, eam elargiri, prævio examine super idoneitate, quatenus illud necessarium credant, & prævia eorum approbatione. Tertia vero ratio est hujusmodi subdelegatæ per Episcopos Papalis Jurisdictionis; quia Papa Gregorius XV. in sua Constitutione *Inscrutabili &c.* Anni 1622. (quæ in Bullario Romano est *la XVIII.*) subjecit *omnimodæ Jurisdictioni, Visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi*, Regulares quæcumque Sacramenta, & individualiter illud Pœnitentiæ administrantes, non alia de causa, nisi ex ea, quòd sicut Episcopi sunt Sedis Apostolicæ Delegati in elargienda jurisdictione Papæ Regularibus pro Sæcularium personarum confessionibus audiendis; ita tanquam ejusdem Apostolicæ Sedis Delegati possunt ipsos Regulares corrigere, si fortè errorem aliquem commiserint in ejusdem Jurisdictionis exercitio, & administratione, procedendo contra ipsos etiam per censuras; ut novissimè docet Pignatellus Jurisconsultus Romanus in suis doctissimis Consultationibus Canonicis *tom. 10. consult. 95. n. 25.* quod antea quoque scripserunt Barbosa *de Jure Eccles. Univers. lib. 1. cap. 43. num. 210.* & Lezana *in d. consult. 40. num. 73.* Quare absque scrupulo dici potest utrumque; id est, quòd Regulares habeant Jurisdictionem à Papa, & quòd eam habeant ab Episcopis, ut admittit Lezana *d. tom. 3. Verb. Confessarius Regularis num. 3.* & Eminen. Cardin. de Lauræa *de Pœnitent. disp. 20. num. 214. in fine*, & hæc de primo dubio.

Secundum dubium est: *An Episcopi possint approbare Regulares ad Confessiones audiendas tempore limitato, vel teneantur indefinite, & absque limitatione* 17
temporis, iisdem licentiam, & facultatem impertiri? Duplex responsum dandum est huic dubio: Unum de Jure; aliud de facto. In puncto Juris dicendum est, quòd si Confessarii Regulares reperiantur absolutè idonei in doctrina, prudentia, ac bonitate, sunt absque ulla temporis limitatione simpliciter approbandi & admittendi ad

Confes-

Confessiones audiendas; secus si non perfecti in studio totius Theologiæ Moralis, & Casuum conscientiæ; ut declaravit Sacra congregatio Cardinalium *die 2. Julii 1587.* cujus verba refert Lezana *d. tom. 1. cap. 19. num. 8.* & docet Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Pœnitent. disp. 21. num. 60.* & alii plures apud Dianam Coordinatum *tom. 7. res. 72. & res. 74. n. 4.* quæ existunt in Diana inordinato, ac veteri *part. 6. tract. 7. resolut. 48. & tract. 7. resol. 61.* De facto autem aliter est respondendum; quia invaluit praxis, & usus Urbis, & Orbis in omnibus Episcopatibus; ut quantumcunque Confessarii, tam Sæculares, quam Regulares reperiantur idonei, & virtuosi, non admittantur ad excipiendas Laicorum confessiones, nisi ad Annum; ut testatur Nicolius *Canon Lucubrat. d. libr. 5. tit. 38. num. 9.* & observatur in hac Curia Episcopali Patavina, in qua ego plurimis annis portavi hoc gravissimum onus examinandi, approbandi, & licentiam concedendi audiendi Confessiones Sacerdotibus Sæcularibus, & Regularibus. Ratio esse potest, quia, ad eos indefinitè approbandos, opus esset rigorosissimo examine super omnibus materiis Moralis Scientiæ, quas ostendunt mea Erotemata, ad hunc effectum per me composita & collecta; nemo autem est, qui velit se subjicere tanto sui ipsius experimento; & ideo Regulares acquiescunt limitatis licentiis, circa quas ego semper cum magna discretione processi, ut in earum renovatione Regulares gradu, ætate, prudentia, ac experientia conspicuos dimitterem cum nova prorogatione ad annum absque ulla cunctatione, aut examine; Immò cum expressione magnæ existimationis eorundem ob labores, quos sustinent solo motivo charitatis in Deum, ac proximum, in peccatoribus audiendis & à culparum cœno liberandis.

18 Tertium dubium est. *An Regulares semel examinati ab Episcopis, & approbati ad Confessiones Sæcularium excipiendas possint suspendi, ab audiendis Confessionibus, prævia revocatione patentium & licentiarum eisdem concessarum?* Pro resp onsione præmitto; quod *Anno 1653.* gubernante hunc Episcopatum Patavinum *Illustrissimo, ac Reverendissimo gloriosæ memoriæ Georgio Cornelio*, scientia, Pastorali
19 vigilantia, ac Jurisdictionis Episcopalis defensione Prælato ornatissimo; acerba lis exarsit inter ipsum & universos Regularium Mendicantium, Ordines hujus Civitatis, ob edictū, quod ipse Antistes promulgaverat; quo monebat Religiosos Confessarios, habentes licentiam audiendi Laicos pœnitentes, vel liberè, vel ad beneplacitum; ut eas intra Mensem in Cancellaria Episcopali exhiberent, volens, justis de causis animum suum moventibus, illas moderari, prævio etiam examine, quatenus cognoverit expedire. Appellarunt Regulares ab hoc edicto ad Nunciaturam Apostolicam Venetiarum, in qua emanavit Sententia, partibus auditis quòd Regulares obedirent Episcopo. Illi habuerunt recursum ad Sacram Congregationem Concilii Romæ; cui proposuerunt quatuor sequentia Quæsita, supplicantes pro decisione. Videlicet:

Primò: *An facultas, seu approbatio audiendi Sæculariam Personarum Confessiones prævio examine, sit simpliciter, & absolute Regularibus concedenda?*
20
Secundò: *An hujusmodi facultas, seu approbatio ad beneplacitum concessa potuerit dicto Edicto absque causa revocari?*

Tertiò: *An hujusmodi licentia, seu approbatio ad beneplacitum concessa potuerit ab eodem Episcopo reduci ad annum, seu ad aliud tempus limitatum?*

Quartò. *An Regulares simpliciter in examine rigoroso semel approbati possint iterum examinari ab eodem Episcopo?* Auditi fuerunt procuratores, & Advocati utriusque partis, & bene perpensæ allegationes Juris hinc indè transmissæ: postea emanarunt sequentes resolutiones.

Die 17. Januarii 1654. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ad primum respondit: dandas esse declarationes antiquas tenoris sequentis. Die 8. Novembris 1596. Sacra Congregatio Concilii, omnium Patrum Sententia maturè perpensa, censuit, Episcopum minimè posse facultatem Regularibus audiendi sæcularium Confessiones limitare; ideoque munus Episcopi ex Decreto Concilii *cap. 15. sess. 23.* esse ipsos Regulares approbare, si idonei sint; sin minus reprobare, sed minimè posse illis facultatem coarctare. *In Salernitana 15. Augusti 1597.* dubitatum fuit, An Episcopus posset Regularibus restringere licentias audiendi Confessiones Personarum Sæcularium, ut ad certum tempus; vel ad ejus beneplacitum dumtaxat daret? Sacra Congregatio Concilii, post maturam discussionem, respondit: Non posse; sed prævio examine servandam esse Constitutionem S. Mem. Pii Quinti, ut absolutè admittantur, vel repellantur. *Die 16. Januarii 1616.* Sacra Congregatio Concilii declaravit, Episcopum debere de vigore S. Concilii Regulares ad Confessiones audiendas Personarum Sæcularium approbare, vel reprobare.

Ad Secundum respondit: *Facultatem, & approbationem ad beneplacitum bonecessas potuisse per Episcopum absque causa revocari.*

Ad Tertium respondit: *Hujusmodi licentias, approbationes ad beneplacitum concessas potuisse ab Episcopo ad tempus limitatum reduci.*

Ad Quartum dilata fuit responsio ad aliam reductionem. Ideò *Die 7. Februarii 1654. Sacra Congregatio prædicta censuit, Regulares simpliciter in examine rigoroso semel approbatos, non posse iterum examinari ab eodem Episcopo, nisi nova superveniente causa.*

Petrus Aloysius Cardinalis Carafa Præfectus.

Loco † Sigilli.

Franc. Paulutius S. CC. Secr.

Ex his declarationibus authenticis, quæ fuerunt transmissæ ad præfatum D. Episcopum Patavinum *dicto anno 1654.* colligere potest quilibet Studiosus sequentes conclusiones. Primò, quod de rigore Juris Confessores Regulares prætendere possunt licentiam absolutam, & indefinitam audiendi Laicorum Confessiones, ut dictum est supra *num. 17.* & respondit Sacra Congregatio Domino Episcopo Patavino ad primum quæsitum. Porrò Regulares cedunt Juri suo, & in facto contenti sunt eam recipere ad Annum, ut jam fit in omnibus Episcopatibus, forsan quia nullus est Regularis, quamvis doctus, & egregius, qui velit se exponere rigoroso examini. Secundò: quod Regularibus, habentibus licentiam prædictam ad beneplacitum, possunt Episcopi eam auferre, & revocare etiam absque causa, vel ad tempus limitatum reducere; ut dixit Sacra Congregatio ad Secundum; ac Tertium quæsitum; & hoc idem antea scripserunt Tamburinus *de Jure Abbatum tom. 2. disput. 6. q. 22. n. 9.* & Barbosa *de Jur. Ecclesiæ Univers. libr. 1. c. 43. n. 208.* Unde remanet explosa contraria Peyrini *tom. 1. ad Constit. Sixti V. num. 44.* & assecla-rum ejus, quos refert Diana Coordinatus *d. t. 7. tr. 1. res. 73. & 74.* ubi bene advertit, licentias prædictas datas ad beneplacitum cessare eo ipso per mortem Episcopi concedentis; juxta *taxt. ac DD. ibid. allegatos.*

gatos; secus si fuerint illimitatæ simpliciter. Lezana *d. tom. 1. cap. 19. num. 10.* Tertiò, quòd si licentia pro confessionibus indefinitè sit data Regularibus prævio examine; non possunt ipsi amplius vocari ad novum examen, ut ad quartum respondit Sacra Congregatio D. Episcopo Patavino *sine nova superveniente causa concernente confessiones*; quæ quidem potest esse scientia deperdita, quia qui deserit libros, & studium, deseritur à scientia. *cap. Is, qui igitur 23.*
21 *dist. & cap. Nunquam. de Consecrat. dist. 5.* & ideò etiam Parochi quamvis idonei judicati, & approbati per examinatores Synodales, ob desertionem studii sæpe reincidunt in ignorantiam; cujes respectu potest Episcopus iterùm eos examinare tam in visitatione quàm extra supra doctrina, & litteratura ex Decreto Sacræ Congregationis Concilii apud Barbosam *Apostolic. Decis. Collect. 339. num. 11.* Quartò, quod hæc prohibitio novi examinis est in eo, qui approbavit; secùs verò in ejus Successore, qui indiscriminatim potest iterùm vocare omnes Confessarios, etiam Regulares, licèt illimitatas licentias habentes, & eos examinare; sique defecerit in eis scientia, reprobare. Miranda *tom. 1. quæst. 45. art. 7.* Lezana *tom. 1. d. cap. 19. num. 7.* & ibi Bulla B. Pii Quinti incipien. *Romani Pontificis providentia*; *Anni 1571.* quam confirmavit etiam Urbanus VIII. alia Bulla incipien. *Aliàs à nobis. Anno 1629.* relata à Barbosa *de Jur. Eccles. Univers. d. lib. 1. cap. 43. numer. 210.* & novissimè à Pignatello *tom. 4. consult. 174. num. 23. ac 24.* ubi probat, eam habere vim legis universalis, extendi ad omnes Episcopos, & afficete quoscumque Regulares. Quintò, quòd quamvis non possint Episcopi suspendere à Confessionibus Laicorum audiendis simul, & eodem tempore omnes Confessarios Regulares unius Conventus; seu Monasterii, inconsulta Sacra Congregatione. Lezana *in Summa tom. 5. in Mari magno Servitarum num. 55.* in suis Consultationibus variis *d. consult. 40. num. 11. &* 12. ubi Decretum Sac. Congr. Conc. *diei 16. Januar. 1606.* aliquos tamen Confessarios ex ipsis Regularibus, etsi indefinite approbatos, possunt suspendere à Confessionibus, & licentias antea datas revocare; si superveniat legitima causa, quæ talis esse censetur, 22 si prædicti Regulares inhoneste viverent, vel aliquod scandalum darent, aut delictum committerent, ut respondit Sacra Congregatio Concilii *in una Oriolen. 30. Augusti 1630.* apud Barbosam *d. libr. 1. cap. 43. num. 209. & Apostolic. Dec. collect. 202. num. 20.* nec non apud Lezanam *d. consult. 40. num. 44.* idemque inter modernos notant Nicolius *Lucubrat. Canonic. dict. lib. 5. tit. 38. sub num. 9.* & Pignatellus *d. tom. 4. consult. 174. num. 21.* advertentes ibibem ex pluribus declarationibus S. Congregationis, non esse obligatum Episcopum edicere ipsis Regularibus causam, ob quam eorum aliquos suspenderet à Confessionibus audiendis, sed satis esse eam Sacræ Congregationi aperire, ubi ab ea fuerit interpellatus. Sextò ex prædictis colligere studiosus poterit; quòd approbatio pro Confessionibus data Regularibus per Episcopos ad tempus 23 limitatum; puta ad Annum, vel ad sex menses, ut hodie est in usu; eo tempore elapso expirat sine alia revocatione, & in nova prorogatione jidem Regulares possunt noviter examinari, & si in Studio non profecerint, reprobari; ut pluries cogebar ego facere; dum super materiis, de quibus ipsi parvam, aut nullam scientiam habebant, & quas in meo libro sub nomine examinati, & ad tempus approbati annotabam) expirata approbatione iterùm eosdem examinabam, & rudes reiteratò inveniebam; quare ulteriorem licentiam audiendi Confessiones eis denegabam; fretus doctrina Nicolii *d. tit. 38. num. 9. Vers. limita tertiò.* Et declarationum S. Congregationis Concilii ibidem per eum allegatarum. Septimò 24
tandem colligendum erit, quòd Regulares Confessarii habentes licentiam illimitatam audiendi Confessiones ab Episcopo, eo mortuo, non possunt obligari à Vicario Capitulari, ut compareant ad novam licentiam recipiendam; & multò minùs ad subeundum novum examen. Marchettus *in Praxi Vicarii Capitul. part. 2. tit. 17. num. 13. &* 14. ubi minus bene asserit, id habere locum etiam circa licentias, quas dedisset Episcopus ad suum beneplacitum; nam ut dictum est supra, ipse Diana Pater, & Patrocinium Religiosorum, fatetur eas morte Episcopi expirare *part. 6. tr. 6. res. 48.* reposita in Coordinato *d. tom. 7. tract. 1. resol. 74.* Cæterùm si tempus licentiarum prædictarum expiret Sede Episcopali vacante, tenentur Regulares comparere coram Vicario Capitulari pro nova approbatione, & quatenus ipse velit novum examen subire. Nicolius *in Flosculis. Verb. Vicarius Capitularis. n. 74.* Ratio est manifesta, quia cum non possint amplius Confessiones audire ex Bulla Urbani VIII. *Alias à nobis, &c. 30. Januar. 1629.* de qua Barbosa *de Jur. Eccles. d. libr. 1. c. 43. num. 211.* sunt tanquam novi approbandi, & examini subjiciendi.

Quartum dubium circa præsentem materiam Confessariorum Regularium est: *An ipsi ultra approbationem, & licentiam Episcopi, pro audiendis Secularium Personarum confessionibus, egeant approbatione, ac licentia sui Superioris Regularis?* Pro resolutione distinguere oportet *An licitè*; *an validè.* Quòd 25
licitè non possint audire Confessiones Sæcularium absque licentia, ac approbatione suorum Superiorum nemo est, qui neget; nam facerent contra obedientiam, ad quam voto sunt adstricti erga Superiores suos, ut bene notat Lezana *in Summa dict. tom. 1. cap. 19. numer 12. & tom. 3. Verb. Confessarius Regularis n. 2.* (ubi excipit casum mortis, si deficerent alii Sacerdotes: Yson Pfavu *in Collectar. part. 2. sect. 2. §. 2. pag. 149.* & Pignatellus *tom. 10. dict. consult. 95. num. 13.* ubi allegat Clementis VIII. *Constitut. 115.* in qua §. 9. requirit, ut Confessarii Regulares eligendi per Confraternitates in eorum Ecclesiis erectas, debeant esse approbati tum ab Episcopo, tum ab eorum Superiore. Sed in hoc puto standum esse usui Religionum, quarum major numerus non permittit suos Religiosos assumere licentiam pro confessionibus ab Episcopo, nisi priùs per proprios Superiores examinentur, & approbentur. At quo ad validitatem absolutionis, si non fuerint à suis Superioribus approbati, alii DD. negant, alii affirmant, Pro negativa facit, quia ante Concilium Tridentinum pro validitate erat necessaria approbatio, & licentia Superiorum Regularium ex supracitata *Clement. Dudum. de Sepultur.* quæ in hac parte non fuit revocata ab eodem Concilio. Lezana *d. tom. 3. Verb. Confessarius Regularis. numer. 2.* ubi ait, pro nullitate confessionis, & invaliditate absolutionis tenere Reverendissimum Theodorum Stratium *in Instruct. pro Carmelitis cap. 6. numer. 2.* cui ego addo Pignatellum *tom. 10. consult. 108. num. 2.* sola tamen Moralistarum auctoritate motum. Pro affirmativa consideratur, quod Concilium Tridentinum *d. sess. 23. cap. 15.* talis approbationis non meminit, solamque approbationem ab

Episcopo

Episcopo datam requisivit; ideò hanc affirmativam opinionem tanquam veriorem communiter amplectuntur Doctores, quos citat, & sequitur Diana *part. 1. tract. 11. resolut. 13.* collocata in ejus opere Coordinato *tom. 4. tract. 3. resol. 26.* & ex Scholasticis Eminentis. Cardin. de Lauræa *de Pœnit. disp. 20. art. 3. §. 13. à num. 214. usque in finem*, ubi multis argumentis probat, quòd Regularis approbatus ad Confessiones Sæcularium audiendas ab Episcopo, sine præcedenti, aut subsequenti approbatione sui Superioris, agit quidem illicitè audiendo Confessiones, sed validè audit, & absolvit; quia in nulla Religione reperitur Constitutio Apostolica, quæ irridet Decretum Concilii Tridentini *in d. sess. 23. capit. 15.* idem docet Eminentis. Card. de Lugo *de Pœnitent. disp. 21. sect. 3.* & Lezana *d. tom. 3. Verb. Confessarius Regularis num. 2.* ubi à negativa opinione recedit: sed subtiliter notat unum casum, in quo Confessio esset invalida, scilicet si Superior prohiberet subdito suo Regulari per Episcopum approbato, ne audiret Confessiones sub pœna peccati mortalis, qua prohibitione contempta aliquis sciens, & ultrò confiteretur cum illo; tunc enim, quia & pœnitens, & Confessarius Sacramentum Pœnitentiæ peragerent in peccato mortali, invalida esset absolutio.

Quintum dubium est, *an Prælati Regulares, quales sunt Abbates, Guardiani, Provinciales, & Generales possint audire Confessiones Sæcularium absque approbatione Episcopi?* 26 Respondetur Negativè. Quamvis enim legatur in Bullario Casinensi *tom. 1. Constitut. 224. pag. 245. & 246.* quòd Sixtus V. *anno* 1585. 30. *Novembris* vivæ vocis oraculo concesserit, quòd Abbates Casinenses possint audire Confessiones Christi fidelium, prout faciunt alii Sacerdotes approbati ab Episcopo. Hujusmodi concessio hodie nihil valet; tum quia omnia Oracula vivæ vocis 27 revocata sunt à Gregorio XV. & ab Urbano VIII. ut advertit Lezana *tom. 1. d. capit. 19. num. 25. & tom. 4. Verb. Oracula vivæ vocis*; tum etiam quia & ipsi comprehenduntur in Tridentino *d. cap. 15. sess. 23.* quia eorum dignitas, ac Prælatura non venit sub nomine beneficii parochialis, ut perperam nisi sunt probare Valerius *in Different. utriusque Fori. Verb. Nullitas. diff. 5. numer. 3.* & alii apud 28 Henriquez *de Indulgent. cap. 22.* quorum opinionem tanquam falsam impugnant idem Lezana *d. tom. 1. cap. 19. num. 6.* & Pignatellus *d. tom. 10. consult. 95. num. 11.*

Sextum dubium est, *Utrum Regulares Confessarii teneantur accedere ad Congregationem Casuum Conscientiæ, quam semel, vel bis in mense tenent alii Confessarii, & Parochi Sæculares de mandato Episcopi?* Respondetur cum distinctione. Si Regulares sunt Curati, & exercent curam animarum, tenentur intervenire in hac Congregatione, & ad eam cogi possunt ab Episcopo, ut expressè respondit S. Congregatio Episcopo Paduano *die 14. Februarii* 1604. etiamsi sint ad nutum amovibiles. Ratio est, quia ipsi Regulares respectu curæ animarum *subsunt immediatè jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi*, tum ex Concilio Tridentino *sess. 25. de Regular. cap. 11.* tum ex Bulla Gregorii XV. *Inscrutabili, &c.* Alii verò Regulares simplices Confessarii obligari non possunt ad interventum hujus Congregationis, juxta multiplices declarationes *Sacr. Congregationis Episc. & Regular.* diversis Episcopis datas; quas cumulat, ac recenset Pignatellus *tom. 1. consultat. 417.* nec non *tom. 8. consultat. 18.* & Nicolius in Flosculis *Verb. Casus Conscientiæ. num. 4. & 5.* ubi refert, eandem Sacram Congregationem respondisse Olivetanis *anno* 1618. *25. Maii*, Curatos Regulares esse obligatos dare refectionem aliis 29 Parochis, & Confessoribus, quando conferentia casuum conscientiæ fit in cura Regularium, sicut faciunt Parochi Sæculares, quando fit in sua, & ad eam dandam cogi posse ab Episcopo. Circa hanc refectionem sub regimine Eminentissimi, & Reverendiss. S. M. Gregorii Cardinalis Barbadici Episcopi mei Patavini emanarunt diversa provisionalia Decreta, ne excessus fieret in cibo, aut potu; cùm Eminentia Sua tenacissima esset abstinentiæ, ac sobrietatis; ultimò ordinavit, ut nulla daretur refectio; sed quòd expeditis Confessionibus populorum, quas eo die omnes Parochi, & Confessarii convenientes ad Congregationem Casuum tenebantur audire, & completa casuum conscientiæ discussione, dataque à singulis sua opinione in scriptis Vicario Foraneo, qui eas mihi tanquam Auditori Eminentiæ Suæ, ac deinde Vicario Generali de mense in mensem transmitteret, (è quibus cœperunt prodire hæ meæ Decisiones,) prædictis, inquam, omnibus peractis, unusquisque jejunus reverteretur in domum suam. Talis jussio turbavit felicem exitum Congaegationum; nimis enim durum videbatur Parochis, ac Confessariis laborare, & non manducare; ideóque ut plurimùm ipsi emendicabant excusationem vel doloris capitis, vel occupationis in cura, & non accedebant ad Congregationem. Quare ego satiùs esse dicebam, permittere honestam refectionem, & si quis in ea excederet in cibo, vel potu, illum rigorosè punire.

Septimum dubium est: *Qua pœna sit puniendus Regularis, qui absque approbatione, & licentia Episcopi, se pro Confessario gereret, Confessiones audiret personarum Sæcularium, & eas absolveret?* 30 Aliqui respondent, quòd esset declarandus suspensus à divinis per *cap. Placuit. de Pœnit. dist. 6. & cap. Placuit. 9. quæst. 2.* Item excommunicatus tanquam usurpator Jurisdictionis spectantis ad Episcopum ex Concilio Tridentino *sess. 22. cap. 11. de ref.* & ex Bulla Cœnæ Domini *c. 17.* Item puniendus tanquam falsarius pœna *l. Corneliæ. De falsis*, & per consequens infamis, ac irregularis. Cæterum vera opinio est, quòd esset plectendus pœna arbitraria ab Episcopo, ut demonstrat Menochius *de Arbitr. Judic. casu 310. num. 4. & ult.* Thesaur. *de Pœnis Eccles. part. 2. Verb. Absolutio Sacramentalis. cap. 2. in fine.* Novissimè Pignatellus *tom. 6. consult. 1. à num. 14. usque in finem*; ubi advertit, quòd si fabricasset sibi patentes falsas pro audiendis Confessionibus non effugeret pœnam falsariorum *dict. l. Corneliæ. De falsis*, infamiam, & irregularitatem; super qua tamen posset Episcopus dispensare. *capit. At si Clerici*, §. *de Adulteriis. De Judic.* Glossa *in capit. fin. Verb. damnatione. de Tempor. Ordinat.* & Sayrus *de Censuris libr. 7. capit. 12. numer. 3.* Quòd si id attentasset prætextu privilegiorum, plectendus esset ab Episcopo etiam pœna Excommunicationis, ac Suspensionis à divinis, tum virtute Constitutionis Gregorii XV. *Inscrutabili, &c.* tum vigore Bullæ Urbani VIII. *Aliàs à nobis. diei 30 Januarii* 1629. quam ponit per extensum Barbosa *de Jure Eccl. d. libr. 1 cap. 43.* ubi *num. 213.* expressè conceditur, hujusmodi delinquentes coerceri, ac puniri posse ab Episcopo etiam Ecclesiasticis censuris. Idem docent Pignatellus *tom. 1. consult. 278.* & Abbas Pascuccius ejus Summator *tom. 1. in tit. De Confessione in princ.*

31 Octavum, & ultimum dubium. *An Confessarii Regulares approbati ab Episcopo ad audiendas Confessiones Sæcularium possint deputari à suis Superioribus ad audiendas Confessiones Monialium iisdem subjectarum?* Respondetur Negativè; quia opus est specifica Episcopali approbatione pro Confessionibus Monialium; aliàs Confessiones sunt invalidæ, tum ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii ad dubia circa Bullam *Inscrutabili*, &c. Gregorii XV. *dub. 9. & 10.* quam ponit etiam Lauretus de Franchis *pag. 173. & 174. De Controversiis inter Episc. & Regular.* & Joann. Anton. Novarius *in Summa Bullarii part. 2. Commentar. 66.* tum ex annexa moderna Constitutione Clementis Papæ Decimi incipien. *Superna Magni Patris familias, &c.* 20. *Maji* 1670. quæ in Bullario Romano est *tom. 6. Constit. 7.* & quam ponit Busembaum in fine operis. Cujus quidem Constitutionis tenorem hic transcribere non me piget, ad commodum Confessariorum Regularium; siquidem dubia supra proposita magis elucidat, & alia omissa, brevitatis causa, declarat, & determinat; itaut ad dicta Moralistarum, & præcipue Dianæ Coordinati *tom. 7. tract. 1. à resol. 65. usque ad 86.* non sit ampliùs recurrendum; sed ad diffinitionem hujus Clementinæ, quæ ita disponit, præcipit, ac decernit.

CLEMENS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Superna magni Patris familias præordinatione, &c. (ommissis §§. 1. 2. & 3. disponentibus de prædicatione Regularium.)

§. 4. *Ad hæc, Religiosos ab Episcopo ad confessiones Sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum Sæcularium confessiones audiendas nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum; sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii minimè posse andire confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidemque Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione, in vim approbationis hujusmodi, illarum confessiones audire. Sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Ceterùm in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta instituta Regularia vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quam Confessores Regularium eorumdem Monasteriorum, seu Collegiorum audire confessiones illorum Sæcularium, qui inibi sunt verè de familia, & continui commensales; non autem illorum, qui tantùm ipsis deserviunt. Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum, in Diœcesi propria, admittendos. Quo ad cæteros verò, qui non adeò idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere; semel autem simpliciter approbatos posse in Diœcesi Episcopi approbantis, quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire, absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorumdam infirmorum Parochum illicò certiorem reddere, & hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi; sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.*

§. 5. *Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit* Omnis utriusque sexus, *quo ad confessionem dumtaxat satisfeciisse censendos. Regulares verò ad hujusmodi confessiones audiendas, prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, (secùs autem si ab ejus Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis) approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterùm examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare; sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.*

§. 6. *Porrò si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à Confessionibus suspendendi, (in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus,) cum præcipua Ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas, utique eam causam ad Confessionis ministerium pertinere, ac proindè nihil obstare, quominùs ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à Confessionibus audiendis. Attamen Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica nullatenus posse. Ex facultatibus per Mare Magnum, aliave Privilegia, Regularibus cujuscunque Ordinis, Instituti, aut Societatis etiam JESU concessis, factam ei non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis. Et per confirmationes dictorum Privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post S. Concilium Tridentinum obtinuerant, nequaquam revixisse Privilegia, priùs ab eodem Concilio, aut deindè Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absolvendi à casibus Episcopo reservatis.*

§. 7. *Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideò à casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem Regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit, in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse. Vigore supradictorum Privilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam satisfacta parte, absolvere pœnitentes à censuris quo ad externum, & judiciale forum; & absolutos ab eis in foro Pœnitentiali utique non censeri absolutos in exteriori judicio, & contentioso. Quinimmò censuris Ecclesiasticis irretitos, & denunciatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi à Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis privilegiis coram Episcopo, ab eo judicentur, ipsa non suffragari casui, de quo agitur; si dictorum Privilegiorum verba obscura sint, & ambigua, non esse ad Metropolitanum provocandum; sed, cùm ejus sit interpretari, cujus est condere, dictorum Privilegiorum interpretationem*

Sedis

Sedis Apostolicæ judicio, prout aliàs Constitutione Prædecessoris Nostri fel. rec. Clem. IV. statutum fuit, esse requirendam.

§. 8. & §. 9. Præcipit ita esse judicandum à quocumque cum clausula *Sublata &c.* & cum *Decreto irritanti, &c.* derogando ampliſſimis clauſulis derogatoriis quibuſcumque Privilegiis, aut Bullis contrariis; etiam *Bullæ Aureæ*, quæ est illa Congregationis Casinensis solventis annuatim Unciam unam Auri Sedi Apostolicæ pro manutentione suorum Privilegiorum, ut *in Bullar. Casinen. tom.* 1. *Constit.* 59.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnat. Dom. 1670. *XI. Kalend. Junii, Pontificatus Nostri anno primo.*

Verùm de facultate competente Confeſſariis Regularibus pro abſolutione à Cenſuris, & caſibus reſervatis, & pro diſpenſatione Irregularitatum, & commutatione Votorum agemus appoſitè infra in *Deciſ. XLVI. per totam.* Interim hoc unum, corollarii loco, ad favorem Regularium Confeſſariorum adnotantes, quòd ii poſſunt ubique audire Confeſſiones in illa Diœceſi, in qua ab Epiſcopo fuerunt approbati, licèt in eorum mandatis ſint hæc verba: *Ut in Eccleſia tui Ordinis confeſſiones utriuſque ſexus fidelium audire poſſis, & valeas, &c.* ſiquidem talia verba ſtant demonſtrativè, non taxativè, ut pluribus argumentis demonſtrat Bardonus *Var. reſol. part.* 1. *reſol.* 36. *num.* 34. & in Miſcellaneis ſuis *Deciſ.* 471.

DECISIO XXXIX.

ARGUMENTUM.

Diſſeritur de Confeſſariis Religioſorum, & de eorum approbatione per Prælatos Regulares tantùm facienda. Examinatur famoſa Quæſtio, An Religioſus habens licentiam eligendi extraneum Confeſſarium, poſſit eligere ſimplicem Sacerdotem à nemine approbatum? Firmatur opinio negativa contra torrentem Moraliſtarum. Alia plura dubia proponuntur, ac reſolvuntur, concernentia Confeſſarios Religioſorum exiſtentium intra, & extra Monaſterium; nec non Itinerantium, Novitiorum, Famulorum, Hoſpitum, ac tandem Tertiariorum.

SUMMARIUM.

1 *Approbatio Epiſcopi non eſt neceſſaria pro Confeſſariis Religioſorum.*
2 *Prælati Regulares non audiunt Confeſſiones ſuorum ſubditorum; & cur?*
3 *Epiſcopi cur non audiant Confeſſiones Sacramentales?*
4 *Religioſi debent confiteri Confeſſariis, per ſuos Superiores deputatis, & non aliis, niſi in tribus caſibus. Et qui ſint?*
5 *Religioſus itinerans num poſſit confiteri Sacerdoti à nemine approbato? Opinio negativa, & affirmativa. Argumenta utriuſque.*
6 *Epiſcopi confiteri tenentur Sacerdoti approbato; ac etiam Cardinales.*
7 *Jubilæi vigore Religioſi eligentes Confeſſorem extraneum, approbatum eligunt ab Epiſcopo.*
8 *Religioſus exterum Sacerdotem niſi approbatum eligere in Confeſſarium non poteſt.*
9 *Approbatus debebat eſſe Confeſſarius eligendus ante Trid. Concil.*
10 *Gloſſæ opinio prævalet opinionibus aliorum Doctorum.*
11 *Idoneitas in Confeſſario pendet ab approbatione Superioris.*
12 *Juriſdictio data ſine approbatione Confeſſarii non ſufficit ad abſolvendum.*
13 *Prælati Regulares confiteri non poſſunt niſi Sacerdoti approbato.*
14 *Socio Sacerdoti itinerans Religioſus debet confiteri.*
15 *Jo. Cephalus Jureconſultus ubi ſepultus.*
16 *Religioſus in aliena Eccleſia celebraturus poteſt ibi extero confiteri.*
17 *Itinerans ex fictâ cauſâ, & in fraudem, non eligit Confeſſarium.*
18 *Licentiæ eligendi Confeſſarios an poſſint prohiberi Religioſis?*
19 *Novitii, ac famuli Regularium, quibus confiteri poſſint? & numer.* 20.
21 *Veſtiendus Novitius an confiteatur approbato per Prælatum Regularem?*
22 *Sæculares Presbyteri an poſſint à Prælato Regulari deputari in Confeſſarios ſui Conventus?*
23 *Hoſpites in Monaſteriis an confiteri poſſint eorum Confeſſariis?*
24 *Tertiarii an poſſint confiteri Sacerdotibus per Epiſcopum non approbatis?*

POſt approbationem Confeſſariorum Regularium pro audiendis Sæcularium confeſſionibus, de qua ſupra diſſeruimus, convenit, ut de eorundem Regularium approbatione agamus reſpectu excipiendarum Confeſſionum ſuorum Religioſorum, & aliorum degentium in ipſorum Monaſteriis, Clauſtris, ſeu Conventibus. Igitur ſcire oportet, quòd non eſt neceſſaria approbatio Epiſcopi pro audiendis Confeſſionibus Religioſorum commorantium, ac viventium ſub obedientia ſuorum Prælatorum Regularium: Siquidem Concilium Tridentin. *in cit. ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 15. ſubjecit approbationi Epiſcopali Regulares audituros Confeſſiones Sæcularium; non autem illas Religioſorum; hi enim quo ad Sacramenta, & præcipuè quo ad Pœnitentiam, pendent à Juriſdictione propriorum Superiorum, qui gerunt vices Epiſcoporum, ac Parochorum erga Religioſos ſibi ſubditos: quorum propterea Confeſſiones Sacramentales audire, & eos à peccatis abſolvere poſſunt, auctoritate ſibi à Summis Pontificibus conceſſa, vel per ſe ipſos, vel per alios Confeſſarios à ſe deputatos, ac approbatos; ut in puncto docent inter Canoniſtas Barboſa *de Jure Eccleſ. Univerſ. libr.* 1. *capit.* 43. *numer.* 204. & Fagnanus *in cap. Omnis utriuſque ſexus, num.* 62. ac inter Theologos Suarez *de Pœnitent. diſput.* 28. *ſect.* 1. *numer.* 4. Bordonus *Var. reſol. part.* 1. *reſol.* 4. *num.* 2. & 3. nec non *reſol.* 34. *numer.* 3. ubi alios cumulat. Lezana *in Summa tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 25. 26. & 27. Noviſſimè Eminentiſſimus Card. de Lauræa *de Sacrament. Pœnitent. diſput.* 19. *à num.* 56. *& ſeqq.* quibus addo egregium Juriſtam Jacobum Pignatellum *tom.* 10. *conſult.* 30. *num.* 35. Quòd adeò verum eſt, ut iidem Confeſſarii Regulares approbati ab Epiſcopo, non autem à Prælato ſuo, non poſſint audire Confeſſiones Religioſorum, neque eos abſolvere. Lezana *dict. tom.* 1. *capit.* 18. *numer.* 26. & ibi Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 16. *num. ult.* Jo. Ant. Novarius *in Summa Bullar. part.* 2. *Commentar.* 35. *num.* 3.

Quamvis autem Prælati Regulares, & Monaste-
2 riorum Superiores possint auctoritate sua ordinaria Religiosorum sibi subditorum confessiones audire Sacramentales, & eos à peccatis absolvere; nihilominùs hoc munus Confessariorum personaliter, ac per se exercere non debent; attenta prohibitione iisdem Superioribus facta per Summum Pontificem Clementem VIII. qui in suo Decreto casuum reservandorum pro Religiosis *diei* 26. *Maii* 1593. posito inter Constitutiones Urbani VIII. *tom.* 4. *Bullar. Rom. Constitut.* 26. *pag.* 43. (quod referunt etiam Quaranta *in Summa Bullar. Verb. Casus reservati.* Novarius *dict. part.* 2. *Commentar.* 35. & ego quoque transcribam integrum *in Decis. XLVI.* occasione reservationis casuum Prælatis Regularibus permissæ,) in eodem, inquam, Decreto §. 2. ita ait: *Non liceat Superioribus Regularium Confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint; aut ipsimet subditi sponte, ac proprio motu id ab iis petierint.* Ac subindè ita præcipit §. 3. *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios, pro subditorum numero majori, aut minori; iique sint docti, prudentes, ac charitate præditi; qui à non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipse in primis Confessarius judicaverit.* Undè patet, quòd si subditi ex propria voluntate velint confiteri peccata sua Prælatis propriis, ac Superioribus, possunt ab eis audiri, ac absolvi: At ad hoc adigi, vel obligari non debent ex ea evidenti ratione, quam innuit Summus Pontifex in eodem Decreto; ne videantur Superiores frangere Sigillum Confessionis, & uti scientia habita in Sacramento, quando pro bono regimine Monasterii coguntur aliquem subditum exteriùs punire, & hac de causa, quamvis priscis
3 temporibus Sancti Antistites sedulam navarent operam in Confessionibus audiendis, ut de Sancto Ugone, ac de Divo Ambrosio, & aliis refert Pax Jordanus *tom.* 1. *libr.* 3. *tit.* 4. *num.* 3. nunc autem moderni Episcopi abstinent ab hoc munere, & ab eodem abstinuit Sanctus Carolus Borromæus, teste Genuense *in Manuali Pastor. cap.* 62. ut scilicet in foro exteriori possint absque scrupulo animadvertere in subditos; licèt enim Confessarius possit aliquando absque violatione Sigilli, uti scientia, quam habuit intra, & extra Sacramentum, ut probat Eminentiss. Card. de Lauræa *de Pœnit. disp.* 21. *num.* 295. *num.* 300. *& num.* 312. & infra docebimus *Decis. XLIX.* nihilominùs non debet loqui de peccato sibi in Confessione detecto, etiamsi illud sciverit extra illam; quotiescumque subest periculum scandali. Eminentiss. Card. Turrecremata *in cap. Sacerdos. de Pœnitent. dist.* 6. & Toletus *in Summ. libr.* 3. *cap.* 16. *num.* 10.

Igitur Religiosi tenentur confiteri sua peccata Confessariis approbatis, & deputatis per eorum Su-
4 periores, ac Prælatos; neque alios possunt adire, nisi in tribus casibus. Primus est, quando de licentia suorum Superiorum iter agunt; nam ex Privilegiis Apostolicis Religiosi itinerantes facultatem habent eligendi sibi in Confessarium quemlibet Sacerdotem, ut concessit Innocentius VII. Dominicanis; Sixtus IV. Franciscanis; quorum Privilegiorum verba ponit Confectius *pag.* 3. *& fol.* 78. Bordonus *Var. resolut. d. part.* 1. *resol.* 34. *num.* 2. ac Tamburinus *de Jure Abbatum tom.* 2. *disput.* 6. *quæst.* 6. *num.* 7. Alter casus est, quando Superior alicujus Monasterii gratiosè concedit sibi subdito, etsi permanenti in Monasterio, ut possit confiteri peccata sua etiam Confessario extraneo; nam per hanc concessionem censetur illum in confessarium deputare, & jurisdictionem ad absolvendum prædictum subditum impertiri: ut differit, & probat idem Bordonus *d. part.* 1. *resol.* 4. *num.* 3. *& resol.* 34. *num.* 19. Tertius casus est, quando Religiosi vadunt ad Pœnitentiarios Papæ. Lezana *d. tom.* 1. *cap.* 18. *num* 26. & Bordonus *d. resol.* 34. *num.* 59. Sed de his Papæ Pœnitentiariis plura dicentur infra in *Decis. XLVIII.* Cæterùm, quia circa utrumque casum Moralistæ promovent plura dubia, quæ potiora sunt veniunt hìc breviter referenda. Itaque

Primum dubium est: *An Religiosus itinerans, vel qui Domi manet, sed habet licentiam à suo Superiore confitendi peccata cuicumque voluerit, possit eligere sibi in* 5 *Confessarium simplicem Sacerdotem sivè Regularem, sivè Sæcularem, à nullo Prælato, vel Episcopo approbatum.* Ad hoc dubium respondet negativè Miranda *in Manuali Prælat. Regul. tom.* 2. *quæst.* 33. *art.* 6. ea ratione, quia de jure communi, & de consuetudine universali, quæ ante Concilium Tridentinum vigebat, nullus Religiosus poterat confiteri peccata sua, nisi Sacerdoti approbato per ipsius Prælatum, vel Regularem, si ille Sacetdos Regularis erat; vel per Episcopum, si fuerat Sæcularis. Ergo multò minus poterit eligi in Confessarium Sacerdos simplex à nemine approbato post Concilium Tridentinum, à quo tanta energia requiritur idoneitas, & approbatio in audituro Confessiones. Confirmatur ab exemplo Episcoporum, qui ante ipsum Concilium Tridentinum poterant confiteri peccata sua cuilibet Sacerdoti etiam non approbato *per text. in cap. fin. de Pœnitent. & Remiss.* Sed post prædictum Con- 6 cilium tenentur confiteri vel approbato à seipsis in eorum Diœcesibus, vel ab Ordinario loci, ubi reperiuntur, quando volunt confiteri; ut, hæsitantibus de hoc Cardinalibus in Congregatione, respondit Gregorius XIII. teste Diana, & cum eo pluribus DD. quos allegat *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 3. *num.* 2. reposita in Coordinato *tom.* 7. *tract.* 1. *resol.* 92. quibus ego addo Nicolium *Canonic. Lucubrat. tom.* 2. *libr.* 5. *tit.* 38. *num.* 10. *pag.* 236. *col.* 2. ubi ita scribit: *Sed an Episcopus vigore Privilegii, de quo in cap. fin. de Pœnitent. & Remission. possit eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui non fuerit à proprio Ordinario antea approbatus? S. D. N. Gregorius XIII. audita relatione Sacræ Congregat.* 2. *Decemb.* 1582. *respondit, Non posse. In Congregatione nihil de hoc resolvi potuerat, quia vota fuerant paria. Unde Episcopus extra suam Diœcesim non potest confiteri neque Regulari, qui non sit approbatus ab Ordinario loci.* Idem docet, ac tenet post longam disputationem Fagnanus *in d. cap. fin. de Pœnitent. & Remiss. num.* 62. ubi eandem negativam opinionem procedere probat circa personas Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, qui sibi Confessorem eligere non valent, à suo Ordinario non approbatum. Quapropter neque simplex Religiosus vel iter agens, vel licentiam habens à suo Superiore confitendi cui maluerit, poterit sibi eligere Sacerdotem non approbatum. Affirmativam tamen sententiam tenent communiter Theologi infra citandi; quam mordicùs defendit Bordonus *d. part.* 1. *resol.* 34. *num* 2. ubi eam propugnat pluribus argumentis; & præcipuè quia in Privilegiis concessis de hac electione per Innocentium VII. & Sixtum IV. nulla fit mentio de dicta approbatione, quam Pontifices illi expressissent, si eam necessariam reputassent; prout 7

ipsam

ipsam nunc exprimunt in Bulla Jubilæi, ubi loquuntur de Confessario eligendo per Religiosos, dicentes, quòd sit approbatus à locorum Ordinariis. Ac etiam quia eatenus in aliis necessaria est approbatio Ordinarii, ut per eam electus recipiat Jurisdictionem absolvendi pœnitentes; sed hæc Jurisdictio tribuitur à Prælato Regulari, quando dat licentiam suo subdito, ut se subjiciat Sacerdoti per eum eligendo in confessarium; siquidem etiamsi ille confessarius haberet approbationem, & Jurisdictionem à suo Ordinario, nil valeret respectu hujus Religiosi tanquam exempti, & extra sphæram Episcopalis potestatis, vel cujuscumque alterius Prælati, nullum jus habentis in Religiosum eligentem; & tandem quia ante Concilium Tridentinum vigore *cap. Omnis utriusque Sexus. De Pœnit. & Remiss.* qui habebat licentiam à suo Ordinario, vel Parocho confitendi alteri Sacerdoti, poterat, quem malebat, etsi à nullo approbatum, eligere: ideò hanc opinionem amplectuntur DD. propè innumeri, quos citat, & sequitur Diana *part. 3. tract. 2. resol. 3. num. 3.* & in addit. *resol. 4. num. 6.* Item *part. 4. tract. 4. resol. 3.* Nec non *part. 9. tractat. 8. resol. 55.* Quæ quidem resolutiones collocatæ reperiuntur in ejus opere Coordinato *d. tom. 7. resol. 92. resol. 96. resol. 97. & resol. 98.* Alios plurimos cumulat Bordonus ipse *d. resol. 34. num. 3.* quibus consentit Lezana *in Summa d. tom. 1. capit. 18. num. 27.* & passim alii multi Scriptores Regulares.

Cæterùm, veritatis amore ductus, cogor ab hac
8 affirmativa opinione discedere, & ei non assentire, etsi tanta Moralistarum caterva stipatæ; imò illam expresse impugnare; quandoquidem rationes consideratæ per Bordonum (salva reverentia tanti Viri, cujus scripta aliàs apud me magnam habent veneration em) non sunt veræ de jure; nam, ut ab ultima incipiam, falsum est, quòd ante Concilium Tridentinum qui haberet licentiam à suo Superiore eligendi sibi confessarium, posset sibi eligere simplicem Sacerdotem à nemine approbatum; totum
9 enim contrarium testatur Glossa *in cap. Omnis utriusque Sexus. in Verb. alieno Sacerdoti. De Pœnitent. & Remiss.* nec non *in Clem. 1. Verb. Speciali. De Privileg.* quæ utrobique advertit in tali casu eligendum fuisse Sacerdotem habentem ordinis executionem; & à suo Superiore ad confessiones audiendas approbatum. Glossæ autem opinio prævalet, & antepo-
10 nitur opinionibus quorumcunque Doctorum, ut plenè probat Fagnanus *in cap. Cum Vos in fin. De Offic. Ordin.* & notat Calcaneus *cons. 6. num. 5. & 6.* maximè quia in præsenti casu Doctrina Glossarum supradictarum fundatur in dispositione Sacrorum Canonum antiquorum, videlicet *in cap. Adjicimus. §. Ecce in hoc* & in *cap. Generaliter. §. Hoc idem. 16. qu. 1.* ubi ore rotundo dicitur, quòd nullus Sacerdos sivè Sæcularis, sivè Regularis administrabat Sacramentum Pœnitentiæ, nisi approbatus ad hoc munus per suum Superiorem, & per Episcopum. Hoc idem affirmant antiqui Canonistæ, inter quos Abbas *in dict. capit. Omnis utriusque sexus. num. 14.*
11 Cardinalis Zabarella Patavinus, per antonomasiam Cardinalis appellatus, *in d. Clem. 1. de Privil. qu. 33.* & in alia *Clem. 1. qu. 14. De Offic. Vicar.* nec non Butrius *in eodem capit. Omnis utriusque sexus num. 39.* quos refert, & eorum attestationem confirmat ipsemet Fagnanus *ibid. num. 10. & num. 53.* undè fit, ut his Canonistis potiùs, quàm Moralistis, seu Scholasticis Theologis sit deferendum, cùm agatur de Sacrorum Canonum interpretatione, ut novissimè advertit Eminentiss. Cardinalis de Luca in *Annot. ad Concil. Trid. disc. 26. num. 24.* & in tractatu *de Matrimon. disc. 3.*

Hinc, ut ad rationes Bordoni redeam, neque prima vera est, quam ipse considerat; videlicet, quòd Innocentius VII. in Privilegio concesso Religiosis pro hac electione confessarii, nullam faciat mentionem de eligendi approbatione; quamvis enim explicitè, & per hoc vocabulum non loquatur, implicitè tamen ipsam approbationem supponit, dum ait: *ut si aliquem Presbyterum idoneum, ex Professoribus dicti Ordinis habere non possint, quemcunque alium idoneum, & discretum Religiosum, vel Sacularem in eorum confessorem eligere valeant.* Per illa verba *idoneum ex Professoribus dicti Ordinis*, utique denotat Confessarium expositum ad excipiendas Religiosorum confessiones, & per consequens à suis Superioribus approbatum, & judicatum idoneum. Eo autem deficiente, per subsequentia verba, *quemcunque alium idoneum, & discretum Religiosum, vel Sæcularem, &c.* utique insinuat præcedentem ejus approbationem; cùm nemo dici possit idoneus ad confessiones audiendas, qui à suo Superiore non sit examinatus, & approbatus; prout de idoneitate personæ tradunt Menochius *de arbitr. Jud. casu 142. num. 2. & 4.* ac Gratianus *Disceptat. for. cap. 289. num. 12.* Idcirco modernis temporibus in Bulla Jubilæi apposita est expresse approbatio confessarii eligendi per Religiosos, ne frustrentur tanto beneficio, si eligant non approbatum; & in tacitam condemnationem non rectæ opinionis asserentis posse eligi non approbatum ab habente licentiam confitendi cui maluerit; esset enim prædicta approbatio necessaria, quamvis Bulla Jubilæi illam non exprimeret; ut ex mente Sacræ Congregationis Concilii testatur Fagnanus *in cit. capit. Omnis utriusque sexus num. 18. de Pœnit. & Remiss.* & cùm sit explosa hæc opinio eligendi non approbatum in Jubilæis, censetur rejecta etiam in aliis electionibus de licentia Prælati; nam lex corrigens in uno ex correlativis, corrigit etiam in alio *l. fin. & ibi* Bartol. & DD. *Cod. de Indicta Viduit. tollen.*

Pariter nihil concludit ratio Jurisdictionis ad absolvendum Religiosum, quam confert Prælatus ejusdem Religiosi eligentis; & necesse non est, ut conferatur confessario electo, vel per Episcopum, vel per ejus Superiorem; quia esto, quod ita fiat, non est satis sola jurisdictio sic attributa electo, quando ipse non sit factus idoneus ad 12
exercitium illius jurisdictionis per approbationem, à proprio suo Superiore de ejus persona faciendam; duo enim sunt impedimenta auferenda à Sacerdote confessiones audituro; defectus scilicet Jurisdictionis, & idoneitatis: tollitur primum per jurisdictionem concessam à Superiore Religiosi, mediante licentia ei data, ut confiteatur cui velit; sed remanet secundum, quod per solam approbationem idoneitatis, à proprio Superiore electi obtinendam, auferri potest. Igitur hoc secundo impedimento remanente munus confessarii exercere non potest arg. *text. in cap. Extuarum. De usu palii, & cap. Pastoralis. De Privil.* quod in puncto considerat Fagnanus *ubi supra num. 7. & 8.*

Quapropter est omnino tenendum, quòd prædicti Religiosi itinerantes, vel extra Monasterium de Prælatorum suorum licentia manentes, si habeant facultatem ab ipsis eligendi sibi confessarium, de-

beant eligere Sacerdotem approbatum ab ejus Superiore, & confessionibus audiendis idoneum judicatum, atque expositum; tum quia hujusmodi Religiosis non debet esse concessum, quod non permittitur Episcopis, & Cardinalibus; tum quia nimis irrationabile esset, quòd simplex Religiosus, & qui esset illiteratus, ac idiota, haberet jus judicandi idoneum, & approbandi sibi in confessarium quemcunque simplicem Sacerdotem Sæcularem, vel Regularem, se ipso magis illitteratum, ac magis idiotam; & forsan qualitatis illius capellani reperti à R. P. Suarezio, de quo locutus sum supra *Decis. XXXI.* qui pro forma absolutionis recitabat *Angelicam Salutationem*; tum etiam quia non desunt gravissimi Theologi (præter Fagnanum, & alios Canonistas supra allegatos) qui unà cum Miranda ita docent, & sentiunt, inter quos Vivaldus *in Candelabro Aur. parte* 1. *in tit. de Confessione num.* 26. *in fin.* & ex professo Lopez de Texeda *tom.* 2. *Theolog. Moral. libr.* 3. *tract.* 1. *controvers.* 6. *qu.* 3. *numer.* 71. cujus verba non transcribo, quia leguntur relata à Diana *d. part.* 9. *tract.* 8. *resol.* 55. quæ in coordinato est *tom.* 7. *tract.* 1. *resol.* 98. *num.* 1. 2. 3. cui adhæret Joan. M. Novarius *De elect. for. cap.* 69. *num.* 22. & Peregrinus *in Comment. ad Constit. Clericor. Regul. in novis. addit. qu.* 4. cujus opinione exasperatus Diana *d. part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 3. quæ in Coordinato residet *tom.* 7. *tract.* 1. *resol.* 97. vocat ejus rationes catapultas, & arietes.

Extenditur hæc inhabilitas eligendi in confessarium Sacerdotem à nemine approbatum etiam ad Prælatos Regulares, qui adinstar Episcoporum de-
13 bent confiteri vel suo subdito per eos approbato, vel alteri Sacerdoti habenti à proprio Superiore approbationem ex juribus, rationibus, ac auctoritatibus supracitatis, minimè attenta contraria assertione Bardoni, & aliorum asseclarum, quos cumulat *d. part.* 1. *resol.* 34. *num.* 32. & 33. & eò minùs subditi possunt eligere non approbatum, quando itinerantes habent Socium Sacerdotem approbatum à Superiore suo; vel hospitantur in Monasteriis, seu Conventi-
14 bus, in quibus extant Confessarii deputati; istis enim tunc tenentur confiteri peccata sua; ut concedunt Bardonus *d. part.* 1. *resol.* 4. *num.* 6. & antedicta *resol.* 34. *num.* 4. & docent Tamburinus *de Jure Abbat. tom.* 2. *dis.* 6. *quæst.* 6. *num.* 4. & 6. Layman *libr.* 5. *tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 20. & Gobatus *in Theol. Experim. tract.* 7. *à num.* 646. *& seqq.* ubi prudenter advertit in his casibus attendenda esse statuta Religionum; in pluribus enim Religiosis Ordinibus prohibent confiteri alteri, quàm Sacerdoti ejusdem Ordinis, à Superiore destinato, prout constat de PP. Cathusianis, ac de Capuccinis. Et hæc satis de primo dubio.

Secundum dubium est: *Si Religiosus neque sit iter agens, neque manens extra Monasterium; sed occasionaliter reperiatur extra claustra, puta celebraturus in aliena Ecclesia (ut facit in hac Parochiali Sancti Petri de Padua Procurator Carmelitarum officians ab annis centum, & ultra quotidianam Capellaniam in-*
15 *stitutam à celeberrimo Jureconsulto Joanne Cephalo in hac Ecclesia ante Altare majus sepulto) vel existat in Episcopio recepturus Ordinem Sacrum, & recordetur alicujus peccati mortalis; An in hoc casu prædictus Religiosus possit confiteri Regulari approbato alterius Ordinis, vel Confessario Sæculari deputato per Episcopum?* Respondetur Affirmativè à Bordono *dict. part.* 1. *resol.* 34. *num.* 27. Tum quia in privilegiis Religiosorum de non confitendo exteris Sacerdotibus excipitur casus 16
necessitatis, qualis videtur esse antescriptus, ne Religiosus ille aut scandalum det, aut cogatur celebrare, vel communicare in mortali, & necessitas non est subjecta legibus. *cap. Quando. de consuetud.* & facit licitum, quod erat illicitum. *cap.* 4. *de Regulis Jur.* Tum etiam quia prædictus Religiosus est similis itineranti, & pro eo stat præsumpta licentia sui Superioris, ut possit alteri extraneo confiteri.

Tertium dubium: *Si Religiosus adversionem habens cum Confessario sui Conventus, assumat iter ex aliqua ficta necessitate, sed cum hac fraude, & intentione confitendi extraneo, An ejus confessio sit valida?* Respon- 17
detur negativè; & nulla erit absolutio, quia fraus, & dolus nemini debet patrocinari. *cap. Sedes Apostolica. De Rescript.* & Privilegium eligendi exterum Confessarium requirit, ut in itinerantibus absit fraus. Sorbus *Verb. Absolutio Ordin. quo ad fratres* §. 23. Bordonus *d. resolut.* 34. *num.* 25. Ubi secùs dicendum esse advertit, si causa iter agendi esset vera, quamvis cum animo confitendi extero; puta si arriperet iter ad alibi concionandum, vel ad comparendum coram Provinciali, aut Generali ex legitimo motivo; tunc enim fraus, quæ non est principalis, sed secundaria non nocet; ut ait Navar. *cons.* 6. *num.* 4. *de Converf. Conjug.* & facit textus *in cap. Quia diversitatem. De Conces. Prabend.*

Quartum dubium: *An Religio, seu Generalis, vel* 18
Provincialis cum suis Capitulis possint prohibere has licentias eligendi exteros Confessarios Religiosis aut peregrinantibus, aut in claustris manentibus, sive subditis, sive in Prælatura positis? Respondetur negativè pro peregrinantibus, ac iter necessarium agentibus; quia fundantur in Privilegiis Apostolicis, quæ decet esse mansura *Reg.* 16. *in* 6. & à nemine violari. *cap. Quanto.* 26. *de Privil.* præcipuè ab inferioribus. *cap. Cum Inferior.* 16. *de Major. & Obed. Clement. Ne Romani. De Elect.* At pro degentibus in claustris, respondendum est affirmativè, & optimum est has licentias auferre tam subditis, quàm Prælatis, quæ fovent libertatem peccandi, & destruunt Regularem disciplinam, Bordonus alios citans *d. part.* 1. *resol.* 34. *num.* 35. ubi dicit, de facto in pluribus Religionibus existere prohibitionem harum licentiarum, ut de Theatinis, ac Dominicanis,

Quintum Dubium: *An præter Religiosos prædictos* 19
extent aliæ personæ, quæ possint confiteri peccata sua Sacerdotibus non approbatis ab Episcopo? Respondetur, extare Novitios, atque famulos, etsi laicos, continuos commensales, commorantes in Monasteriis, qui omnes possunt confiteri Confessario per solum Prælatum Regularem deputatum, prout faciunt alii Religiosi, quorum Privilegiis circa receptionem Sacramentorum fruuntur ex decreto Concilii Trident. *sess.* 24. *de Reform. capit.* 11. *& sess.* 25. *de Regular. cap.* 11. quod notant Barbosa *de Jure Eccl. Univ. dict. lib.* 1. *capit.* 43. *numer.* 205. & in Decisionibus Apostolicis *Verb. Confessarius, collectan.* 202. *num.* 19. Lezana *in Summ tom.* 2. *capit.* 16. *n.* 6 Aliter tamen est dicendum de famulis, ac laborantibus, qui die deserviunt in Monasterio, sed vespere revertuntur ad proprias domos, ut decisum refert idem Lezana ibidem à Sac Congregatione, & concordat Bordonus *eadem resol.* 34. *num.* 41. Illud autem est advertendum, quòd famuli laici continui commensales possunt etiam confiteri extero Sacerdoti per Episcopum approbato; sed non etiam Novitii; hi enim obligati sunt confiteri confessario ad eorum con-

confessiones excipiendas per Prælatos Regulares Superiores suos deputato; aliàs absolutio esset invalida, ut probat Bordonus *de Profess. Regulari cap.* 15. *quæst.* 18. *à num.* 44. *& seqq.* Tamburinus *de Jure Abbat. d. tom.* 2. *disp.* 6. *qu.* 6. *num.* 11. Vechius *in praxi Novitior. disp.* 10. *dub.* 3. *num.* 3. Megala *part.* 1. *libr.* 1. *cap.* 8. *num.* 20. & Peregrinus *in dict. Commentar. ad Constitutiones Clericor. Regular. part.* 2. *capit.* 5. *lit. K. quæst.* 8. contra quem tanquam lacessitus insurgit Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 4. *& part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 5. Quæ impressæ sunt in Dianæ Coordinati *tom.* 7. *tract.* 1. *resol* 105. *&* 106. in quibus tum rationibus, tum Doctoribus demonstrat, Novitios posse valide absolvi à Confessariis per solum Episcopum approbatis; siquidem nondum sunt Religiosi, aut Religionis legibus obligati. Rationes utriusque opinionis apud eosdem Bordonum, & Dianam studiosus Lector videat, ac judicet.

Sextum dubium: *An Novitii, omisso proprio Magistro eis deputato in Confessarium, ad præscriptum supra*
20 *relati Decreti Clementis Papæ VIII. saltem possint confiteri aliis confessariis expositis in eodem Monasterio, vel Conventu pro confessionibus Professorum?* Resp. Affirmativè; nisi essent statuta in Religione, irritantia eorundem Novitiorum confessiones aliis Confessariis, quàm suo Magistro factas; vel nisi esset prohibitum per Prælatos iisdem Confessariis eos audire; tunc enim tanquam privati Jurisdictione in Novitios, eos invalidè absolverent. Bordonus *dict. part.* 1. *resol.* 4. *num.* 11. *&* 12. nec non *d. resol.* 34. *num.* 38.

Septimum dubium. *Utrùm Juvenis nondum receptus inter Novitios, & nondum indutus habitu Religionis, sed infra paucos dies induendus, possit interim*
21 *confiteri Confessario à solo Prælato Religionis, non autem ab Episcopo, approbato?* Affirmativè respondet Bordonus *d. resol.* 34. *num.* 58. quia proximè accingendus habetur pro accincto. *l. ex tempore* 43. *ff. de Testam. milit.* Idem Bordonus *de Profess. Regulari cap.* 12. *n.* 15. *&* 16. ubi per paucos dies intelligit unam hebdomadam ante induitionem habitus.

Octavum dubium. *Quatenùs Novitius esset Sacerdos, An Prælatus Regularis posset eum deputare in*
22 *Confessarium pro Professis sui Monasterii?* Affirmat Bordonus, quia & ipse est Religiosus subditus eidem Prælato *dict. part.* 1. *resol.* 4. *num.* 26. dummodo iste casus non esset expressè prohibitus in Statutis Religionis. Imò Prælatus Regularis potest deputare pro audiendis confessionibus Religiosorum sibi subditorum quemcunque Presbyterum Sæcularem à nullo Episcopo approbatum. Suarez *in* 3. *p. D. Thom. tom.* 4. *de Sacrament. Pœnitent. disputat.* 28. *sect.* 4. *num.* 5. & Pellizzarius *in Man. Regul. tom.* 2. *tractat.* 8. *cap.* 2. *num.* 2.

Nonum dubium. *An Hospites laici, qui devotionis, vel recreationis causa per aliquot dies morantur in Monasteriis vel Conventibus Regularium, (ut sæpè ac-*
23 *cidit in Monasterio S. Justinæ de Padua; vel in Eremo Ruæ RR. PP. Eremitarum Camaldulensium) possint ibidem confiteri peccata sua Confessariis Religiosis non approbatis ab Episcopo, sed à solo Prælato Regulari deputatis?* Respondetur Negativè ex doctrina Suarii *de Religione tom.* 4. *tract.* 3. *libr.* 9. *cap.* 3. *num.* 18. & Peyrini *ad Constit.* 1. *Julii Secundi num.* 93. *pag.* 58. & ex manifesta ratione, quia cùm sint sæculares prædicti Hospites, eorum confessiones audiri non possunt, nisi ab approbatis per Episcopum loci; ideóque dum ego essem Vicarius Generalis in hoc Episcopatu Paduæ Sanctæ Memoriæ Eminent. ac Reverendiss. Domini mei Gregorii Cardinalis Barbadici, plures approbavi tum RR. Monachos Casinenses, tum RR. Camaldulenses Eremitas *de Ruæ* pro laicis Hospitibus sacramentaliter audiendis, atque absolvendis; excipitur casus gravissimæ infirmitatis, tunc enim ob morale mortis periculum quilibet Sacerdos potest eos absolvere, & ab iisdem Religiosis omnia Sacramenta possunt ipsis Hospitibus ministrari virtute antiquorum Privilegiorum; quorum meminit Bullarium Casinense *tom.* 1. *Verb. Privilegia. vers. Pius II. numero* 6. *pag.* 343.

Decimum & ultimum dubium est: *An Viri Tertiarii, & mulieres Tertiariæ, vulgò* Pizzochere,
24 *possint confiteri sua peccata Sacerdotibus non approbatis ab Episcopo, sed tantummodo deputatis per Prælatum Ordinis, cujus habitum gestant?* Pro resolutione præmittendum quo ad Viros Tertiarios, quòd istorum tres sunt species. Alii enim portant habitum pœnitentiæ ex sola devotione, & ad consequendas indulgentias, licèt vivant in sæculo, & sint uxorati, & nullam aliam habent obligationem. Alii induunt habitum, sed sine caputio, & emittunt vota simplicia castitatis, paupertatis, & obedientiæ; sed vivunt vel in propriis domibus, vel in Eremitoriis. Alii vivunt in claustris sub obedientia Prælatorum, vel cum votis simplicibus, vel cum votis solemnibus Religionis Donatus *de Regularib. tom.* 2. *tractat.* 16. *quæst.* 6. Lezana *in Summa tom.* 2. *capit.* 14. & Bordonus *d. part.* 1. *resol.* 3. *num.* 13. Tertiarii primæ, & secundæ speciei tenentur confiteri Sacerdotibus approbatis ab Episcopo. Tertiarii tertiæ speciei confitentur deputatis per Prælatum Monasterii, seu Conventus, in quo degunt. Ratio primi dicti est, quia Tertiarii primæ, ac secundæ speciei non sunt Religiosi, sed sæculares, ac laici; ut tradit Menochius *de Arbitr. Judic. casu* 56. *num.* 7. Carolus de Grassis *de Effect. Clericat. effect.* 1. *à num.* 92. & aliis DD. congestis ostendit Sperellus *Decis. II. num.* 22. Ideò non sunt audiendi Moralistæ contrarium scribentes; siquidem contra eorum doctrinam respondit Sacta Congregatio Episcoporum *die* 23. *Novembris* 1582. per litteras, quas refert Pignatellus *tom.* 7. *Consult.* 8. *num.* 43. conceptas his verbis ad Episcopum, à quo de hoc dubio fuerat consulta: *V. S. non permetta in modo alcuno, che i Tertiarii si confessino, se non à quelle persone, che sono state ammesse alle Confessioni da Lei; etiamdio, che siino Frati, perche niuno dee confessare senza l' approvatione dell' Ordinario*, & expressè prohibuit eadem Sacra Congregatio Fratribus Monasterii Sancti Dominici de Lugo Immolensis Diœcesis, ut dissert idem Pignatellus *in tom.* 3. *Consult.* 34. *in fine*, adeò ut nunc nefas sit contrarium asserere. Illi verò tertiæ speciei confitentur Confessariis deputatis per Prælatos Regulares, cum hac differentia, quòd si tria vota Religionis solemnia emiserint; non possint sine licentia sui Prælati eligere alium Confessarium; si autem vota tantùm simplicia fecerint, valeant confiteri tam Confessario Monasterii, quàm extero; & ita intelligendi sunt Theologi Regulares de Confessionibus Tertiariorum loquentes. Bordonus *Var. Resolut. dict. part.* 1. *resol.* 34. *numer.* 40. *&* 44. & clariùs *part.* 2. *Resol.* 75. *num.* 54. Lezana *d. tom.* 2. *cap.* 14.

num.

num. 34. Novarius *in Summa Bullar. part.* 2. *Comment.* 47. *num.* 6. & Lantusca *de Privil. Regul. Verb. Tertiarii num.* 2.

De Mulieribus Tertiariis respondebo in Decisione sequenti.

DECISIO XL.

ARGUMENTUM.

Confessarii Regulares non approbati ab Episcopo non possunt audire confessiones Mulierum Tertiariarum, quæ vulgò dicuntur *Pizzochere*. Harum duo genera. Conditiones, quibus Tertiariæ sunt ab Episcopis permittendæ. Plura de his Tertiariis scitu digna. Qua pœna plectendus Regularis audiens earum confessiones sine approbatione Episcopi?

SUMMARIUM.

1 *Tertiariarum Mulierum duo genera. Et quæ?*
2 *Tertiariæ collegialiter viventes sine clausura proscriptæ.*
3 *Beguinæ quænam fuerint? & cur damnatæ?*
4 *Jesuitissæ quænam fuerint? & cur suppressæ?*
5 *Mulierum adunantiæ sæpè destructæ à S. Congregatione.*
6 *Tertiariæ permittuntur in domibus consanguineorum suorum cum septem conditionibus. Et quæ?*
7 *Tertiariæ possunt contrahere Matrimonium.*
8 *Tertiariarum Confessiones quinam possint audire?*
9 *Tertiariæ Patavii S. Rosæ, S. Antonii, S. Francisci.*
10 *Tertiariæ collegialiter viventes non sunt Religiosæ.*
11 *Paulus Vallaresso Episc. Concordien. laudatus.*
12 *Confessarius non approbatus audiens Confessiones quomodo puniatur?*

PRo resolutione suprapositi dubii, *Quibus Confessariis possint, ac debeant confiteri Sacramentaliter Mulieres Tertiariæ*, vulgò appellatæ *Pizzochere*.

Præmittendum est primò, quòd nostris temporibus, & in his nostris regionibus harum mulierum
1 Tertiariarum duo sunt genera. *Unum* illarum, quæ vivunt in domibus suorum parentum, deferentes habitum Pœnitentiæ; *Alterum* illarum, quæ collegialiter vivunt, vestitæ more Monialium, sub obedientia Prælatorum Regularium, absque tamen clausura.

Præmittendum est secundò, quòd licèt Tertiariæ hujus secundi generis ex conniventia, (ne dicam
2 incuria) Episcoporum in pluribus Civitatibus, & Castris subsistant; tamen sunt proscriptæ per Pontificiam Constitutionem 8. B. Pii Quinti *de Anno* 1556. *incipien. Circa Pastoralis Officii*, in qua sancitum est, ut prædictæ Mulieres Tertiariæ vel se subjiciant perpetuæ clausuræ, & vota solemnia Religionis emittant; vel non permittantur vivere collegialiter, ob periculum scandalorum ex ingressu hominum ad illas. Donatus *de Regularib. tom.* 2. *tract.* 17. *quæst.* 1. *num.* 10. & 11. Idem *tom.* 4. *tract.* 14. *quæst.* 17. *num.* 4. Bordonus *Var. Resol. part.* 2. *resol.* 75. *num.* 50. & Lezana *in Summa tom.* 2. *cap.* 14. *num.* 38. ubi refert, sæpè declaratum fuisse à S. Congregatione Episc. & Regular. hujusmodi mulierum collegia esse omninò extinguenda; quod etiam scribunt Piasecius *in Praxi Episc. part.* 2. *capit.* 3. *art.* 7. *num.* 13. Peyrin. *tom.* 1. *ad Constit.* 4. *Sixti IV.* §. 7. *num.* 35. Barbosa *in Decis. Apostol. Verb. Tertiariæ num.* 4. & novissimè Illustrissimus, ac Reverendissimus Episcopus Crispinus (cujus humanissima conversatione Romæ mihi frui contigit anno 1667.) in suo eruditissimo tractatu *De Visitatione Pastorali part.* 2. §. 42. *num.* 164. Nimis enim mulieres absque clausura congregatæ afflixerunt Ecclesiam per omnia ferè tempora. *Clem. Cum de quibusdam. De Relig. Domib.* in qua damnatur congregatio Beguinarum, quæ erant fœminæ sic dictæ, vel à Sancta Bega sorore S. Gelonidis, vel à Lamberto Bego Sa- 3
cerdote Leodiensi, magno pietatis viro; quarum Beguinarum errores, & hæreses referuntur *in Clem. Ad nostram. De Hæretic.* Ac eadem de causa Sacra Congregatio Episcoporum *anno* 1617. 7. *Martii* commisit Archiepiscopo Bononiensi; prout etiam *die* 11. *Augusti ejusdem anni* Episcopo Forosempronienſi, ut remitterent ad domos suas quasdam Mulieres, ac Virgines congregatas, spiritualem vitam simul acturas. Pignatellus *tom.* 2. *consult.* 65. *num.* 4. & Urbanus Papa VIII. Anno 1630. per suam Constitutionem CX. *in tom.* 4. *Bullar. Rom. incipien. Pastoralis*, &c. Suppressit, ac destruxit Congregationem quarundam Mulierum, ac Virginum, quæ assumpto nomine *Jesuitissarum*, & creata sibi Præposita 4
una earum, in cujus manibus vota obedientiæ, castitatis, ac paupertatis emittebant, seu prætextu zeli animarum divagabantur cum summo pudoris detrimento; opera, quæ nisi doctissimis viris conveniunt, assumentes: ut latiùs in dicta Constitutione. Pariter *anno* 1636. 22. *Augusti, in una Florentina* Sacra Congregatio Episcoporum; nec non Sacra Congregatio Concilii *in una Comen. die* 23. *Febr.* 1647. prout etiam *in una Mediolanen.* 16. 5
Aprilis 1653. ac pariter *in una Cusentina die* 27. *Novembris ejusdem anni*, præcepit, ac mandavit suppressionem similium adunantiarum Mulierum, ut legitur apud Emin. Card. de Luca *in tractatu de Jurisdictione disc.* 45. *num.* 9.

Præmittendum tertiò, quòd Mulieres Tertiariæ permittuntur recipere habitum de Pœnitentia à Regularibus, & illum deferre, habitando, & vivendo singillatim in domibus suorum consan- 6
guineorum ex Decreto Sacræ Congregationis; sed cum septem conditionibus. *Prima*, ut habeant saltem annos quadraginta. *Secunda*, quòd non mendicent, sed habeant ex proprio, undè honestè vivant. *Tertia*, quòd sint probatæ vitæ. *Quarta*, ut non habitent cum aliis viris, quàm cum suis consanguineis, vel affinibus primi gradus. *Quinta*, ut non admittantur ad habitum, nisi de licentia Episcopi, qui eam denegare debeat, si prædictæ conditiones deficiant. *Sexta*, ut Tertiariæ indutæ habitu de Pœnitentia abstineant à velo Monastico, & bavaro, vulgò *Sottogola*, & à scapulari dicto vulgariter *la Patienza*. Et *Septima*, ut faciant simplex votum castitatis, ac vitæ cœlibis. Ita Sacra Congregatio in suo Decreto *diei* 20. *Decembris* 1616. quod referunt Naldus *in Verb. Clausura num.* 7. Lezana *dict. tom.* 2. *capit.* 14. *num.* 29. *& seqq.* Tamburinus *de Jure Abbatissarum disp.* 7. *qu.* 3. *num.* 7. & Bordonus *part.* 2. *resol.* 58. *numer.* 30. nec non *resol.* 75. *num.* 19. *&* 20. Advertentes earundem Tertiariarum votum esse simplex;

simplex; ideòque illas posse validè contrahere Matrimonium; strictè enim, & rigorosè loquendo non sunt
7 personæ Religiosæ, sed Sæculares, ac Laicæ; circa quas magna est altercatio Doctorum, utrùm gaudeant privilegio Fori, ac Canonis? ut videre est apud Donatum *de Regularib. d. tom. 2. tract. 17. qu. 3. num. 8.* & 16. ac etiam *tom. 4. tract. 14. qu. 8. numer. 4.* ubi plurimos allegat pro utraque opinione, & easdem antedictis septem conditionibus fulcitas gaudere tantùm privilegio fori, responsum fuisse à Sacra Congregatione *anno* 1638. scribit Pignatellus *tom. 4. consult. 119. num. 2.* At una ex iisdem conditionibus deficiente non sunt exemptæ à Jurisdictione Episcopi. Bordonus *d. part. 2. resol. 58. num. 30.*

His ita præmissis, pro resolutione propositi dubii dicendum est, quòd etsi antiquitùs mulieres Tertiariæ vigore Privilegiorum Regularium, ab ipsis possent recipere omnia Sacramenta, & eis confiteri; nihilo-
8 minùs post Concilium Tridentinum Regulares non possunt audire confessiones earum, nisi sint approbati ab Episcopo pro audiendis confessionibus perlonarum sæcularium, ut pluries respondit Sacra Congregatio Concilii, & præcipuè *dicta die 20. Decembris* 1616. his præcisis verbis: *Sacra, &c. Sæpiùs censuit, minimè posse Sacerdotes Regulares Mulierum tertii Ordinis, quas de Pœnitentia, vel Bizzochas vocant, confessiones Sacramentales audire, nisi fuerint ab Ordinario approbati ad Confessiones personarum Sæcularium audiendas, &c.* Prosequitur deindè Sacra Congregatio decernendo circa alia Sacramenta, & circa Sepulturam earundem Tertiariarum, prout in ipso Decreto, quod integrum transcribunt, præter supracitatos DD. ipse Tamburinus *de Jure Abbatiss. d. disp. 7. qu. 3. numer. 7.* Antonellus *de Regimine Mil. Eccl. libr. 7. cap. 12. num. 13.* Lantusca, & Nicolius *Verb. Tertiariæ.* Fagnanus *in cap. Omnis utriusque sexus. num. 64. De Pœnit. & Remiss.* ac novissimè Pax Jordanus *tom. 2. libr. 7. tit. 13.* nec non Pignatellus *cit. tom. 3. Consult. 34. numer. 29.* Qui omnes concorditer docent, & tenent, non posse Tertiarias absolvi à peccatis per Confessarios Regulares, ab Episcopo non approbatos; neque recipere ab iisdem Sacram Eucharistiam in Paschate; ea inconcussa ratione, quia Tertiariæ sunt personæ Sæculares.

Neque juvaret Regulares Confessarios non approbatos per Episcopum, si dicerent, supradictum Decretum Sacræ Congregationis esse intelligendum de mulieribus Tertiariis, seu Pizzocheris degentibus singillatim in domibus consanguineorum; non autem de illis, quæ collegialiter vivunt sub obedientia, ac directione eorundem Regularium, emissis tribus
9 votis obedientiæ, paupertatis, ac castitatis; quales hìc Patavii sunt illæ Sanctæ Rosæ, Sancti Antonii, ac Sancti Francisci; quasi sint penitùs exemptæ, ac omninò Religiosæ, cùm vivant adinstar Monialium, ac communiter vocentur Moniales. Nam respondetur dupliciter. Primò, quòd si ipsi Regulares non approbati ab Episcopo non possunt audire confessiones mulierum Tertiariarum viventium in domibus privatis cum suis consanguineis, & cum præhabitis septem conditionibus, quæ sunt legitimæ Tertiariæ, ac permissæ ab Apostolica Sede; multò minùs poterunt absque Episcopi approbatione audire confessiones collegialiter viventium, quæ sunt Religiosæ spuriæ, illegitimæ, proscriptæ à Sancta Sede, & omninò subjectæ Episcopali Jurisdictioni.
10 Secundò respondetur, quòd dato, & non concesso, quòd reputarentur Moniales, ac mulieres Religiosæ, & gauderent privilegiis Monialium, adhuc nullus earum confessiones audire posset, qui ab Episcopo non esset pro iisdem audiendis specialiter approbatus, juxta Bullam *Inscrutabili &c.* Gregorius Papæ XV. ut diximus supra *Decis. XXXVII. num. 31.* & de qua tractant Antonellus *de Regim. mil. Eccl. libr. 17. capit. 12. num. 10. & 11.* Barbosa *in Collect. DD. ad Concil. Trident. sess. 25. de Regularibus capit. 10. numer. 11.* Novarius *in Summ. Bullar. part. 1. Comment. 66. num. 31.* & Bordonus *dict. part. 1. resolut. 7. num. 67. & resol. 36. à numer. 71. & seqq.* Idcircò à primo ad ultimum mulieres Tertiariæ sive cum suis consanguineis viventes, sive collegialiter commorantes confiteri non possunt peccata sua nisi Sacerdotibus approbatis ab Episcopo; neque allegari possunt à Regularibus Privilegia in contrarium, cùm jam sint omnia revocata, ac extincta circa Sacramentales Confessiones personarum sæcularium, tum à Constitutione Pii IV. confirmatoria Concilii Tridentini, tum ab illa Urbani VIII. *de anno 1629.* per nos recensita supra *in d. Decis. XXXVIII. num. 9.* & advertit Lauretus de Franchis *de Controv. inter Episc. ac Regul. part. 1. num. 1338.*

Qua doctrina irrefragabili attenta, cùm olim Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Paulus Valaresso Episcopus Concordiensis, (zelo, pietate, ac vigilantia nulli antistiti inferior, excerptus è Seminario Episcoporum, scilicet è Capitulo Paduano; in quo Canonici Coadjutoris munere diù potitus, charus nimis erat Eminentissimo ac Reverendissimo Præsuli Gregorio Cardinali Barbadico; cujus Pastorales labores, ac industrias tunc edoctus, nunc mirificè in regimine nobilissimæ, ac antiquissimæ illius Concordiensis Ecclesiæ imitatur, atque exercet;) cùm, inquam, antedictus Ordinarius Concordien à me olim requisiverit; an posset punire Regularem, qui ausus fuerat absque ejus approbatione Mulierum Tertiariarum confessiones audire? & qua pœna? respondi, ex dictis per eundem Lauretum de Franchis *d. part. 1. numer. 1434.* haberi, 12
quòd aliàs in casu consimili à Curia Archiepiscopali Neapolitana Regularis fuit carceratus, & deindè suspensus à Divinis per tres Annos; potest enim Episcopus pro suo arbitrio hos ausus reprimere, & coercere etiam aliis pœnis, ut permittit ex Regularibus Rodriquez *QQ. Reg. tom. 2. quæst. 28. art. 1. & 2.* Thesaurus *de Pœnis. part. 2. Verb. Absolutio cap. 2. in fine*, & ex Canonistis Bellettus *part. 2. de Pœnis Cleric. §. 30. num. 2.* Fagnanus *in cap. Sanè. il 2. num. 27. 45. & 55. de Potest. Judic. Deleg.* & novissimè docet Illustrissimus Episcopus Crispinus *de Visitat. Pastor. part. 1. §. 15. num. 6.*

Adverti tamen prælaudatum Episcopum, ut procederet servato juris ordine; id est priùs formato processu, & probata auditione Confessionum absque Episcopali approbatione; deindè citato ipso Regulari Confessario ad personaliter comparendum, & se excusandum super eodem delicto coram ipso Illustrissimo, ac Reverendissimo Ordinario Concordiensi tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, ad tradida per Piasecium *in praxi part. 2. cap. 3. art. 6. num. 79.* ubi jura, & DD. Nisi timor esset de fuga; quia tunc posset Episcopus statim procedere ad capturam, & carcerationem delinquentis, ex doctrina Menochii *de Arbitrar. Judic. casu 180. numer. 22.* & Farinacii *de Carcerib. quæst. 27. à num. 73. & seqq.*

DECISIO XLI.

ARGUMENTUM.

Tractat præsens Decisio de Confessariis Monialium Episcopo subditarum. De Origine Monasteriorum, & eorum Clausuræ. Indigitantur Confessariorum Monialium qualitates, ac requisita. Cautelæ præscriptæ ab Innocentio Papa XI. in audiendis confessionibus Monialium ægrotantium. Deciditur difficillimus casus Monialis confitentis crimen reservatum; sed prohibentis Confessario accedere ad Episcopum pro facultate eam absolvendi, ob justum, ac probabilem timorem manifestationis sui ipsius, infamiæ, atque scandalorum.

SUMMARIUM.

1 *Moniales variis nominibus nuncupatæ. Earum exordium.*
2 *Clausuræ Monialium initium sub Bonifacio VIII.*
3 *Confessarii Monialium Ordinarii, & Extraordinarii. Eorum ætas, & qualitates.*
4 *Parochi an possint esse confessarii Monialium? & an Regulares?*
5 *Moniales nulli possunt confiteri, nisi Confessario sibi assignato.*
6 *Jubilæi tempore cui confiteantur Moniales? Et cui Novitiæ, & Puellæ?*
7 *Confessarius Extraordinarius quoties dari possit? & an uni soli Moniali?*
8 *Monialium obligatio circa frequentiam Sacramentorum. Et an teneantur confiteri Extraordinario?*
9 *Infirmæ Monialis confessio qua cautela sit audienda?*
10 *Confessarii Ordinarii Monialium expleto triennio statim auferendi.*
11 *Confessario quid agendum, dicente Moniale se habere casum reservatum, & nolle eum ire ad Episcopum pro facultate absolvendi?*
12 *Casus reservati Apostolicæ Sedi quinam sint? Et qui Episcopo? num. 13.*
14 *Episcopus absolvit ab omnibus casibus reservatis occultis.*
15 *Pœnitens non est manifestandus petendo licentiam pro casu reservato.*
16 *Litteræ S. Pœnitentiariæ impetrandæ pro casibus reservatis Monialium.*
17 *Leander Coloredus S. R. E. Cardinalis laudatus.*
18 *Confessarius absolvit à reservatis, si pœnitens non potest ire ad Superiorem.*

POst explicitas conditiones eorum, qui Religiosorum confessiones possunt audire; convenit, ut breviter tractemus etiam de qualitatibus Confessariorum, qui ad excipiendas Confessiones Monialium deputantur; & quoniam Moniales aliæ sunt immediatè Episcopis subjectæ; aliæ verò exemptæ, ac subditæ vel Sedi Apostolicæ, vel Regularibus; idcircò in præsenti Decisione de primis loquemur; de secundis in Decisione sequenti.

Moniales, (quæ etiam Monachæ, Deo dicatæ, Sponsæ Christi velatæ, ac aliis glorioſis nominibus per SS. Patres sunt appellatæ; quos recenset Tamburinus *de Jure Abbatiss. disput. 7. quæst. 1. num. 1.*) suam originem habuerunt ab exordio Ecclesiæ sub Magisterio Deiparæ, quæ Sanctam Martham, ac alias Virgines edocuit, se cœlesti Sponso Filio suo consecrare; & sub eruditione Apostolorum, à quibus Cœnobia Virginum Sacrarum per universum Orbem fuerunt constructa, ut probat idem Tamburin *dict. quæst. 1. à num. 5. & seqq.* & in tractatu *de Jure Abbatum tom. 1. disput. 2. quæst. 10.* nec non Lezana *in Summa tom. 6. ad Mare Magnum Carmelitar. §. 33. numer. 262.* Cumque successivis temporibus per totam Ecclesiam ingens esset Sanctimonialium numerus, custodiebantur in innocentia, ac sanctitate vitæ absque præcisa lege clausuræ; quamvis clausæ sub custodia solius Abbatissæ viverent usque ad tempora Bonifacii Papæ VIII. ut exemplis Historicis demonstrat idem Tamburin, *de Jure Abbatissarum disputat. 18. quæst. 2.* ubi advertit, quòd invalescentibus hominum iniquitatibus, præcipuè ob Principum discordias, & bellorum incendia, prædictus Bonifacius VIII. in principio sæculi XIV. per Constitutionem suam, quæ legitur *in cap. Periculoso. De Statu Regular. in 6.* ad tuendam honestatem Sacrarum Virginum, iisdem indixit perpetuam Clausuram, quam denuò præcepit Concilium Tridentinum *sess. 25. de Regul. capit. 5.* & postea eandem legem sub gravissimis pœnis confirmarunt Summi Pontifices B. Pius V. & Gregorius XIII. quorum Bullas de hac re transcribit idem Tamburin. *dict. disput. 28. quæst. 3.* & in eis tam Episcopi, quam Prælati Regulares strictè ad illam servari faciendam onerantur. 1 2

Igitur Monialibus nunc in perpetua clausura viventibus deputandi sunt per Superiores earum Confessarii Sacerdotes, qui eas Sacramentaliter audiant, & absolvant, aliaque Sacramenta illis ministrent; & agendo de Monialibus immediatè subjectis Episcopo; ad ejus Pastorale Officium spectat deputare hujusmodi Confessarios ordinarios, & extraordinarios; hos bis, vel ter in anno; illos, qui per triennium durent, ad præscriptum ejusdem Tridentini Concilii *dict. sess. 25. de Regular. capit. 10.* & sint viri scientia, prudentia, ac pietate præditi; talesque tunc censentur, quando sufficienti doctrina Sacrorum Canonum, ac Theologiæ eruditi, constituti reperiantur in ætate annorum 45. vel saltem 40. ut ex Sacræ Congreg. Decreto scribit Polaccus *2. part. Vacat. Epidem. De Conf. Monial. numer. 3. & ex Concil. Provinc. Mediol.* notat Illustrissimus Crispinus *de Visitat. Pastor. part. 2. §. 42. num. 46.* & sciant retrahere Sanctimoniales *à malo*, id est à dissensionibus inter se; amicitiisque cum aliis, & eas docere *bonum*, scilicet dirigere per viam Christianarum virtutum; & præcipuè si ipsimet Confessarii avaritiam odio habentes penitus abstinuerint à muneribus; & meminerint id, quod S. Laurentius Justinianus ajebat, hoc est, *Confessionem non esse Conversationem*, ut nervosè insinuatur in prædicta *Visit. Pastor. d. §. 42. n. 46.* 3

Porro licitum non est Episcopis deputare Parochos in Confessarios ordinarios, vel extraordinarios Monialium; quia ipsi debent vacare confessionibus suorum Parochianorum, ac iisdem administrare Sacram Eucharistiam diebus festis; nec satis est supplere per Capellanos, nam obligatio Parochorum est personalis, & eis non licet 4

deferere proprium pro appellativo : & ita decisum est à Sacra Congregatione *die* 10. *Aprilis* 1615. teste Bordono *d. resol.* 118. *num.* 6. Lucerna Regular. *V. Confessarius. num.* 13. Barbosa *ad d. sess.* 25. *capit.* 10. *numer.* 18. Similiter ex decretis ejusdem Sacræ Congregationis fas non est Episcopis mittere Regulares tanquam Confessarios ordinarios, vel extraordinarios ad audiendas Monialium confessiones, ut legitur apud eundem Barbosam *de Jure Eccles. Universs. libr.* 1. *capit.* 44. *numer.* 127. & Tamburinum *de Jure Abbatissar. disput.* 16. *quæst.* 2. *num.* 4. & utrumque exactè observabat Eminentissimus ac Reverendiss. D. meus Cardinalis Gregorius Barbadicus in hoc Episcopatu Patavino; & indè erat, quòd in omnibus Parochialibus Ecclesiis hujus Civitatis florebat devotio sæcularium per assistentiam Parochorum in Sedibus Confessionalibus, festivis diebus, juxta præceptum ejusdem Eminentissimi Antistitis; quæ quidem devotio cessat Parochis discedentibus; & ut praxis demonstrat ruit etiam exercitium Doctrinæ Christianæ puerorum, se excusantibus Parochis circa propriam desidiam ob occupationem, quam habent in Sanctimonialium confessionibus.

Debent itaque Moniales confiteri peccata sua Confessariis, unicuique Monasterio earundem indivi-
5 dualiter deputatis, adeò ut si confiteantur Sacerdoti pro sæcularibus approbato, vel alteri Monasterio constituto, vel suo ordinario, seu extraordinario, cujus deputatio sit finita, nulla esset absolutio ob Jurisdictionis defectum : nam definivit Clemens Papa X. in sua Bulla *Insuperna*, (de qua supra in *Decis. XXXVIII. num.* 32.) *Approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum; sed egere, quoad hoc speciali Episcopi approbatione : atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii minimè posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Eidemque Confessarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione, in vim approbationis hujusmodi, illarum confessiones audire : Sed toties esse ab Episcopo approbandos, quoties casus deputationis contigerit.* Et est tam insuperabilis hæc inhabilitas Monialium eligendi sibi, quem maluerint Confessa-
6 rium, ut neque tempore Jubilæi confiteri possint nisi uni ex illis specialiter deputatis per Episcopum, & approbatis ad Monialium confessiones eo tempore excipiendas; ut bene notat pax Jordanus *libr.* 7. *tit.* 12. *n.* 202. minimè attenta opinione contraria Bordoni *in resol.* 5. *n.* 6. *& in resol.* 34. *n.* 53. ubi frivolis quidem rationibus veritatem deserit; & ad eandem legem adstrictæ sunt Moniales Novitiæ, in quibus cessat electio confessarii extranei; ut in se reversus concedit Bordonus *in resol.* 118. *num.* 14. ubi puellis existentibus educationis causa in Monasterio dat libertatem confitendi cuicunque Sacerdoti pro sæcularibus approbato; quod non credo verum, quia ipsæ puellæ sunt obligatæ quo ad Clausuram, & quo ad Confessarium pro Sacramentis, æqualiter cum ipsis Monialibus, ut testatur Tamburinus *de Jure Abbatissar. disput.* 2. *quæst.* 2. *num.* 14. & non effugeret punitionem Episcopi Confessarius non deputatus, qui accederet ad audiendam confessionem educandæ existentis in Monasterio.

Disputant verò Doctores, An possit Episcopus
7 pluries, quàm bis, vel ter in anno, dare Confessarium extraordinarium Monialibus? Et affirmativè respondent apud Bordonum *d. resolut.* 5. *numer.* 3. *& resol.* 118. *numer.* 8. quia Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de Regul. dict. cap.* 10. loquitur demonstrativè; dicendo *bis, vel ter in anno*; non autem restrictivè; & cùm ita disponat ad favorem Monialium, talis dispositio tanquam favorabilis est amplè interpretanda: adeò ut possint etiam Episcopi pluries concedere Confessarium extraordinarium privatis, seu aliquibus Monialibus illum petentibus, quando subsit justa causa; & eum concedere expediat quieti conscientiarum earundem Monialium, ut contra Gavantum relatum à Lezana *in Summa tom.* 1. *capit.* 25. *numer.* 49. *in fin.* diffusè probat Bordonus *d. resol.* 5. *num.* 11. alios DD. ibi referens ita sentientes; nec non *in Miscellan. Decis.* 154. quibus ego addo Cotonum *in Controv. Illustr. libr.* 2. *controv.* 7. *num.* 3. & Dianam Coordinat. *tom.* 7. *tract.* 1. *resolut.* 348. existente in veteri *part.* 6. *tractat.* 8. *resolut.* 28. & equidem in hoc prælaudatus Eminentissimus ac Reverendissimus D. meus Cardinalis Barbadicus cum his suis Monialibus Patavinis benignè procedebat, & absque difficultate, quando requirebatur ab aliqua Moniali, ex justa causa, extraordinarium Confessarium dabat; solitus dicere, facilè Moniales incidere in diffidentiam cum Ordinario Sacerdote, & subindè reticere peccata, vel se subtrahere à frequentia Sacramentorum; unum solummodò esse advertendum ab Episcopo, ut virum prudentem, probatæ vitæ, ac virtutis concedat in extraordinarium singulari Moniali illum petenti; Superioresque rigidos, negando hanc gratiam, à Pastoris Officio, cujus est ovium infirmitati mederi, nimis declinare.

Stante igitur obligatione Monialium confitendi peccata sua Confessariis Ordinario, & Extraordinario sibi per Episcopum deputatis : quærunt DD. an possint non accedere ad Confessarium Extraordinarium? & an Ordinario saltem singulis mensibus teneantur confiteri? Quo ad Extraordinarium, communis opinio Theologorum est, eas non teneri ad illum accedere, ea ratione, quia datur in earum favorem; 8
favor autem non confertur in invitum. *l. Invito.* 20. §. *Quod cuique. ff de Reg Jur. l. Jubemus. C. de. Emancip. liber.* Bordonus *dict. resolut.* 118. *num.* 8. *& 9.* Uno casu excepto, videlicet, si haberent aliquod peccatum mortale, de quo ex justo motivo noluissent se accusare coram Ordinario, deberent enim illud confiteri Extraordinario, ut prudenter considerat idem Bordonus *in resolut.* 5. *num.* 9. Quo verò ad Ordinarium, Moniales non esse obligatas saltem singulis mensibus coram eo confiteri, communiter scribunt Moralistæ, inter quos Pellizzarius *de Monialib. cap.* 6. *num.* 8. Tamburinus *de Jure Abbatissarum disput.* 16. *quæst.* 6. Donatus *de Regularibus, tom.* 4. *tractat.* 13. *quæst.* 1. & Bordonus *resol.* 5. *num.* 9. *& resol.* 20. *num.* 7. quorum doctrinam ego refelli in meis Decisionib. *de Venerabili Eucharist. Sacram. Decis. XLIX. à num.* 14. *& seqq.* ex pluribus rationibus, juribus, & auctoritatibus ibi allegatis circa obligationem earundem Monialium communicandi semel saltem in mense, quæ eò magis militant circa debitum confitendi, ut latè probavi *in d. Decis. XLIX.* quam Lectorem studiosum legere non pigeat.

Ubi verò Confessarius Ordinarius, vel Extraordinarius ingreditur Clausuram cum Cotta, & Stola, ut audiat Confessionem alicujus Monialis infirmæ, opus est, ut advertat, & exequatur præceptum Sanctæ Memoriæ Innocentii Papæ XI. de quo loquitur 9
Crispinus *in d. Visitat. Pastor. part.* 2. §. 42. *num.* 48.

his verbis: *La Santità di N. S. Innocentio XI. adi 4. Febraro* 1678. *hà ordinato, che i Confessori nell' ingresso à Monasterii per assistere alle inferme, entrino sempre vestiti de gl' habiti Sacri, cioè con la Cotta, e si portino con modestia, & esemplarità, che si richiede in una funzione tanto pia; nè si trattengano più di quello sia precisamente bisogno; nè ricevano alcuna refezione dentro la clausura.* Die verò 21. Martii 1682. per litteras circulares omnibus Episcopis sic injunxit: *Che tutti i Confessori di Monache non debbano in alcuna maniera udire le Confessioni Sacramentali delle medesime, quando sono inferme, se non à Porte aperte della Cella, nella quale si trovano, con l' assistenza di alcune Monache; in modo però, che queste possano vedere solamente, ma non udire nè l' inferma, nè il Confessore; e ciò sotto gravi pene, anche di privatione di voce attiva, e passiva all' Abbadesse.* Consimile transumptum litterarum legitur impressum *Anno* 1686. *in Synodo Barberina ad pag.* 983. Confessarios autem ordinarios transacto triennio esse statim amovendos ab Officio pluries declaravit Sacra Congregatio Episcoporum; nec ad illud Monasterium remittendos, nisi alterius triennii cursu expleto, ut notat Nicolius *in Flosculis Verb. Confessarius num.* 36. & 37. quam triennalem contumaciam servandam esse liquet, ubi ex gratia Sacræ Congregationis ad instantiam Monialium prorogatum fuisset primum triennium ad alios tres annos; explosa omninò opinione Bardoni autumantis, in tali casu secundum triennium reputari pro vacatione, ac contumacia, ut ipse ait, *resol.* 118. *numer.* 2 quod satis puerile est asserere. 10

Sed quid erit faciendum à Confessario sivè Ordinario, sivè Extraordinario, cui Monialis in confessione se accuset de casu reservato vel Sedi Apostolicæ, vel Episcopo; sed protestatur eidem Confessario se nolle sub quovis prætextu, ut ipse accedat ad Episcopum ad petendam facultatem eam absolvendi; tum quia ob justa motiva timet infamare totum Monasterium, ac seipsam; tum etiam quia probabiliter argumentatur, ex hujusmodi facultatis petitione, Episcopum esse cogniturum personam ipsius pœnitentis, ac gravia damna indè esse sibi proventura? Quid aget Confessarius? Sudabit, algebit unico, & eodem tempore. Casus sanè difficilis, cujus resolutionem etiam doctissimi homines dare formidabunt. 11

Nihilominùs ego consulturus huic Confessario; considero in primis, quòd casus reservati Apostolicæ Sedi sunt illi, qui continentur tum in corpore Juris, de quibus Eminentissimus Cardinalis Toletus *libr.* 1. *capit.* 35. & 36. tum in Bulla Cœnæ Domini, & alii quinque post Concilium Tridentinum per Summos Pontifices sibi specialiter reservati, nempè 1. Hæresis. 2. Duellum. 3. Simonia. 4. Violatio Ecclesiasticæ Immunitatis. 5. Violatio clausuræ ad malum finem. Summa Diana *Verb. Casus reservati numer.* 1. Donatus *Rer. Regular. tom.* 3. *tract.* 4. *qu.* 36. Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. alleg.* 50. *num.* 185. Pax Jordanus *tom.* 1. *libr.* 3. *tit.* 4. *num.* 93. Casus autem Episcopo reservati alii sunt de Jure. 1. Percussio levis clericorum. 2. Incendiarii. Summa Diana *dict. Verb. Casus reservati numer.* 2. Reginaldus *dict. libr.* 1. *numer.* 135. & nonnulli alii, inter quos homicidium, mutilationes, pactiones cum dæmone; quibus addendus est Abortus fœtus animati; ut ait Novarius *in Summ. Bullar. part.* 2 *comment.* 2. *numer.* 12. præter illos, quos Episcopi sibi specialiter solent vel per Edictum, vel per Constitutiones Synodales reservare; videlicet blasphemantes Deum ex consuetudine, vel determinatis vicibus; perjuri in judicio; fœdissimum contra naturam scelus committentes; & alii, ad sæculares personas tantùm attinentes. Igitur Confessarius primo loco advertere debet, ex supracensitis casibus quisnam sit, in quem ruerit pœnitens illa Monialis; nam casus reservati ab Episcopo circa laicos comprehendunt etiam Moniales, ipsi Episcopo subjectas. Donatus *ubi supra tom.* 4. *tract.* 13. *quæst.* 34. 12 13

Secundo loco considero, parùm importare, quòd prædictus casus fuerit ex Papalibus, vel ex reservatis Episcopo; quia cùm sit occultus, ut supponitur (nam si esset notorius, vel publicus egrederetur spheram præsentis hypothesis) potest Episcopus ipse absolvere, ac delegare facultatem absolvendi; vigore Concilii Tridentini *sess.* 24. *de Reform. capit.* 6. ut tenet Summa Diana *Verb. Absolvere. num.* 54. & ibi Sanchez *in Decalog. tom.* 2. *libr.* 6. *capit.* 15. *num.* 76. quamvis non desint contraditores, quos refert, & contra quos cumulat oppugnatores Diana *part.* 7. *tractat.* 2. *resolut.* 20. collocata in Coordinato *tom.* 3. *tractat.* 3. *resolut.* 27. & nos examinabimus infra *Decis. XLV. num.* 5. & 6. 14

His ita prænotatis stricte loquendo de modo per Confessarium tenendo, respondent communiter Doctores, quòd vadat ad Episcopum, & petat licentiam absolvendi unam pœnitentem à tali casu reservato, quem sibi indicavit in Confessione; nam eam Episcopus potest elargiri. *cap. De Monialibus. De Sentent. excommunic.* Barbosa *alleg.* 41. *num.* 19. Pax Jordanus *dict. libr.* 3. *tit.* 4. *numer.* 46. Tamburinus *de Jure Abbatiss. disput.* 16. *quæst.* 8. *numer.* 7. & Bordonus *resol.* 5. *numer.* 5. & in Miscellaneis *Decis* 419. per totam. Porrò hoc unguentum non est applicabile nostræ plagæ; non solùm quia pœnitens expressè protestatur, ne accedat ad Episcopum ob motiva supra relata; quæ spernenda non sunt à Confessario: sed etiam quia imminet periculum fractionis Sigilli Sacramentalis, & manifestationis personæ pœnitentis; ut bene docet Summa Diana *Verb. Sigillum num.* 9. *& numer.* 21. *ac sequentib.* quare ipse Diana *part.* 5. *tractat.* 11. *resolut.* 12. existente in Coordinato *tom.* 1. *tractat* 8. *resol.* 13. versus finem ita dicit: *Inferior petens veniam absolvendi à casu reservato, nullo modo potest personam aperire, vel casum ita explicare, ut ea venire possit in notitiam Superioris.* At in hypothesi ex motivis præcedentibus probabilissimum est, si Confessarius accedat ad Episcopum, & dicat: in meo Monasterio est pœnitens egens facultate pro casu reservao; & Episcopus requirat speciem peccati, ex ejus aperitione statim Monialis potest fieri manifesta cum ejus infamia, ac totius Monasterii, & in consequentiam parentum, ac familiæ nobilis; sicque confessio Sacramentalis redditur odiosa, & aperitur via scandalis, ac inconvenientibus multis. 15

Pellizarius pro tanto vulnere exhibet emplastrum, lenitivum potiùs, quàm sanativum; nam in suo *tract. de Monialibus cap.* 10. *num.* 283. duo suggerit remedia; unum, quòd Confessarius mittat tertiam personam ad Episcopum, à quo obtineat facultatem absolvendi unam Monialem à casu reservato, in quem lapsa est. Alterum, quòd Confessarius eam absolvat, sed cum conditione, ut procuret, & procurare debeat prædictam facultatem ab Episcopo per aliquem alium confessarium. Hæc liniunt, ut dixit, non sanant, quia remanet vulnus apertum, per obligationem adhibendi aliam perso-

personam, quæ alloquatur Episcopum cum eodem periculo, ut cognoscatur ipsa Monialis pœnitens, & exurgant scandala, ac inconvenientia supra considerata.

Itaque duo tantùm videntur esse modi adjuvandi per Confessarium hanc Monialem pœnitentem absque timore scandalorum, vel revelationis ejus personæ. Primus est, procurare litteras à Sacra Pœ-
16 nitentiaria, & ab eadem impetrare facultatem in foro secreto, ac pœnitentiali absolvendi à casu reservato. Hoc remedium facile est, ac præservativum à scandalis. Facilitas patet, quia directè supplicatio transmittitur Romam ad Eminentiss. ac Reverendiss. Cardinalem Summum Pœnitentiarium (qui in præsenti est Eminentissimus, ac Reverendiss. Leander Cardinalis Coloredus, cujus tanta est pietas, clementia, ac animarum salutis zelus, ut disputabile sit, an ipse à splendoribus Purpuræ Cardinalitiæ illustretur; vel ab ipsius heroicis virtuti-
17 bus eadem Purpura vividiores radios recipiat.) Præservat hic recursus à scandalis; quia exponitur casus sine nomine Pœnitentis, Monasterii, Civitatis, aut Diœcesis, & facultas dirigitur Confessori per latricem præsentium eligendo, ut est notorium, & docet Leo *in Praxi ad Litter. Major. Pœnit. pag.* 6. *col.* 1. ideò hoc est remedium practicabile, & supra omnia elegibile; ut innuit Summa Diana *dict. verb. Absolvere num.* 51. & docet Bonacina *de Censuris disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 4.

Secundus modus est, quando verè urgent argumenta manifestationis, seu cognitionis personæ pœnitentis, & scandalorum per accessum Confessarii ad Episcopum; quòd in tali casu ipse Confessarius absolvat prædictam Monialem, quam tamquam impeditam, & non habentem aditum ad Superiores absolvi posse ab ipso Confessario testantur innumeri gravissimi Theologi, ac Doctores, videlicet Thomas Tamburinus *in Opusc. de Exped. Confess. libr.* 3. *capit.* 9. §. 4. *num.* 17. ita scribens: *In tertio casu* (recurrendi ad Superiorem pro absolutione à casu reservato) *nunquam obligabitur Confessor Superiorem convenire propter peccatum reservatum pœnitentis: nam vel pœnitens potest adire prædictum Superiorem, & tunc non extremè indiget; Vel non potest, quia Verbi gratia, est infirmus in gravi periculo; vel habet* (notetur) *impedimentum perpetuum adeundi Superiorem; & tunc casus hic non est reservatus; & consequenter Confessor juxta regulas generales absolvendi in articulo, vel periculo mortis, poterit illum absolvere; neque enim pœnitens obligatur mittere alium, sivè procuratorem, sivè litteras, sivè amicum; cùm illud se præsentandi sit onus personale pœnitentis, à quo, cùm non possit, excusabitur.* Idem docet, ac tradit Sanchez *libr.* 2. *in Decal. capit.* 13. *numer.* 14. ubi DD. eandem opinionem habentes allegat; quibus ego addo *textum in capit. Nuper.* 29. *in fin. De Sent. Excommun.* sic loquentem: *Verùm si difficile sit ex aliqua justa causa quòd ad ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo, ut præstita juxta formam Ecclesiæ cautione, quòd excommunicatoris mandato parebit, à suo absolvatur Episcopo, vel proprio Sacerdote.* ubi Glossa explicat: *Sic ergo simplex Sacerdos potest absolvere.* Quare ubi adest impedimentum accedendi ad Episcopum pro absolutione, posse proprium Parochum, vel Confessarium absolvere, sustinent, consulunt, ac docent Doctores propè infiniti, quos cumulat Diana *part.* 5, *tractat.* 14. *resol.* 58. Item *part.* 9. *tractat.* 7. *resol.* 10. nec non *resol.* 11, quas studiosus reperiet in opere Coordinato *tom.* 1. *tractat.* 5. *resol.* 17. 18. & 19. & quas occurrente hoc casu legere non desinat; ac etiam Dianæ Summam *dict. verb. Absolvere numer.* 53. nec non Gobatum, & DD. per eum congestos *in Experim. Theolog. tractat.* 7. *numer.* 369. & 384. *ac* 385. Reginaldum quoque *libr.* 8. *numer.* 85. ac in puncto Collegium Salmanticen. *de Censuris tract.* 10. *cap.* 2. *numer.* 63. & 64. Igitur tuta conscientia, attentis moralibus periculis manifestandæ Monialis pœnitentis, scandalorum, infamiæ, ac aliorum inconvenientium, si Confessarius accedat ad Episcopum, poterit illam absolvere propria auctoritate; cessare enim censetur reservatio in hoc casu; & à jure habere necessariam facultatem; cùm ipsa Monialis ob perpetuum impedimentum Clausuræ non valeat se præsentare Superiori ad absolutionem obtinendam.

DECISIO XLII.

ARGUMENTUM.

Electio, & approbatio Confessariorum Monialium Regularibus subditarum à quo sit facienda? Stipendium eorundem Quale? & Quantum? Socius Confessarii Regularis an intret cum ipso in Clausuram Monialium? Prædictas Moniales Regularibus subjectas quis absolvat à censuris, & à casibus reservatis? Quis iisdem morientibus assistat?

SUMMARIUM.

Confessarii Monialium, subjectarum Regularibus, à quibus eligantur, ac approbentur?

2 *Generales, ac alii Prælati Regulares an audiant Confessiones suarum Monialium?*

3 *Prælati Regulares possunt dare suis Monialibus Confessarium etiam secularem, vel alterius Ordinis.*

4 *Stipendium Confessariorum qualiter à Monialibus solvendum?*

5 *Socius Confessarii Regularis an cum ipso ingrediatur clausuram Monialium?*

6 *Moniales Regularibus subjectæ à quibus absolvantur à Censuris, & à casibus reservatis? opiniones tres.*

7 *Monialibus moribundis an assistere possit Confessarius?*

DE Confessariis Monialium, quæ sunt subjectæ Regularibus, hæc quinque sunt breviter videnda.

Primò: A quibus ipsi sint eligendi, ac approbandi?

Secundò: Eorum stipendium annuum qualiter solvendum?

Tertiò: An conducant secum socium in clausuram?

Quartò: Hæ Moniales per Quos absolvantur à censuris, & à casibus reservatis?

Quintò: An Confessarius assistat moribundæ Moniali usque ad expirationem Animæ?

Quo ad Primum. Confessarii audituri Confessiones Sacramentales Monialium subjectarum Regularibus, sunt quidem eligendi per ipsorum Superiores, ac

Præ-

Prælatos Regulares, sed approbandi per Episcopum juxta insignem, ac famosam Constitutionem Gregorii Papæ XV. publicatam Anno à Nativit. Domini 1623. *die* 8, *Februarii*, quæ incipit: *Inscrutabilis, &c.* & est in Bullario Romano ejusdem Pontificis *Constit. XVIII.* & quàm per extensum transcribunt, (unà cum dubiis, circa intelligentiam ejusdem Constitutionis, propositis per Regulares Sacræ Congregationi Concilii, & ejusdem Sacræ Congregationis responsis) Ascan. Tamburinus *de Jure Abbatissarum disp.* 16. *quæst.* 2. & 3. atque Pax Jordanus *tom.* 2. *in fin. pag.* 600. ex qua quidem Constitutione, ac responsis Sacræ Congregationis apertè constat, eosdem Confessarios Regulares, etsi approbatos pro audiendis confessionibus sæcularium ab Episcopo, non posse audire Confessiones Monialium iisdem Regularibus subjectarum, nisi per Episcopum iterùm approbentur pro Monasterio, cui sunt destinati, & quidem prævio examine, si eos Episcopus voluerit examinare; aliàs Confessiones Monialium sint nullæ, & absolutio per Regulares illis impertita sit invalida, & subjaceant punitioni Episcopi; adeòque necessaria est prædicta Episcopalis approbatio; ut sit renovanda toties quoties Confessarius Regularis antea approbatus pro aliquo Monasterio, de novo ad illud, vel ad aliud contigerit deputari, completa priori ejus disputatione; ut docent omnes Theologi, ac Canonistæ de hac materia scribentes; ut videre est apud Bordonum *Var. Resolut. part.* 1. *resolut.* 5. *in princ. & resol.* 36. *num.* 71. nec non *part.* 3. *resol.* 118. *numer.* 11. Tamburin. *dict. disput.* 16. *quæst.* 2. Fuscus *de Visitat. libr.* 2. *capit.* 18. *numer.* 4. Gavantus *in Manuali Episc. Verb. Monialium cura spiritualis.* Barbosa *de Offic. & potest. Episc. allegat.* 25. *num.* 71. Et Pax Jordanus *d. tom.* 2. *libr.* 7. *titul.* 12. *à numer.* 201. *& seqq.* Quod hodie definitum est in Bulla Clementis X. de qua supra *Decis. XXXVIII. num.* 32.

Porrò duo hic veniunt notanda, tanquam scitu
2 digna, ac necessaria; Unum est, quòd Abbates, aliique Prælati Regulares altioris gradus, etiam Provinciales, & Generales non possunt audire Confessiones Monialium sibi subjectarum absque prævia approbatione Episcopi; ut resolutum fuisse à Sacra Congregatione *sub die* 13. *Novembris* 1627. testatur Barbosa *in Collect. DD. ad Concil. Trident. sess.* 25. *de Regul. capit.* 10. *numer.* 17. ac docent Cotonius *libr.* 4. *Controv.* 8. *numer.* 145. Lezana *dict. tom.* 6. *Ad Mare Magnum Carmelitar.* §. 62. *num.* 371. & concedit Bordonus *dict. resolut.* 5. *numer.* 1. ubi tamen subdit, quòd prædicti Abbates, ac Prælati non sunt examinandi, quia idoneitas eorum includitur in eminentia Prælaturæ, ac Dignitatis quam obtinent, cui de jure est deferendum; ne dignitates Ecclesiasticæ vilescant; & qui ratione Officii sunt Pastores, ac Magistri, cogantur fieri discipuli, &
3 condiscentes. Alterum notandum est, quòd ipsi Prælati Regulares possunt designare, ac deputare in Confessarium Monialibus sibi subjectis quemlibet Sacerdotem, etiam sæcularem, vel alterius Ordinis, nisi resistat aliquod statutum propriæ Religionis; & equidem dicendum venit extare, ac resistere, quia à sæculo non est auditum, neque tempore Jubilæorum, quòd mittantur Confessarii alterius Ordinis, vel habitus ad Moniales Regularibus subjectas.

Quo ad secundum Confessarii Regulares ad harum Monialium sibi subjectarum confessiones audiendas à suis Prælatis electi, & ab Episcopo examinati, &
4 approbati, possunt pro suo labore habere debitum stipendium; *Dignus est enim operarius mercede sua. Luc.* 10. 7. sed illud non debet excedere quantitatem, quæ sufficiat eorum victui, & est persolvendum non ipsis Confessariis, sed Monasteriis, in quibus degunt, & non in rebus comestibilibus, sed in pecunia per Prælatos, ac Superiores Religionis taxanda: ut decisum à Sacra Congregatione Episc. & Regular. *die* 20. *Novembris* 1605. refert Barbosa *ad d. sess.* 25. *capit.* 10. *num.* 14. interdicta omninò quacunque munerum largitione per Moniales iisdem Regularibus facienda; & prohibita sub quovis prætextu acceptatione ipsismet Confessariis, quibus etiam prorsùs vetitum est comedere, aut bibere in confessionalibus, seu domibus Monasterio Monialium suarum propinquis, sed ad suum Monasterium, sivè Conventum tenentur revertì, ut refectionem capiant; nisi nimis distaret à Monasterio Monialium, & tunc in diebus tantùm generalium Confessionum, ut ex decretis ejusdem Sacræ Congregationis, de quibus Quaranta *in Summa Bullar. Verb. Monasteria Monialium*; & Lezana *dict. tom.* 1. *capit.* 25. *numer.* 40.

Quo ad Tertium. Non sunt concordes Moralistæ, sed altercantur inter se, An ingrediente Confessario Regulari Monialium clausuram pro confessione
5 alicujus infirmæ audienda, socius ejus debeat secum ingredi, vel extra remanere? Quòd debeat ingredi cum Confessario docent Sanchez *in Decal. tom.* 2. *libr.* 6. *capit.* 16. *num.* 46. & Miranda *de Monial. qu.* 2. *art.* 17. quos citat, & sequitur Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 51. quod repetit *part.* 10. *tract.* 13. *resolut.* 4. §. 2. *in fin.* & hæc reperitur in Diana Coordinato *tom.* 3. *tractat.* 6. *resolut.* 65. illa verò in *tom.* 7. *tractat.* 1. *resolut.* 349. ac utrobique pro ratione adducit decentiam, quæ postulat, ut Religiosi nunquam soli incedant; sed bini, & cum socio. Contrarium tenet Bonacina *De Clausura qu.* 4. *punct.* 4. *numer.* 4. & Bordonus *dict. part.* 1. *resol.* 5. *numer.* 6. ubi dicit, quod socius introduci potest tunc solùm, quando Sacerdos indiget ope ejus, ut in administratione Eucharistiæ, vel celebrationis Missæ, aut sepeliendæ Monialis, secùs autem pro audiendis ægrotantium confessionibus; inutilis enim tunc est illa associatio, imò potiùs nociva ipsi socio, ibi otiosè permansuro inter Moniales. Neque obstat ratio Dianæ, & aliorum circa decentiam, quia hæc in nihilo læditur à Confessario ingrediente vestito cum cotta, & stola, & non est mirum, si pro explendo ministerio suo Sacerdotali, solus ingreditur; quandoquidem ubi Regulares intrant pro aliquo negotio cubiculum Principis, eorum socii remanent, & expectant extra ostium. Bordoni opinio videtur verior in jure, & servanda in praxi, ubi non militet consuetudo in contrarium, vel speciale Prælatorum decretum.

Quo ad Quartum. Si quærimus, hæ Moniales
6 Regularibus subjectis à quibus absolvantur à censuris, & à casibus reservatis; Reperio tres opiniones. Una est, quòd sunt absolvendæ ab Episcopo. Ita Cochier *de Jurisd. Ordin. in exempt. part.* 2. *quæst.* 45. *num.* 56. Barbosa *de Offic. & pot. Episc. alleg.* 105. *num.* 55. nec non Ascan. Tamburin *de Jure Abbatissar. disput.* 17. *quæst.* 6. *numer.* 4. Sed hæc opinio videtur intelligenda de Monialibus exemptis immediatè subjectis Apostolicæ Sedi; non autem de subjectis Regularibus, de qnibus loquimur; nam circa illas Episcopi exercent plenam Jurisdictionem tanquam ejusdem Sedis Apostolicæ Dele-

gati

legati, & eas gubernant. Donatus *d. tractat. de Rebus Regular. tom.* 1. *tractat.* 11. *quæst.* 16. *numer.* 42. ubi ponit dispositionem Concilii Tridentini *sess.* 25. *de Regular. capit.* 9, præcipientis, prædictas Moniales Apostolicæ Sedi immediatè subjectas gubernari ab Episcopo; subjectas autem Prælatis Regularibus sub eorum cura, & custodia relinqui. Vel est accipienda dicta opinio tantummodò de censura, & casu reservato provenientibus ob manus violentas, quas ipsæ Moniales injecerint in se ipsas, vel in clericos; attento Canone expresso ita disponente, ut legitur *in cap. De Monialibus.* 33. *De Sent. Excommunic.* Aut potiùs est interpretanda de casibus per ipsum Episcopum sibi reservatis circa clausuram Monialium, quandoquidem ubi agitur de earum clausura cessat omnis exemptio, & quo ad eam etiam Moniales Regularibus subjectæ subjiciuntur Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, tum ex Concilio Trident. *dict. sess.* 25. *de Regul. capit.* 5. tum ex supracitata Bulla Gregorii XV. *incipien. Inscrutabili, &c.* ut bene notat idem Donatus *tom.* 4. *tractat.* 13. *quæst.* 33. Secunda opinio est Bordoni *dict. part.* 1. *resolut.* 5. *num.* 6. affirmantis, prædictas Moniales esse absolvendas ab earum Prælatis Regularibus, ea ratione, quia per antedictam Bullam Gregorii XV. nulla facultas fuit illis sublata, sed tantummodò fuit ordinatum, ne Confessarii per eos deputandi audirent earundem Monialium confessiones absque Episcopi approbatione. Confirmatur hæc opinio, quia Prælati Regulares habent jus, & facultatem reservandi sibi casus circa Moniales suas; ut optimè probat idem Bordonus in *Miscellan. Decis.* 212 cùm autem ejus sit absolvere, cujus est ligare; sequitur, ab iisdem Prælatis Regularibus esse petendam facultatem easdem Moniales illis subditas absolvendi; non autem ab Episcopo; & quamvis ipsi Prælati Regulares non audiant confessiones Monialium suarum sine Episcopali approbatione; nihilominùs tanquam Ordinarii, ac Superiores earundem delegant, & delegare valent Confessariis ab Episcopo approbatis facultatem absolvendi prædictas Moniales à Censuris, & à Casibus reservatis; ut optimè demonstrat Lezana *in Summa tom.* 3. *Verb. Casus reservati Regularium num.* 29. & eò clariùs *tom.* 5. *ad Mare Magnum Minorum numer.* 113. & 114. ubi alios DD. cumulat. Hoc quidem confirmant in terminis præsentis quæsiti circa Moniales Regularibus subjectas, Tamburinus *de Jure Abbatissarum disputat.* 16. *quæst.* 8. *num.* 4. & Donatus *Rer. Regular. dict. tom.* 4. *tractat.* 13. *quæst.* 40. ubi bene probat, quòd in casibus occultis, & in foro conscientiæ Prælati Regulares ex Privilegiis Apostolicis habent tantam facultatem absolvendi suos subditos utriusque sexus, vel per se, vel per Confessarios à se deputatos à quibuscunque censuris, ac casibus reservatis, quantam habent Episcopi erga suos subditos. Imò Donatus *in dict. quæst.* 40. *num.* 5. insurgit contra Naldum asserentem in *Summa Verb. Moniales num.* 9. licitum esse Monialibus, quæ sunt subjectæ Regularibus, recurrere ad Episcopum, ut ab eo absolvantur à censuris, seu casibus reservatis; & ostendit reprehensibilem esse talem assertionem, rationem subdens his verbis: *Tum quia Regulares exempti non possunt in præjudicium suorum Prælatorum renunciare Privilegio exemptionis sine licentia Papæ per jura multa, quæ refero* tom. 1. p. 2. tractat. 13. de Exempt. quæst. 10. & q. 20. in tractat. de Confessariis Regular. *tum, etiam quia Prælati Regulares in suos subditos possunt totum illud, quod potest Episcopus jure* Concil. Trident. cap. 6. sess. 24. de Ref. *per allegata* tom. 2. part. 1. tractat. 3. de Potest. Prælati quæst. 3. *Imò & majorem, ut constat ex dictis* ibidem quæst. 6. & 7. *Dum ergo quod quærunt, intus habent, ad quid adire Episcopum? Eò fortiùs, quia eo ipso, quòd Prælatus exemptus habet potestatem dispensandi cum suis subditis, &c. habet etiam jus, ut nullus possit se intromittere circa subditum suum.* Et allegat Suarezium *tom.* 4. *de Relig tractat.* 8. *libr.* 2. *cap.* 12. *num.* 13. & *cap.* 23. *numer.* 4. Est itaque hæc secunda opinio legalis, bene fundata, & certa, ideòque in praxi absque scrupulo tenenda apud Moniales Prælatis Regularibus subjectas. Tertia postea opinio est, quòd quando per recursum ad Prælatos timor esset scandalorum, vel manifestationis pœnitentis: cùm hæc tanquam obligata perpetuæ Clausuræ non possit adire Superiores, valeat absolvi à Confessario Ordinario, ut probatum est in antecedenti *Decis. XLI. num.* 18. ex DD. ibi citatis, quibus addi potest Summa Diana *verb. Absolvere num.* 38.

Quo ad Quintum quæsitum. Respondet Barbosa *in Collect. DD. ad Concil. Trident. sess.* 25. *de Regul. capit.* 10. *num.* 23. quòd Confessarii Monialium, postquam administraverint Sacramentum Extremæ Unctionis Monialibus infirmis, atque animas earum Altissimo commendaverint, non ampliùs ibi morentur; sed eas hortari ad bene moriendum aliis Monialibus sit curæ. Hoc tamen dictum refutat Pax Jordanus *tom.* 2. *libr.* 7. *titul.* 12. *num.* 89. subdens, quòd contrarium servatur apud Moniales omnes, *quia valdè laudabile videtur, Sacerdotem expertum assistere, & ad bene moriendum hortari; neque morientem tam periculoso tempore deserere.* Equidem non debent Moniales esse pejores conditionis, quàm sæculares, quibus Parochorum assistentiam in articulo mortis enixis monitionibus omnes Episcopi decernunt in Synodalibus Constitutionibus, ubi agunt de Sacramento Extremæ Unctionis, & injungit Rituale Romanum. Satis sit pro necessitate hujus assistentiæ Confessarii usquequò Monialis infirma expiraverit, legere motiva, quæ adducit P. Paulus Segneri *in Parocho instructo capit.* 24. & exempla per me relata *Nella prima età del Mondo Rag.* 4. *punct.* 3.

DECISIO XLIII.

ARGUMENTUM.

Ex hypothesi, quòd innotescat Confessario Monialium, reperiri inter eas unam Hermaphroditam, agitur de variis speciebus, seu differentiis Hermaphroditorum, & circa eosdem curiosæ, sed utiles Quæstiones, scitu necessariæ, proponuntur, atque terminantur ex Philosophorum, ac Medicorum doctrina, exemplis, & Historiis. Præcipuè Quomodo fœminæ convertantur in Mares? An Mares possint in fœminas converti? An Hermaphroditi valeant in venereis Agere, & Pati? Generare cum aliis, ac concipere in seipsis? Dantur quinque Regulæ ad cognoscendum quando sint potiùs Viri, quàm fœminæ.

Resol-

Resolvitur in fine, Quid agendum de Moniali Hermaphrodita? Et quando ejus Professio sit invalida?

SUMMARIUM.

1 *Androgyni, seu Hermaphroditi an dentur? Et qui sint?*
2 *Hermaphroditi filii Veneris fabula.*
3 *Hermaphroditi vel tales nascuntur; vel post ortum tales fiunt: Et quænam sit causa? Astrologorum, ac Medicorum opinio.*
4 *Adam fuisse Hermaphroditum opinio barda cujusdam Hæretici.*
5 *Hermaphroditorum differentiæ octo.*
6 *Hermaphrodita uxorata in Villa Dauli Patavinæ Diœcesis Anno 1690.*
7 *Mares an possint converti in fœminas? Utraque opinio DD. sed negativa verior num. 8.*
9 *Historiæ de Viris conversis in fœminas quomodo intelligendæ?*
10 *Regulæ ad cognoscendos Hermaphroditos an sint Viri, vel fœminæ?*
11 *Testes in viro cur ita appellentur?*
12 *Hermaphroditi an dentur agentes, & patientes in Venereis? Et an generare cum aliis, & concipere in seipsis? num. 13.*
14 *Sexus duplex similis an dari possit in homine?*
15 *Hermaphrodita Monialis manifestanda Superioribus. Et quid agendum per ipsos? num. 16.*
17 *Professio Monialis Hermaphroditæ quando sit nulla?*
18 *Hermaphoditi quando possint ordinari, vel alia munia virilia obire?*
19 *Moniales non transferuntur de Monasteriis sine licentia Papæ.*
20 *Mulier simulato sexu nulliter profiteretur in Monasterio Virorum.*
21 *Exempla Mulierum incognitarum in cœnobiis Monachorum.*

SEd antequam à Confessariis Monialium discedamus, non incongruum videtur, imò necessarium, resolvere hìc illam Quæstionem, quam proponunt Theologi Morales, quid agere debeat Confessarius Monialium, cui in audiendis earundem confessionibus innotuit, unam earum esse Hermaphroditam, seu Androgynam, & esse periculum scandalorum, & Dei offensæ, ob commixtionem illius cum aliis? Pro intelligentia materiæ de Hermaphroditis, quæ deservit etiam pro eorum promotione ad Ordines, ad Matrimonia, & ad Professionem in Monasteriis Virorum Regularium; septem breviter sunt videnda, ac examinanda. Videlicet:

Primò: An in rerum natura dentur Androgyni, seu Hermaphroditi? & qui tales sint?

Secundò: Hermaphroditi in quotuplici sint differentia?

Tertiò: An sicut fœminæ convertuntur in mares, ita mares possint in fœminas converti?

Quartò: Quæ sint regulæ ad cognoscendum, ac decidendum, Hermaphroditos esse mares, & non fœminas? ac vice versa eos esse fœminas, & non mares?

Quintò: An dentur Hermaphroditi adeò perfecti in utroque sexu, ut possint agere, & pati in venereis? Nec non generare cum aliis, atque concipere in seipsis?

Sextò: An detur, ac dari possit duplex similis sexus, sivè masculinus, sivè fœmininus in eodem corpore?

Septimò: Resolutio Quæstionis, & conclusio Decisionis tum quo ad Monialem Hermaphroditam; tum quo ad alios Hermaphroditos volentes Clericos fieri, vel Monachos, aut Matrimonium inire, vel ad feuda, aut fideicommissa masculina succedere.

Quo ad Primum: extra omnem controversiam est dari Androgynos, seu Hermaphroditos in rerum natura, ut testantur omnes scribentes, Philosophi, Historici, Medici, Theologi, ac Canonistæ, ut videre est apud P. Gasparem Schottum *in sua Physica curiosa libr. 1. cap. 31.* nec non *libr. 3. capit. 10.* Apud Paulum Zacchiam *QQ. Medicolegal. libr. 3. titul. 2. quæst. 9. numer. 1 & 2.* & ex professo, ac plenè *libr. 7. tit. 1. quæst. 8. per totum.* apud Barbosam *in Votis Decisivis libr. 3. Vot. 100.* ubi plurimos cumulant. Qui verò sint Hermaphroditi, notissimum est, ut docet Glossa *in l. Quæritur. ff. de Statu homin.* nimirum eos esse, qui partim habent genitalia membra Viri, partim eadem mulieris, & explicat Aristoteles *libr. 4. de Generat. Animal. capit. 4.* Plinius *Naturalis Hist. libr. 7. capit. 3.* Paræus *libr. 24.* Licetus; (hujus nostri Publici Gymnasii Patavini, dum ego juvenis, & studens essem, senior ipse Lector, ac Magister eximius) *in tractat. de Monstris libr. 2. capit. 53.* & dicuntur *Androgyni ab ἀνὴρ* quòd virum, & *γυνὴ* quod mulierem significat; nec non *Hermaphroditi* à filio Veneris, quem ipsa genuit cum Mercurio, & hoc nomine eum vocavit; qui cùm esset pulcherrimus, ingressus Cariæ Salmacem fontem, poetarum figmentis fabulosum, à Nympha Salmacide Cœli & Terræ filia mollissima requisitus ut secum coiret, id eo recusante, sic fortiter fuit ab eadem amplexus, ut ex duobus corporibus unum fieret, utrumque sexum habens. Serra *De Synonim. Verb. Hermaphroditus; & Verb. Salmacis.* 3 Porrò Hermaphroditi alii tales nascuntur, alii tales evadunt, circa duodecimum à nativitate annum; dum pubescere incipiunt, & ut plurimum habentes sexum fœmineum, emittunt etiam virilem. De primis, scilicet nascentibus cum utroque sexu, exempla refert Zacchias *dict. libr. 7. titul. 1. quæst. 9. numer. 9. & 10.* ubi germanos duos, quos ipse viderat, describit, enarrans formam sexus utriusque, quem gerebant. Sed non solùm homines nasci Hermaphroditos, sed etiam irrationabilia animalia constat. Neronem equas habuisse Hermaphroditas testis est Plinius *libr. 11. Nat. Hist. capit. 49.* De Cane, & Equa Hermaphroditis scribit Schenck *libr. 4. observat. in princ.* De Agno, Sue, Cervo, & Mure narrant alii, quos refert idem Zacchias *dict. quæst. 9. numer. 15.* ubi addit, se vidisse Romæ anno 1621. Asinum utroque sexu insignitum, qui urinam non modo per penem, sed etiam per vulvam emittebat. Causam verò, ob quam generentur, ac nascantur Hermaphroditi, si ab Astrologis quæramus, eam fuisse dicunt, quia tempore conceptus eorum, in materno utero, Veneris, ac Mercurii Synodus in signis bicorporeis (cujusmodi sunt Gemini, Virgo, Sagittarius, & Pisces) celebrabatur. Sed hæ nugæ sunt, & Astrologastrorum somnia. Communior, ac verior Philosophorum, atque Medicorum sententia est, causam provenire ab æquali vigore seminis utriusque parentis;

effusa

effusa enim ab utroque genitore æquali portione materiæ seminalis, facultas formatrix, quæ aliquid simile sibi fingere conatur, æqualibus viribus in utramque materiam incumbit; ac proindè mirum non est, si in uno, eodemque fœtu uterque sexus postea reluceat. Ita Aldrovandus *in Histor. Monstror.* & apud ipsum Suessanus *pag.* 518, Majolus *Colloq.* 3. ac Albertus Magnus *libr.* 18. *de Animal. tract.* 2. *cap.* 13. & alii, quos citat, & sequitur P. Schottus *in Physica Curiosa libr.* 3. *cap.* 10. *in fin.*

De secundis, (idest nascentibus cum sexu fœminino, & post duodecim vel quatuordecim annos à nativitate evadere Hermaphroditos, enascente in eis mentula, & masculinum sexum adipiscentes) innumera leguntur exempla; quæ curiosus Lector reperiet apud eundem P. Schottum *ubi supra lib.* 1. *c.* 31. nec non *libr.* 3. *c.* 17. §. 1. tam antiqua, quàm recentia; & inter cætera de duabus Monialibus, quæ in mares evaserunt, una Madriti, alia in civitate de Uveda, oriunda ex opiddo Sabiote, dicta *Magdalena Munnoz*; tertiam Monialem *Agnetem* appellatam addit Barbosa *d. libr.* 3. *Vot.* 100. quæ à quatuordecim annis professa in Conventu Passionis Oppidi Sancti Felicis *de los Galegos*, Civitatensis Diœcesis, de anno 1644. fuit à dicto Conventu expulsa, cùm in ejus fœmineo sexu apparuisset virilis; unde dubitare contigit, an ejus Professio fuisset valida? Plura alia exempla colligit ibid. Barbosa *de Vot.* 100. de Mulieribus, quæ mutato sexu, viri evaserunt, de quibus, & de aliis multis ita loquitur Zacchias *d. libr.* 7. *tit.* 1. *quæst.* 8. *sub num.* 4. *In primo ortu multos apparuisse Hermaphroditos est notissimum, neque ulteriori indiget testimonio; quòd verò fœminæ nonnullæ, vel quæ fœminæ apparebant, in mares evaserint; & sic Hermaphroditos se instante pubertate, vel instantibus menstruis prodiderint, non minoris famæ, quàm de superioribus Historiæ testantur, quas hic transcribere superfluum videtur.* Procedit postea ad investigandam causam hujusmodi mutationis sexus de fœmineo in masculinum, & relatis plurium clarissimorum Medicorum opinionibus, concludit; has omnes fœminas erumpentes in marem, fuisse viros ab initio, sed ob caloris inopiam, masculinum sexum intùs latentem non potuisse extra emittere; donec ex aliquo motu violento, prout in casibus, quos adducit, pubertatis tempore, virilia exilierint. Concordant in hujus causæ relatione Cardanus *libr.* 8. *de Varietat. cap.* 43. Wierus *libr.* 4. *cap.* 24. Andreas Laurentius *libr.* 7. *Histor. Anatom. qu.* 8. & alii congesti per Martinum Delrium *Disquis. Magicar. libr.* 2. *q.* 22. & P. Schottum *in d. Physica Curiosa lib.* 1. *cap.* 31. §. 3. & §. 4. ubi ex professo inquirit causam prædictæ mutationis; & tandem ita concludit: *Duobus modis videtur contingere posse, ac solere, ut fœmina in viros mutentur. Primò si Androgyni sint; at prima ætate non appareant genitalia virilia, sed solùm muliebria: successu verò temporis virilia appareant, muliebria verò abscondantur. Secundò, si initio quidem masculi sint, sed virilia genitalia jam retracta, abscondita, atque dispositа sint, ut videantur esse fœminæ; successu verò temporis incipiant apparere mares. In neutro autem casu sit vera mutatio sexus fœminini in masculinum; sed solùm quo ad apparentiam; quia nimirùm in utroque solùm signa masculini sexus apparent, quæ antea non apparebant.* Non pigeat Lectorem, me hic ponere verba Cornelii à Lapide *Commentar. in Genes. cap.* 1. *ad Vers.* 27. *Masculum, & Fœminam creavit eos*; ubi ita scribit: *Novator quidam in Francia nuper asseruit, Adamum creatum* 4
esse Hermaphroditum, fuisseque eum tam fœminam, quàm masculum. Verùm insulsè hoc dicitur: non enim dicit Scriptura, creavit EUM, sed EOS, scilicet Adamum, & Evam; puta Adamum creavit masculum, Evam verò fœminam; undè patet, hæc per anticipationem dici. Hanc hæretici hominis opinionem, & assertionem, tanquam falsam, & ridiculam confutat etiam Zacchias cum auctoritate S. Thomæ 1. *p. qu.* 92. *art.* 1. & Nicolai de Lyra in *QQ. Medicoleg. d. libr.* 7. *tit.* 1. *quæst.* 8. *num.* 33. ita invehens in illam: *Hoc si nugari non est, quid est nugari? Silentium ergo tam bardæ opinioni jam imponatur.*

Quo ad secundum; In quo quæritur *In quotuplici differentia sint Hermaphroditi?* Plura sunt, quæ de hoc quæsito scribunt Medici, ac Anatomici, quos refert ipsemet Zacchias *d. libr.* 7. *tit.* 1. *quæst.* 8. *num.* 4. *& seqq.* à quibus octo differentias licet colligere. *Prima* est, quòd nonnulli Hermaphroditi habent unum sexum subaltero. Tales, ut plurimùm, sunt mares, seu qui habent 5
prævalentem sexum masculinum; hi enim in Perinæo (hoc est sub radice Penis in spatio, quod est inter ipsum, seu inter Scrotum, & Anum; hoc enim dicitur Perinæum. Amalthea Onomastica *in Verb. Perinæon.* ubi breviùs loquens explicet dicens: *Intercapedo inter Anum, & Pudendum,*) hi, inquam, in Perinæo habent pudendum muliebre positum, & collocatum sub masculino: aut vice versa muliebre vas imminet, virile verò subest. Zacchias *d. qu.* 8. *num.* 2. *& num.* 8. ubi exempla sic natorum narrat. *Secunda* differentia est, quòd aliqui Hermaphroditi habent utrumque sexum à lateribus positum in situ æquali; & in hoc casu observant Doctores, quòd unus sexus solet alteri prævalere, & esse potentior; & tunc hic residet semper in parte dextera, altero debiliore in sinistra remanente. Idem Zacchias *d. num.* 8. ubi ex Bacchim *lib.* 1. *de Hermaphrod. cap.* 33. recitat, de quodam Daniele uxorato, qui nunquam congredi potuit cum uxore; sed ipse ab alio imprægnatus, peperit fœmellam, quam sola dextra mamilla lactavit, sinistra lacte carente; erat enim huic sexus fœmininus à dextris.

Huic aliud exemplum ex diametro oppositum ego adjungere valeo; videlicet, dum essem in Visitatione Villæ Dauli hujus Patavinæ Diœcesis Anno 6
1690. cum Eminentissimo, ac Reverendissimo Domino meo Cardinali Barbadico, comparuit coram me tanquam Auditore Eminentiæ suæ, Vir quidam rusticus uxoratus, petens à me declarari nullum Matrimonium suum, quod à paucis annis inierat cum muliere, quæ erat Hermaphrodita; cum qua nunquam potuit coire, neque Matrimonium consummare; affirmabat enim, ipsam habere in parte dextera virilem mentulam digito annulari similem, & in sinistra vas muliebre, sed modicum, & impenetrabile; subdens, quòd à plerisque fœminis audiverat, se à dicta ejus uxore carnaliter fuisse cognitas. Relaxavi citationem contra eandem Hermaphroditam, quæ aufugit, nec reperiri potuit; & ulteriùs actum

non fuit. Igitur ipsa habebat utrumque sexum in æquali situ; sed in parte dextera masculinum prævalentem. *Tertia* differentia est, quòd alii habent unum sexum in altero; scilicet masculinum in fœminino; & de his casus practicos recenset Zacchias *d. lib. 7. tit. 1. qu. 8. num. 8.* advertens, prædictos non esse mares, sed fœminas, in quorum utero nascitur certum quid carneum adinstar virilis membri, quod incalescit, indurescit, egreditur, & valet ad venereos actus aggrediendos; ut de quodam scorto Romæ in Hospitali Incurabilium ægrotante, cui medicam opem tulit, differit idem Zacchias *d. tit. 1. qu. 9. num. 16.* ad cujus narrationem, ac sexus descriptionem curiosum lectorem remitto. *Quarta* differentia est de illis, in quibus uterque sexus est ita diminutus, ut nullum habere videantur; & vix tenue foramen, per quod egrediatur urina, conspicitur. Zacchias *d. qu. 8. num. 13.* ubi quòd hujusmodi Hermaphroditi in censu Eunuchorum sunt reponendi; & ad summum in numero fœminarum computandi. *Quinta* differentia eorum est, qui utrumque sexum habentes, in nullo tamen agere vel pati venerea valent. *Sexta* è contra est illorum, qui agunt, & patiuntur in utroque. *Septima* aliorum, quibus potestas est agendi tantùm, ut mulier illa Villæ Dauli, quam supra recensui. *Octava* tandem illorum, qui tantummodò apti sunt pati, idest venere in parte fœminea exercere; qualis fuerat Daniel Hermaphroditus in secunda differentia memoratus. De his latissimè Zacchias *QQ. Medicolegal. lib. 3. tit. 2. qu. 9. num. 2.* & ex professo *in lib. 7. tit. 1. qu. 8. & qu. 9.* ubi DD. cumulat, rationes, & exempla.

Quo ad Tertium, non leve est dubium, *An sicut* 7 *fœminæ convertuntur in mares*, ut supra ostensum est, *ita mares possint in fœminas converti?* Non desunt qui affirmant, suam assertionem, & affirmativam opinionem confirmantes: Primò ex Poetis, qui aliquando fabulis secretiora Naturæ arcana contegunt; & pluries id evenisse cecinerunt, ut de Cæneo Virgilius in *lib. 6. Æneid.*

. . . . & Juvenis quondam nunc fœmina Cæneus
Rursus, & in veterem fato revoluta figuram.

Ovidius *lib. 4. Metamorph.* de Scythone:

Nec loquar ut quondam naturæ jure novato,
Ambignus fuerit modò Vir, modò fœmina Scython.

Idem de Tiresia *lib. 11. Metamorph.*

Ausonius autem Poeta Historicus, quem recitat etiam ex Jurisconsultis Tiraquellus *de Leg. Connub. Gloss. 1. par. 1. n. 105.* post multa carmina de hac opinione, concludit ita:

Nec satis antiquum quod Campana in Benevento
Unus Epheborum Virgo repentè fuit.
Nolo tamen veteris documenta accersere famæ,
Ecce ego sum fœtus fœmina de Puero.

Secundò ex Historijs, de quibus apud antiquos, & præcipuè apud Hippocratem *in libr. de Aer. Aq. & locis*: ubi ipse testatur inter Scythas multos esse, qui cùm mares nascantur, mox evirati habitu muliebri induuntur; & in muliebrem naturam abeuntes, muliebria quoque munia obeunt. Et apud Licetum Lectorem publicum Patavinum *d. libr. 2. de Monstris cap. 53.* referentem, *Alexandria in Ægypto Cinædum peperisse: fœtumque conditum miraculi causa asservari. In Germania quoque in exercitu Romano, quem T. Curtilius Mancias duxit, servum militis peperisse.* Et tertiò ab usu animalium irrationabilium, quorum plurima censentur mutare sexum masculinum in fœmininum, concipere, ac parere; ut de Lepore, Cervis, Hyæna (quæ est animal ferum, sermonem humanum simulans, Lupo persimile) ac de aliis testificantur Gaspar Bacchin. *d. libr. 2. de Hermaphrod. cap. 2. & seqq.* Galeottus Martius *de Doctrin. promisc. cap. 18. &* Jo. Havart. *in Exam. Ingenior. cap. 15.* inferentes ex his non esse extra naturæ limites, ex maribus fœminas fieri; itaut hanc opinionem sequatur ex Jurisconsultis Torreblanca *Dæmonolog. libr. 2. c. 17. à num. 12. & seqq.*

Cæterùm opinio negativa communior, ac verior est, & innititur solidis rationibus, ac fundamentis; siquidem primò, Natura semper tendit ad magis 8
perfectum, non autem ad minus; virum autem esse perfectiorem fœmina nemo dubitat. Secundò, si transmutatio membrorum fieri debet, proculdubio non à frigore, sed à calore est facienda. At calor impellit, diffundit, dilatat; non cogit, non contrahit, non retrahit. Ergo est impossibile, marem mutari in fœminam; quia calor, cujus virtute facienda est mutatio, non potest retrahere, contrahere, & includere virile membrum, ut penitùs evanuisse dicatur. Tertiò; hic motus vel fiet à facultate Expultrice, vel Attractrice. Non ab illa, quia tendit in contrarium motum, Non ab ista, quia non operatur in detrimentum animalis, & certè detrimentum pateretur vir, si à natura sibi attraherentur virilia, ut fœmina remaneret.

Quartò, (& est ratio tangibilis) cùm in corpore animalis non detur locus vacuus; si genitalia, quæ in viro foras prominent, intrò remeare deberent, oporteret hæc vel penetrare alia corpora intùs existentia, aut ea impellere, & de loco suo expellere. Sed hæc omnia sunt absurda, neque asserenda, neque in praxi verificanda. Ergo omninò dicendum, impossibile esse, marem converti in fœminam neque vi naturæ, neque arte Dæmonis, & contrariam opinionem esse vanam, ac ridiculam; ut eam vocant Zacchias *d. lib. 7. tit. 1. qu. 8. num. 23.* & ibi Ludovic. Vives *in libr. 3. de Civitat. Dei cap. ult.* Majolus *Dier. Canicul. collat. 5. part. 1.* Riolanus *de Hermaphrodit. cap. 13.* Martinus Delrius *Disquisit. Magic. lib. 2. quæst. 22.* & novissimè P. Schottus *in cit. Physica Curiosa lib. 1. cap. 31. §. 4.* Neque obstant argumenta contrariæ sententiæ; quia quo ad Poetas, eorum studium est fingere, ac figmentis carmina decorare; quo verò ad Histo- 9
rias, respondetur, quòd prædicti viri, quos asserunt in fœminas conversos, concepisse, ac peperisse, non fuerunt verè Viri, sed Hermaphroditi, in quibus prævalebat sexus fœmininus; ut de antedicto Cinædo Alexandrino, atque de servo militis in Germania. Idcircò etsi se jactarent mares, quia masculinum sexum, infirmiorem tamen, ac debiliorem habebant; nihilominùs cum in eis prævaleret fœmininus, partes fœminæ in copula gesserunt; ut fecit etiam ille Daniel uxoratus; de quo supra *num. 5. in fin.* Quo ad Scythas relatos ab Hippocrate observat Zacchias ubi ante *num. 23.* non fieri in eis mutationem circa membra generationis, sed circa corporis habitum, & animi vigorem. De cæteris animantibus irrationabilibus idem asseverandum; scilicet cum utroque sexu ea nasci;

& quam-

& quamvis aliquo tempore videatur prævalere id, quod maris est; in rei veritate præpotens sit, quod ad fœminas pertinet.

Quo ad Quartum; in quo quæritur, *Quæ sint Regulæ ad cognoscendum, ac decidendum, Hermaphroditos esse mares, & non fœminas? ac vice versa eos esse fœminas, & non mares?* Advertere oportet, hoc quæsitum esse magnæ utilitatis, & dignum scitu, deserviens ad dirimendas graves difficultates, quæ in Curiis Episcopalibus, atque in Monasteriis, & ordinibus Regularibus emergere possunt circa personas hermaphroditas, earumque validitatem, vel nullitatem professionis; nec non habilitatis vel ad successionem feudorum; vel ad fideicommissa masculis tantùm debita, vel ad suscipiendos validè ordines, vel ad ineunda Matrimonia, seu jam inita valida, vel invalida declaranda. Igitur notentur Regulæ sequentes, quarum Prima est: Quando genitale extra se prodit, & cum eo testes extra alvum prominent; tunc Hermaphroditus judicandus, & censendus est Vir, non autem fœmina; ac è contra testibus non prominentibus reputandus est Mulier, non autem Mas. Ratio est, quia secundum Andr. Laurent. *lib. 7. Anatom. cap. 4.* testes ita dicuntur in viro, quòd testimonium præbeant virilitatis, & hoc adeò verum est, ut non solùm ita sit judicandum si ambo testes appareant; sed etiam si unus tantùm; imò quamvis genitale virile non appareret: licèt enim Cardanus *lib. 7. de Var. cap. 27.* putaverit virilem penem extra se prodentem esse signum certum masculeitatis; hoc non est verum, nisi prominentibus extra etiam testibus; plures enim fœminæ, ut vidimus supra, penem extra se exerentem habebant, sed non testes. Ita aliis citatis firmat Zacchias *d. lib. 7. tit. 1. qu. 8. n. 19.* ubi excipit, dummodo tanta non esset testium exilitas, ut tanquam nulli habendi essent, ac si non essent; idque procedit in hominibus, ac cæteris animalibus, in quibus testes prominere solent; secùs in illis, quæ eos intus habent, ut Aves.

Secunda Regula est. Ubicunque deficiunt testes, & adest excretio menstrua, absque dubio pronunciandum est pro sexu fœminino: Siquidem menstruorum emanatio est certissimum signum muliebris temperamenti, etiamsi in contrarium haberentur multa signa, & inter illa genitale virile; ut optimè firmat ipsemet Zacchias *ead. quæst. 8. num. 20.*

Tertia Regula est; salvis supradictis, sexus, qui prævalet mole, ac conformior est in situ, in aptitudine, & in activitate; facit indicium pro seipso, sivè sit masculinus, sivè fœmininus; potissimùm si uterque sexus sit lateralis; & qui major, ac vegetior est, consistat in dextera parte. Ita idem Medicus legalis Zacchias *d. lib. 7. tit. 1. qu. 8. num. 16.*

Quarta Regula est illa, quam idem Auctor *ibid. num. 17.* indicat his verbis: *Habitus corporis virilis, vox gravis, ac sonora; animus ad virilia pronus, impiger, & pathematis viro dignis excitatus; pili in mento, in perinæo; seu tauro, & ano; mammæ exiles, pectasve excarne; capitis capilli hirti, breves, & duriusculi; Urina per penem excretio, & multò magis seminis, virilem sexum demonstrant.*

Quinta; quam hisce verbis tradit eodem loco: *Habitus corporis muliebris, mollis, & delicatus, vox exilis, animus demissus, & passionibus muliere dignis implicitus; pili in mento, perinæo, in ano nulli; mammæ turgidulæ; & pectus carnosum; capilli capitis promissi, tenues, molles, longi; urinæ per consuetas muliebres vias excretio, muliebris sexus sufficientia indicia sunt.*

Hæ sunt Regulæ utillimæ, ac in praxi observandæ, si contingat casus pro decisione sexus Hermaphroditorum; quas quidem Regulas ignorarunt Navarrus, & Sanchez, quamvis celeberrimi Auctores, dum uterque temittit decisionem assertioni ejus Hermaphroditi, quando uterque sexus in eo sit æqualis, ut lector videre potest in eodem Navarro, quem citat, & sequitur Sanchez *de Matrim. libr. 7. disp. 106. n. 2.* quorum doctrinam esse reducendam ad supradictas regulas Medicas ait idem Zacchias *d. lib. 7. tit. 1. quæst. 8. num. 15.*

Quo ad quintum: in quo inquiritur, *An dentur Hermaphroditi adeò perfecti in utroque sexu, ut possint agere, & pati in Venereis? Nec non generare cum aliis, atque concipere in seipsis?* Ad primam partem hujus quæsiti respondent Medici, quos citat, & sequitur ipse Zacchias *d. quæst. 8. num. 24. & n. 29.* dari Hermaphroditos tantæ perfectionis in utroque sexu, ut agere, ac pati venerea possint. Nihil enim videtur obstare, quo minùs genitalia ita affabrè facta sint, ut ad hunc usum sufficiant; & constat ex pluribus Historiis ibi relatis, non paucos Hermaphroditas coisse cum fœminis, & eosdem coitum cum viris passos esse. Ad secundam partem quæsiti responsio Medicorum est negativa, quia impossibile est, unum, eundemque Hermaphroditum generare posse in se, & in alio; ea ratione, quia semen non potest habere duos contrarios motus, nimirùm ad extra, & ad intra. Ita Riolanus *de Hermaphrodit. cap. 8.* Constantinus Varol. *libr. 4. Anatom. cap. 4.* Sennert. *in sua Practic. libr. 3. part. 9. sect. 1. cap. 13.* & ipsemet Zacchias *d. libr. 7. tit. 1. quæst. 8. num. 30. & 31.* adducens alias rationes; & præcipuè, quia non est possibile, ut unum, idemque individuum sortiatur duplicem naturam inter se dissidentem respectu totius; nempè generare in alio, quod requirit calorem vividum totius temperamenti, & generare in se, quod procedit ex calore remisso; hæc autem simul stare non possunt. Neque movere debent Historiæ contrarium asserentes, quia mulieres, quæ ex congressu cum Hermaphroditis se concepisse dicebant, cum aliis viris credendum est, eas carnaliter copulatas; nam Hermaphroditi etiam sexum masculinum prævalentem habentes rarò generant, quia cæteris masculis frigidiores sunt. Marcellus Donatus *in Histor. Medic. libr. 6. cap. 2.* Sed esto quòd generent coeuntes cum mulieribus, hi nunquam apti erunt ad concipiendum in se ipsis, quia sexus fœmininus in eis est tenuissimus; ut latiùs examinant, & ex sententia Aristotelis, docentis in Hermaphroditis *semper unum sexum esse ratum, alium irritum*, concludit Zacchias *d. quæst. 8. num. 31.*

Quo ad Sextum. Non desunt Medici, qui negant, *quòd detur, aut dari possit duplex similis sexus, sivè masculinus, sivè fœmininus in eodem corpore*; & eorum ratio est, quia si Natura duo membra ejus-

dem sexus efficeret in eodem animali, videretur frustra aliquid moliri, quod est contra Aristotelem. At ea non obstante affirmat Zacchias,& cum eo plurimi DD. congesti *in eadem quæst.* 8. *num.* 34 ubi plures Historiæ, & casus humanorum corporum, quæ ab ortu fuerant sortita duplicem penem virilem; & duplicia pudenda muliebria. Nec deficit ratio, cur hæc duplicitas aliquando eveniat. Et est, quia in organizatione corporum Natura operatur, atque efformat membra superflua ex luxuriante, & superabundante materia, ne otiosa videatur. Idcircò de die in diem ob hanc causam videmus monstruosa corpora cum tribus, vel quatuor brachiis, totidem pedibus, sex digitis in manu, & consimilia. Sic, ubi in generatione hominis copiosissima detur ab utroque parente seminum materia, ex ejus superfluitate non est difficile, quòd natura in fœtu efformet duplex genitale ejusdem sexus. Quibus ita constitutis pro perfecta cognitione Hermaphroditorum; deveniendo tandem

Ad Septimum; & resolvendo propositum Casum: *Quid agere debeat Confessarius Monialium,ex Confessionibus earum cognoscens, reperiri inter illas Monialem Hermaphroditam, seu Androgynam; ac periculum esse scandalorum, Deique offensæ, ob masculinum sexum in ea prævalentem?* Respondetur, ab eo negandam esse absolutionem Monialibus id
15 scientibus, & multò magis ipsi Hermaphroditæ, donec vel ab ipsa, vel ab aliis notificetur talis status Abbatissæ ad hoc ut per eam excitentur Prælati Superiores ad remedia de Jure opportuna. Ita Bordonus *Var. Resolut. part.* 1. *resolut.* 8. *num.* 13. & *part.* 3. *resol.* 118. *num.* 4. nec non *resol.* 127. *num.* 61. Tamburinus *de Jure Abbatissar. disp.* 6. *qu.* 7. atque Barbosa *in cit. libr.* 3. *Vot.* 100. *per totum, de Votis Decisivis.*

At quid acturi erunt Prælati, ac Superiores Mo-
16 nasterii tum circa personam, tum circa professionem ejusdem Monialis Hermaphroditæ? Eorum officium erit formare processum, & deputare Matronas, seu obstetrices, quæ visitent eandem Hermaphroditam, & sub jurejurando fideliter, ac exacte videant, observent, ac referant qualitatem utriusque sexus apparentis in ipsa Moniali; & ubi masculinus sit æqualis, vel prævaleat fœminino; & periculum immineat scandalorum, turpiumve actionum cum aliis sacris Virginibus; ipsa Hermaphrodita est de Monasterio auferenda; & parentibus, seu piis Matronis in custodiam danda, juxta *Votum* 300. *supracit.* Barbosæ, & doctrinam Donati *Rerum Regular. tom.* 2. *part.* 2. *tract.* 3. *quæst.* 23. Subindè considerandum erit circa validitatem, vel nulliratem professionis, sub qua regula rediga-
17 tur qualitas ejusdem Hermaphroditæ: siquidem, ubi sit de illis,de quibus in Regula prima, vel quarta, declaranda est nulla ejus professio, ac prorsùs invalida, & omninò est ad sæculum remittenda, Sanchez *in Decalog. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 41. Navarrus *de Regul. cons.* 47. Barbosa *d. Vot.* 100. *num.* 29. & Donatus *d. quæst.* 23. *num.* 10. At si ejus status caderet sub tertia, vel quinta regula, oporteret distinguere: vel uterque sexus est æqualis, & habilis ad actus Venereos? Et pariter in hoc casu pronunciandum foret pro nullitate professionis, & pro dimissione à Religione ipsius Monialis per tradita à Lezana *in Summa, tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 20. à Pellizario *in Manuali Prælator. tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 5. *n.* 52. *&* 53. & à Peyriho *tom.* 2. *de Prælat. quæst.* 3. *cap.* 1. §. 2. *num.* 59. Vel prævaleret sexus fœmineus cum tanta, & tali diminutione, seu exilitate virilis, ut non esset timor scandalorum, aut congressuum cum aliis? Et in hoc casu valida censenda esset Professio, & retinenda esset Monialis in Monasterio ex Lezana *d. num.* 20. & ex DD. quos citat, & sequitur Donatus *d. quæst.* 23. *num.* 5. Porrò quo ad Ordines suscipiendos, matrimonia ineunda cum mulieribus, ac successiones ad feuda, & fideicommissa ad solos masculos pertinentia, habiles reputandi sunt Hermaphroditi habentes requisita considerata in prima, tertia, ac quarta Regula; secùs si ea, quæ posita sunt in secunda, & quinta. Sanchez *de Matrimon. d. lib.* 7. *disp.* 106. Barbosa, qui alios DD. ita sentientes cumulat *d. lib.* 3. *Vot.* 100. *à num.* 23. *& seqq.* Angelus, & alii Summistæ *in Verb Hermaphroditus.* Novissimè Pax Jordanus *tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 15. *à num.* 4. *usque in finem*; & Donatus *d. tom.* 2. *part.* 2. *qu.* 23. 18

Postremò Corollaria duo sunt notanda; unum, quòd casus si occurreret in praxi de Moniali Androgyna, juxta suprafiguratam hypothesim, scribendum esset statim ad Sacram Congregationem Episcoporum, ac Regularium; ipsaque consulenda foret super quid agendum tam in ordine, quàm in meritis; attento quòd hodie Moniales transferri 19
non possunt de Monasterio quacumque de causa sine speciali licentia Sedis Apostolicæ. Nicolius *in Flosculis Verb. Monialis n.* 19. & Diana Coordinatus *tom.* 7. *tract.* 1. *resol.* 330. *num.* 3. Quæ in veteri reperitur *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 99.

Corollarium alterum est, quòd si aliqua Virgo, vel Mulier simulato, ac ementito sexu, seque Virum fingens emitteret Professionem Regularem apud Monachos, seu Regulares Viros; ejus Professio esset invalida ex defectu voluntatis illam recipientium, 20
quæ concurrere debet unà cum voluntate profitentis, ut bene advertunt DD. apud Donatum *in supracit. qu.* 23. *n.* 5. Non me latet antiquitus plures Heroinas simulasse sexum, & religiosam vitam sanctissimè duxisse in Cœnobiis Monachorum, prout de S. Pelagia Antiochena scribit Lippomanus *ex* 21
Metaphrast. 8. *Octobris.* De Eugenia Philippi Comitis filia Matulus *lib.* 4. De Eufrosina sub nomine Smaragdi, idem Metaphrast. 25. *Septembris.* De Sancta Marina Virgine in Achaja, quæ falsò accusata, quòd mulierem prægnantem reddidisset, partum accusatricis diligenter educare,& omnem pœnitentiam sibi ab Abbate impositam humiliter voluit potiùs peragere, quàm se esse fœminam aperire. Lippomanus *die* 17. *Julii.* De Sancta Theodora Alexandrina eodem modo criminata, & eandem pœnitentiam patienter exequuta. Metaphrast. 11. *Septembr.* De Sancta Syncletica, seu Patricia, quæ assumpsit nomen Dorotheæ; de qua Matthæus Raderus *in Viridar. Sanctor.* De Beata Poppula, quæ 38. Annos vixit in Monasterio Religiosorum semper incognita, ut differit Sanctus Gregorius Turonen. *de Gloria Confessor. cap.* 16. ac de B. Hildegunde in Monasterio Schovianensi nominata Joseph, de qua *ex Cesario* idem Raderus; atque Schottus *in Physica Curiosa. lib.* 3. *c.* 17. §. 2. Exempla quidem admiranda,sed hodie non imitanda; quia ex Concil. Trident. *sess.* 25. *de Regul. c.* 15. Viri profiteri debent in Monasteriis Virorum; Fœminæ verò in illis Monialium tantùm, ut notat Donatus *d. tom.* 2. *p.* 2. *tr.* 3. *q.* 23. *n.* 5.

DECI-

DECISIO XLIV.

ARGUMENTUM.

Exponitur, quid sit Casuum Reservatio. An ea in Ecclesia sit antiqua? Et Qui possint in foro interno, ac Sacramentali Casus sibi reservare? Examinatur, An reservari possint peccata Venialia? vel Mortalia interna? vel dubia? Referuntur Instructiones Sacræ Congregationis Episcoporum, ac Regularium circa Casuum reservationem.

SUMMARIUM.

1 *Reservatio Casuum quid sit?*
2 *Facultas reservandi casus in Ecclesia semper fuit.*
3 *Papa reservat sibi Casus in toto Orbe Christiano.*
4 *Episcopi in suis Diœcesibus.*
5 *Prælati habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem.*
6 *Abbates, atque Superiores Religionum.*
7 *Peccata minora, atque Venialia an possint reservari?*
8 *Sacerdos non approbatus non absolvit à Venialibus.*
9 *Peccata interna an possint reservari?*
10 *Hæresis mentalis an sit reservata? Et an exterior, sed occulta?*
11 *Peccata dubia an cadant sub reservatione? Et quando habenda pro reservatis? num. 12.*
13 *Instructiones S. Congreg. ad Episc. circa casus reservandos.*

PRo complemento tractatus de Pœnitentiæ Sacramento, opus est materiam Casuum reservatorum explicare, cùm circa illos instructi esse debeant Confessarii, ne in eorum absolutione ipsos errare contingat. Igitur in præsenti Decisione tria videbimus.

Primò. Quid sit Casuum reservatio, & à quo tempore in Ecclesia sit introducta?
Secundò. Qui possint sibi casus reservare.
Tertiò. Quæ peccata possint reservari?

Quo ad Primum. Casuum reservatio est *Coarctatio, seu limitatio Jurisdictionis, Confessariis inferioribus concessæ à Superiore pro foro conscientiæ, ac* 1 *interno pro certis peccatis; ne ullus ab eis absolvere possit, nisi ipse Superior, vel alius delegatus ab illo.* Ita Collegium Salmanticense *in cursu Theolog. Moral. tom.* 1. *de Sacram. in genere, tract.* 6. *cap.* 13. *num.* 1. & Emin. Card. de Lauræa *de Pœnit. Sacr. disp.* 19. *à num.* 291. *& seqq.* ubi demonstrant, reservationem casuum consistere in prædicta coarctatione, seu limitatione Jurisdictionis; ea ratione, quia Superior intendit, & vult ipse solus ea uti circa absolutionem à casibus reservatis; vel cui voluerit specialiter delegare; adeò ut si quis inferior non habens delegatam sibi jurisdictionem, attentaverit absolvere à reservatis, nulla, & invalida sit absolutio; & pœnitens teneatur iterùm confiteri ipsi Superiori casus illos reservatos. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 5. & alii, quos citat, & sequitur d. Collegium Salmanticense *d. cap.* 13. *n.* 2 6. Hæc autem facultas in Superioribus reservandi sibi casus est adeò antiqua, ut eam semper fuisse in Ecclesia dubitandum non sit; tanquam necessariam ad regimen fidelium, & ad eos absterrendos à gravioribus culpis, ut differit Concilium Tridentinum *sess.* 14. *de Sacram. Pœnit. cap.* 7. in illis verbis: *Ad Christiani populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina non à quibusvis, sed à Summis dumtaxat Sacerdotibus absolvantur*, quod prosequitur Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disput.* 19. *à num.* 267. *& seqq.* & de casibus reservatis Episcopo loquitur Bonifacius VIII. assumptus *Anno* 1294. ad Summum Pontificatum, *in cap.* 2. *de Pœnitent. & Remission. in* 6. Et Clemens V. electus Papa *Anno* 1304. *in Clem.* 2. §. *Quibus etiam, de Privileg.* præter alios textus Canonicos, quos citat Ivenim *in Commentar. Historico, & Dogmatico de Sacramentis tom.* 2. *Dissertat.* 6. *qu.* 7. *cap.* 3. §. 4. & noviss imè Pignatellus *tom.* 10. *Consult.* 163. *n.* 1.

Quo ad Secundum. Extra controversiam est, *Primò*, quod Papa sibi reservat peccata, ac censuras 3 in universo Orbe Christiano. Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp.* 19. *num.* 265. *& num.* 291. ubi probat, hanc reservandi casus potestatem in Papa esse à Deo; quod latiùs prosequitur Barbosa *de Offic. & Potest. Episcop. alleg.* 50. in qua omnes reservationes Papales enumerat. *Secundò*, quòd Epi- 4 scopi idem jus sibi reservandi casus pro suis Diœcesibus habent; ut ex *cit. cap.* 2. *de Pœnitent. & Remiss. in* 6. nec non ex eodem Sacro Concilio Tridentino *d. sess.* 14. *cap.* 7. *Vers. Neque dubitandum est*; ac etiam *ex Can.* 11. ubi profertur anathema in contrarium asserentes. Hanc tamen facultatem habent à Papa, ut pluribus rationibus ostendit idem Emin. Cardin. de Lauræa *ead. disp.* 19. *num.* 293. Barbosa *alleg.* 51. *in princ.* atque Squillantes *de Privileg. Episc. part.* 3. *cap.* 21. *Tertiò*, Prælati inferiores, 5 ac Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio, ac populo sibi subditis eandem facultatem censentur habere. Eminent. Card. de Lauræa *d. disput.* 19. *num.* 278. & Collegium Salmantic. *eod. tract.* 13. *num.* 2. ubi alios DD. cumulat. Et *Quartò*, Abbates, ac alii Superiores Reli- 6 giosorum Ordinum, qui pro suis subditis reservare casus sibi valent, servata tamen forma Constitutionis Clementis Papæ VIII. de qua infra *Dec. XLVI.*

Quo ad Tertium. Tridentinum Concilium *in cit. sess.* 14. *c.* 7. *de Sacram. Pœnit.* ait: quòd reservanda veniunt *atrociora, & graviora crimina.* Porrò cùm non possit tradi certa limitatio casuum reservandorum pro unaquaque Diœcesi, ut notat Navarrus *in Man. c.* 27. *n.* 262. *in fin.* & Filliucius *tom.* 7 1. *tr.* 15. *n.* 236. disputant Doctores *Primò*, An peccata minora, seu etiam Venialia possint reservari? & respondent, licitè *quòd non*; validè autem *quòd sic*; quamvis videatur frustratoria reservatio quo ad venialia, quia de necessitate non sunt confitenda *ex Concil. Trid. d. sess.* 14. *c.* 5. Nihilominùs quatenus pœnitens vellet ea submittere clavibus, & de eis obtinere absolutionem Sacramentalem, teneretur se præsentare Superiori, vel ab eo licentiam obtinere, ut à Confessario

inferiori absolveretur, ut disputando concludit Eminent. Card. de Lauræa *d. disp. 19. à num. 312. & seqq.* ubi *num. 315.* redarguit assertionem plurium Moralistarum; quòd quilibet Sacerdos, etiam non
8 approbatus, possit absolvere à Venialibus; subdens, nunquam reperisse Canonem, vel textum concedentem hanc assertam facultatem; sed è contra extare diffinitionem Concil. Trid. *d. sess. 14. cap. 7. in princ. Nullius momenti Absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet Jurisdictionem.* Idcircò talem opinionem proscriptam esse ab Innocentio XI. diximus supra in *Decis. XXXVII. n. 26.*

Secundo, disputant DD. an peccata interna, etsi gravia, ac mortalia possint reservari? Et quamvis
9 nonnulli respondeant Negativè ex communi Axiomate, *Ecclesia non judicat de occultis; cap. Erubescant.* & ibi Glossa *dist. 32.* & *cap. Cogitationis, de Pœnit. dist. 1.* Affirmativa responsio est verior, ac communior, quam tuentur Palaus, Dicastillus, Averza, & alii, quos allegant, atque sequuntur Salmanticenses *d. tract. 13. num. 11.* ac etiam tenet Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 19. num. 309.* quia ipsum peccatum internum est objectum Jurisdictionis Prælatorum, & ad absolvenda peccata interna opus est Jurisdictione. Igitur recusante Superiore concessionem Jurisdictionis super aliquo peccato interno, & volente per seipsum illud absolvere, valida erit reservatio. Ad rationem contrariam respondetur, quòd Ecclesia non judicat de occultis in foro exteriori, secus autem in interno, ac Sacramentali. Præterquam quòd pœnitens se accusat coram Confessario de peccatis internis; & ea non sunt ampliùs occulta, sed manifesta; & quidquid sit de hac ratione, certum est, quod si Superiores velint, possunt etiam peccata gravia interna reservare. Sanchez *in Decalog. lib. 2. cap. 8. num. 4.* ubi alios allegat. At usus communis Ecclesiæ est, reservare tantùm externa, non autem interna: hinc communis est Doctorum opinio; quòd hæresis mentalis, & merè interna non sit reservata, & à quocunque Confessario possit absolvi. Eminent.
10 Cardin. Toletus *in Summâ libr. 1. cap. 19. num. 3.* Lezana *tom. 3. Verb. Hæresis num. 2.* Reginaldus *in Praxi libr. 9. num. 158. & num. 239.* Sanchez, alios cumulans *d. lib. 2. cap. 8. num. 3.* & Salmanticenses *d. tract. 13. de Pœnitent. num. 11.* etiam aliud dicendum sit de hæresi occulta, quæ differt ab illa mentali; ideòque cùm exteriùs pandatur, etsi occultè, afficitur excommunicatione Bullæ Cœnæ Domini, & absolvi non potest à Confessario inferiori, neque ab Episcopo, ut tenent Doctores quinquaginta collecti à Barbosa *ad Concil. Trident. sess. 24. de Reform. cap. 6. num. 52.* & infra dicetur. Quæ autem peccata in sola mente consummuntur, non comprehenduntur in reservatione, nisi expressè nominentur; quocirca si reservetur peccatum mortale furti; & quis furetur obolum, animo plures furandi; etsi peccet mortaliter ob malum animum, & ultimum finem furandi, peccatum illud non cadit sub reservatione; quia exteriùs ob levem quantitatem non censetur peccatum mortale; ut docent plurimi Theologi apud Salmanticenses *d. tractat. 13. num. 12.* ac Lezana *dict. tom. 3. Verb. Casus reservati num. 10.*

Tertiò in controversiam DD. vertunt, an peccata dubia veniant sub reservatione? Illa scilicet, de quibus pœnitens dubitat, se ea commisisse? Vel si commiserit, an sint mortalia? vel ob levitatem materiæ, vel ob defectum perfectæ deliberationis, ut in blasphemante in primo motu iracundiæ? & quamvis non desint, qui affirment, ut ajunt Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 13. num. 14.* 11 nihilominùs contrarium ibi tenent *num. 15.* cum pluribus Theologis, quos inter Suarez *de Censuris disp. 40. sect. 6. num. 5.* Eminent. Card. de Lugo *de Sacrament. Pœnit. disp. 20. num. 20.* Diana Coordinatus *tom. 1. tractat. 5. resol. 41.* existente in veteri *part. 8. tract. 7. resol. 5.* ubi docet, quòd si deinde pœnitens fiat certus de peccato illo dubio; tenetur quidem illud confiteri, sed à quocunque Confessario poterit absolvi. Lezana tamen *d. tom. 3. Verb. Casus reservati num. 14.* excipit; si in percussione clerici dubium esset, an percussio sit gravis, vel levis? Vel ageretur de absolutione casuum Bul- 12
læ Cœnæ Domini virtute Privilegiorum in Italia; nam ex decreto Clementis VIII. de quo ipse Lezana *tom. 1. cap. 19. num. 15.* prohibetur absolutio eorundem, sivè sint casus clari, sivè dubii, ideòque in his duobus casibus quamvis dubiis, casus reputandi sunt reservati, & est recurrendum ad Superiores pro absolutione.

Cæterùm pro reservatione casuum facienda per Episcopos non sunt ignorandæ instructiones, atque regulæ præscriptæ à Sacra Congregatione Episcop. ac Regular. quas referunt Barbosa *d. allegat. 50, n.* 13
288. ac novissimè Nicolius *in Flosculis Verb. Casus reservati num. 1.* quarum præcipuæ sunt: 1. Ut casus sint pauciissimi. 2. De re gravi. 3. Ut in peccatis carnalibus reservandis multa utantur circumspectione in danda licentia absolvendi; ne, ob frequentem accessum ad ipsos Episcopos, pœnitentes manifestentur. 4. Ideò plures deputent Confessarios in Civitate, ac Diœcesi, qui possint ab eis absolvere. 5. Ne reservent sibi casus aliàs etiam Sedi Apostolicæ reservatos. 6. Neque choreas, aut saltus in Quadragesima. 7. Neque accessus ad Moniales sine licentia in scriptis, quando non sunt ad malum finem. 8. Neque lapsus carnis Sacerdotum cum mulieribus solutis. 9. Neque inobservantiam festorum, vel non solvere debita locis piis, nisi post notabile tempus. 10. Et ne ipsi Episcopi præscribant Pœnitentiam, quam Confessarii teneantur injungere pœnitentibus in singulis Casibus occurrentibus; sed eam decernendam prudentiæ, & arbitrio eorumdem Confessariorum relinquant.

DECISIO XLV.

ARGUMENTUM.

De permissa absolutione à quibuscunque reservatis in articulo, vel periculo mortis, ac tempore Jubilæi. De facultate absolvendi à casibus occultis, Papæ reservatis, competente Episcopis vigore Concilii Tridentini sess. 24. de Ref. cap. 6. & à publicis de Jure Canonum, ubi pœnitentes sint impediti recurrere ad Papam. An Episcopi absolvant à casibus

bus occultis Bullæ Cœnæ Domini? & ab aliis post Concilium Sedi Apostolicæ reservatis? Referuntur varii casus, in quibus Confessarii inferiores possunt absolvere pœnitentes à reservatis.

SUMMARIUM.

1 *Mortis in articulo, aut periculo constitutus absolvi potest à reservatis, & à censuris quibuscunque.*
2 *Excommunicatus denunciatus Sacerdos an possit absolvere moribundum?*
3 *Prælatus reservans, ac ejus Superior absolvit à reservatis.*
4 *Episcopi duplici jure absolvunt à Casibus Papalibus. Et quomodo?*
5 *Casus Papales occultos absolvunt Episcopi. Sed nunquid contentos in Bulla Cœnæ Domini?*
6 *Episcopi an absolvant à Duello, à violata clausura Monialium, Immunitate Ecclesiastica, ac Simonia Reali?*
7 *Episcopi seipsos possunt absolvere facere à Casibus Papalibus.*
8 *Episcopi an absolvant impeditos recurrere ad Papam à reservatis.*
9 *Papa reservati Casus qui sint? Remissivè.*
10 *Jubilæi tempore quilibet absolvit à reservatis Papæ, & Episcopo.*
11 *Jubilæum non assequens an sit absolutus à reservatis? Et qui fecit confessionem invalidam? Et quid de non confessis ex ignorantia? Vel de oblitis?*
12 *Scandali, vel infamiæ, aut vitæ in periculo, quando liceat absolvere à reservatis?*
13 *Oblita reservata quando à quocunque possint absolvi.*
14 *Superior quomodo audiat habentem reservata?*
15 *Inferior impetrans facultatem pro reservatis an utatur ea pro seipso, vel pro aliis, vel pro diversis peccatis?*
16 *Peregrini habentes reservata an absolvi possint in loco, ubi ea peccata non sunt reservata?*

REservatorum Casuum materiam prosequentes, oportet in præsenti agere de his, qui ab illis possunt pœnitentes absolvere; & ad ea, quæ scitu tantummodò sunt necessaria, calamum restringendo, duo veniunt examinanda.

Primum. Qui possint absolvere à Casibus reservatis?

Secundum. An dentur peccata reservata, quæ possint absolvi à quocunque Confessario absque aliâ licentia Superioris?

Quo ad primum, pluribus responsionibus quæsitum est elucidandum, ac resolvendum.

Prima responsio est: Si pœnitens sit constitutus in articulo mortis, & habeat casus reservatos, potest
1 à quocunque Sacerdote absolvi, prout etiam à censuris; attenta Regula certa, illimitata, ac universali, quam ponit Concilium Tridentinum *sess. 14. de Sacram. Pœnitent. cap. 7.* loquens de casuum reservatione, his verbis: *Verumtamen piè admodum, ne hac ipsa occasione, (scilicet reservationis) aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit Reservatio in articulo mortis: atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.* Et de hac inveterata, immemorabili, atque semper servata consuetudine, ut existentes in articulo mortis à quocunque Sacerdote possint absolvi ab omnibus excessibus, ac censuris quantumvis reservatis, testantur DD. innumeri, quos numerat Barbosa *in collect. ad d. sess. 14. c. 7. num. 10.* & confirmant Canones, ac Concilia antiqua; ut videre est in Concilio Carthaginen. III. celebrato *Anno* 397. in cujus *Canone* 32. fuit statutum: *Ut Presbyter, inconsulto Episcopo non reconciliet Pœnitentem, nisi absente Episcopo, ac necessitate cogente:* & refertur *in cap. ult. 26. qu. 7.* ubi Gratianus legit: *Nisi absente Episcopo ultima necessitas cogat.* Et hoc idem docent, præter Theologos, ac Canonistas, Historici Sacri, nempè Illustrissimus, ac Reverendissimus Baptaglinus Episcopus Nuceræ in sua nunquàm satis laudata *Historia Conciliorum* ad Concil. Carthaginen. 2. *can. 4. Anno* 390. *pag.* 147. & successivè ad Carthag. 3. *can. 32. Anno* 397. *pag.* 154. prout etiam Illustrissimus, ac Reverendissimus Sarnelius Episcopus Vigiliarum in eruditissima sua *Antiqua Basilicographia cap. 20. num. 5.* Porrò an in tali articulo, si Parochus sit præsens, vel alius Confessarius approbatus, possit simplex Sacerdos absolvere? Sunt hinc indè opiniones DD. quos refert Pignatellus *tom. 10. consult. 163. num. 13. 14. & 15.* ubi ait Sac. Congreg. approbasse negativam. Pro articulo autem mortis, in quo propriè intelligitur infirmus mortali morbo laborans, Doctores comprehendunt etiam personas in discrimine vitæ versantes ob quamcunque aliam causam, ex qua probabiliter, ac moraliter mors solet venire, ac timeri; ut in suscipientibus longam navigationem; in obsessis ab hostibus; in muliere prægnante; in castrandis; peste infectis, ac similibus; de quibus videndi Reginaldus *in Praxi lib. 1. à num. 58. & seqq.* Lezana *tom. 3. Verb. Bulla Cœnæ num. 53.* Chapeavil *de Casibus reserv. cap. 7. difficil. 1.* Coriolan. *eod. tract. part. 1. sect. 2. art. 16.* Sanchez *in Decal. lib. 2. c. 11.* Possius *in Discept. Moral. discept. 2. à num. 6. & seqq.* ac alii plures collecti per Barbosam *ad d. sess. 14. cap. 7. num. 11.* qui loquuntur de periculo necessario; non autem merè voluntario.

Porrò non est ignorandum, quòd dicente Concilio Tridentino *ubi supra* quòd *omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt;* non levis altercatio est inter Doctores, quos cumulat Barbosa *in d. sess. 14. cap. 7.* 2
num. 13. An etiam Sacerdos excommunicatus, ac publicè denunciatus, imò, & degradatus in dicto articulo mortis possit absolvere? Affirmant enim Comitolus *in Resp. Moral. libr. 6. q. 27.* Layman *lib. 5. tr. 6. c. 12. n. 13.* Suarez *de Pœnit. disp. 26. sect. 4. Et de Censur. disp. 11. sect. 1. n. 14.* ac alii multi. Sed vice versa id negant Navarrus *in Manual. cap. 26. n. 26.* Coriolan. *d. part. 1. sect. 2. art. 16. num. 10.* S. Thom. *in 3. p. q. 82. art. 7.* ad secundum. Abbas *in c. Cum Clericis. De Ord. ab Episc. qui renunc.* & præter alios antiquos, ac modernos, novissimè Fagnanus *in c. Non est vobis. De Sponsal.* ubi mordicùs sustinet, ac probat, Sacerdotem denunciatum excommunicatum neque in articulo mortis validè absolvere pœniten-

nitentes; quia illa Verba Concilii Tridentini *Omnes Sacerdotes*, debent intelligi de viventibus in unitate Ecclesiæ, de quibus ante, & post loquitur Concilium in eodem textu; non autem de præcisis, ac separatis, quales sunt excommunicati denunciati; ut prosequitur demonstrare Fagnanus *ibidem*; addens, ita fuisse decisum, atque responsum Episcopo Valentino à Sacra Congregatione Concilii; quam Decisionem DD. contrarii ignorarunt, & ideò in affirmativam sententiam irruerunt, à qua cavere oportet; cùm jam Eminentiss. Cardinales S. Concilii Tridentini Interpretes negativam sint amplexi.

Secunda Responsio. Quocunque tempore à reservatis absolvere potest Prælatus, qui casus sibi reservavit; nec non Superior ejusdem Prælati reser-
3 vantis; vel per seipsum, si Reservans, vel ejus Superior sit Sacerdos; vel per suum delegatum, si carent Sacerdotio; vel nolit ipse personaliter pœnitentem audire, ac Sacramentaliter absolvere. Ita Salmanticenses *d. tr. 6. c. 13. n. 20. & 21.* ac Eminent. Card. de Lauræa *d. disp. 19. de Pœnit. n. 336.* Ex qua responsione studiosus Lector deducet, Papam in toto Orbe posse absolvere non solùm à Casibus per seipsum sibi reservatis, sed etiam ab illis reservatis per Archiepiscopos, Episcopos, Generales, ac alios Prælatos inferiores quoscunque Summus Papæ Pœnitentiarius eandem facultatem habet, ut demonstrabimus infra *Decis. XLVIII.* & notat ipse Eminent. Card. de Lauræa *d. disp. 19. n. 337.* E contra Legati à Latere, ac Nuncii Apostolici non absolvunt à reservatis Papæ, vigore eorum Dignitatis, si casus sint publici; secùs autem si specialis commissio sit eis data; vel casus sint occulti. Barbosa *de Jure Eccles. Univ. lib. 1. c. 5. n. 25. & seqq.* ubi octo casus colligit pro foro exteriori spectantes de Jure ad Legatos supradictos; & idem confirmat Emin. Card. de Lauræa *à num. 338. usque ad num. 342.* Episcopi absolvunt à Casibus, quos sibi reservant vel in Synodo, vel per Edictum particulare; quia ejus est solvere, cujus est ligare; & nomine Episcoporum veniunt etiam eorum Vicarii, nec non Abbates, aliique Prælati inferiores territorium separatum, ac populum sibi subditum habentes cum quasi Episcopali Jurisdictione; prout etiam Vicarius Capitularis Sede Episcopali vacante. Salmanticenses *d. tract. 6. c. 13. num. 30. & seqq. & in tr. 10. de Censuris cap. 2. num. 54. in fine*, ubi alii scribentes.

Tertia Responsio. A reservatis casibus per Papam duplicem facultatem absolvendi habent Epi-
4 scopi; unam à Concilio Tridentino, & aliam à Jure communi. Concilium Tridentinum *in sess. 24. de Ref. cap. 6.* concedit Episcopis, ut possint *in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere; imposita Pœnitentia salutari.* Itaque ubi casus sint occulti, quamvis sint Papæ reservati, possunt Episcopi subditos suos ab eis absolvere; & de hoc non est ambigendum, cùm verba Concilii sint manifesta. At magna est controversia inter Theologos, an hæc Episcoporum facultas comprehendat casus contenos in Bulla Cœnæ Domini, reservatos Papæ, quando sunt occulti? Affirmant plurimi, quos refert Diana *part. 7. tract. 2. resol. 23.* collocata in Coordinato *tom. 5. tract. 8. resol. 17.* nec non Eminent. Cardin. de Lugo *in tract. de Fide disp. 23. sect. 3.* per totam. At non minor est numerus negantium, ibidem allegatorum, quibus adhærent ipse Diana, ac Cardin. de Lugo, Lezana *tom. 3. Verb. Bulla Cœnæ num. 55.* & cum iisdem novissimè sentit Eminent. Card. de Lauræa *d. disp. 19. de Pœnit. à num. 344.* ea ratione, quia Bulla Cœnæ Domini, quæ annuatim legitur, ac renovatur, non solùm derogare censetur Concilio Tridentino tanquam posteriori, sed quia expresè revocat quamcunque facultatem Sæcularibus, ac Regularibus Ordinibus, ac etiam Episcopis ab iisdem casibus absolvendi concessam *sivè per ipsam Apostolicam Sedem, sivè per cujusvis Concilii Decreta in genere, vel in specie, &c.* Igitur inconcussa veritas est, quòd hodie Episcopi non possunt absolvere à casibus in Bulla Cœnæ Domini Papæ reservatis, sivè sint publici, sivè sint occulti; & eo minùs ab hæresi quamvis occulta, quia, etsi iste casus esset permissus soli Episcopo *in tod. cap. 6. Concil. Trid. sess. 24* nunc per eandem Bullam Cœnæ Domini est ei subtractus, ut demonstrant prædicti Eminentissimi Cardin. de Lugo *in d. disp. 23. de Virtute Fidei sect. 3. num. 87.* & de Lauræa *in cit. disput. 19. num. 350.* ubi ponit declarationem Supremæ Congregationis S. Inquisitionis Romæ. At dum dicimus, non posse Episcopum absolvere ab hæresi occulta, intelligendum est de occulta externa; idest quæ per verba, aut signa exteriora manifestata est, quamvis in occulto, & non in publico; ad differentiam hæresis merè mentalis, & quæ prorsùs latitat in mente hominis; ab hac enim tam Episcopus, quàm quilibet Confessarius potest absolvere, tanquam nulli reservata, ut probatum est supra *Decis. XLVI. num. 10.* & tenet Lauretus de Franchis *De Controvers. inter Episc. & Regular. part. 1. num. 149. &* ibi Adden. *num. 1411.* ubi infiniti DD.

Ulteriùs Episcopi absolvere non possunt, (præter hæresim) à Duello, à Simonia reali, à Violatione Clausuræ Monialium ad malum finem, & Im-
munitatis Ecclesiasticæ juxta terminos Constitu- 6
tionis Gregorii Papæ XIV. quamvis hæc delicta sint occulta; ea ratione quia post Concilium Tridentinum Summi Pontifices eorum absolutionem sibi ipsis, ac Sedi Apostolicæ reservarunt; ut notat Lezana *tom. 3. Verb. Confessarius Regularis num. 5.* & Pax Jordanus *tom. 1. lib. 3. tit. 4. num. 92.* ubi rejicit Bonacinam contrarium docentem; & protestatur, se nunquam voluisse in prædictis casibus, etsi occultis quemquam absolvere; quare cavendum est à Summa Diana *Verb. Absolvere, num. 54.* & à Sanchez *in Decal. lib. 6. cap. 15. num. 76.* & aliis asserentibus, Episcopos posse ab iisdem absolvere. His exceptis, in omnibus aliis casibus Papalibus reservatis, (quos numerat Barbosa *de Episc. alleg. 50.*) quando sunt occulti, possunt Episcopi absolvere subditos suos; & erga seipsos uti eadem facultate; itaut, (quod Deus avertat) si in ali-
quem casum Papæ reservatum inciderint, suo Con- 7
fessario elargiendi facultatem jus habent, ut ipsos absolvat. Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 13. de Sacrament. Pœnitent. num. 34.* ubi plurimos DD. congerunt. Suarez *de Pœnitent. disput. 30. sect. 2. num. 15.* ubi ponit Declarationem Sacræ Congregationis, hoc idem affirmantem, quam etiam transcribit Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp. 19. num. 367.*

Deindè

Deindè à Jure communi alteram facultatem habent Episcopi circa casus Papæ reservatos; videlicet (exceptis semper supradictis) absolvendi eos, qui in illos incurrerint etiam publicè; si fortè habeant impedimentum, quo detineantur, ne possint ire Romam, & se præsentare Summo Pontifici; quales censentur esse Senes, Pauperes, Mulieres, Valetudinarii, subjecti alterius dominio, & consimiles, de quibus differit Pax Jordanus *d. libr. 3. tit. 4. à num. 31. & seqq.* ac notat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 19. num. 348.* Collegium Salmanticen. *d. tract. 10. de Censuris cap. 2. num. 63.* ubi id ampliat etiam ad casus publicos in Bulla Cœnæ contentos, & expressè docent Suarez *tom. 4. de Pœnit. disp. 30. sect. 3. num. 9.* Navarrus *in Man. cap 27. num. 88. & 89.* nec non Reginaldus *libr. 1. num. 135. ac etiam libr. 8. num. 84.* ubi firmat hoc dictum, *Reservatio ob justum impedimentum ex Papali sit Episcopalis.* 8 9 Quinam autem sint casus Papæ reservati, (præter contentos in Bulla Cœnæ Domini, & alios recensitos *supra num. 6.*) declarant Eminentiss. Cardin. Toletus *d. libr. 1. cap. 35. & 36.* atque Reginaldus *eod. libr. 1. à num. 131. & seqq.* qui ponunt omnes casus, ac censuras Papales tam intra, quàm extra corpus Juris Canonici existentes; ubi, cùm opus fuerit, studiosus recurrat.

Quarta Responsio: tempore Jubilæi quilibet Sacerdos ad confessiones audiendas approbatus per Ordinarium potest absolvere à quibuscunque Casibus quomodolibet sivè Papæ, sivè Episcopo, aut alteri Superiori reservatis; sic enim legitur in Bulla Jubilæi hujus Anni 1701. à SS. D. N. CLEMENTE PAPA XI. feliciter Regnante concessi: *Insuper omnibus, & singulis CHRISTI fidelibus utriusque sexus, tam laicis, quàm Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus, &c. licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcunque Presbyterum Confessarium, tam Sæcularem, quàm cujusvis Ordinis, & Instituti Regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab Excommunicationis, Suspensionis, & aliis Ecclesiasticis Sententiis, & censuris à jure, vel ab homine, quavis causa latis, seu inflictis; nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus; etiam locorum Ordinariis, sivè Nobis, & Sedis Apostolicæ, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & aliàs per quascunque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocunque reservatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantùm absolvere, & liberare valeant.* 10 Circa quam Jubilæi clarissimam, & indubitabilem concessionem, nonnulla dubia à DD. promoventur. *Primò:* An qui confitetur tempore Jubilæi, & absolvitur à reservatis, sed non adimplet alia opera, & non consequitur Jubilæum, remaneat absolutus? Et respondent affirmativè, quia absolutio non pendet à futura conditione consequendi Jubilæum, neque datur ad reincidentiam. Ita DD. apud Salmanticen. *d. tract. 6. cap. 13. num. 56.* 11 Sanchez *in Decal. libr. 4. cap. 54. num. 43.* Suarez *disp. 31. sect. 4. numer. 5.* & Reginaldus *libr. 8. num. 59. Secundò:* An sit absolutus à reservatis, qui dicto tempore Jubilæi fecit confessionem invalidam? Ad hoc respondetur cum distinctione; si fuit invalida absque culpa pœnitentis? & remanet absolutus à reservatis: At si culpabiliter se gessit, subsistit reservatio; & opus est, ut recurrat ad Superiorem. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœnit. d. disp. 19. num. 432. Tertiò:* Quid dicendum, si nesciens habere reservata non sit confessus tempore Jubilæi? vel si sciebat, fuit oblitus ea confiteri? Respondent DD. etiam transacto tempore Jubilæi posse quemlibet Confessarium absolvere à reservatis illis. Ita DD. quos citant, ac sequuntur Salmanticenses *d. cap. 13. num. 55. & 58.* ac Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 19. num. 424. & 429.* rationem reddens, quia talis præsumitur voluntas Summi Pontificis.

Quo ad Secundum; in quo quæritur, *An dentur peccata reservata, quæ possint absolvi à quocunque Confessario absque alia licentia Superioris?* Ponunt Theologi nonnullos casus, in quibus affirmativè est respondendum; & sunt sequentes: *Primò,* 12 quando pœnitens, qui de præcepto tenetur confiteri, communicare, aut celebrare, non potest accedere ad Superiorem pro absolutione à reservatis, nisi cum periculo scandali, vitæ, vel infamiæ; tunc enim confiteri potest omnia peccata sua tam non reservata, quàm reservata Confessario inferiori; & ab eo recipere absolutionem; ut differendo concludit Suarez *de Pœnit. disp. 31. sect. 3.* Salmanticenses, qui plurimos DD. ita docentes allegant *d. tract. 6. cap. 13 num. 74. & 75.* ubi id concedunt, etiamsi peccata haberent annexam excommunicationem reservatam. Lezana *tom. 3. Verb. Casus reservati num. 24.* ubi advertit, quòd pœnitens sic absolutus, cessante impedimento, debet, se Superiori præsentare. His consensit Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp. 19. à num. 599. & seqq.* reddens hanc rationem, quia Deus non præcepit cum periculo vitæ, aut infamiæ confessionem peccatorum, sed tantummodò confessionem fidei; dicit tamen, quòd hoc periculum debet esse ita grave, ut æquiparetur illi, cujus causa licet facere confessionem non integram; de quo egimus supra *Decis. XXIII.* & in terminis periculi scandalorum, vitæ, vel infamiæ loquuti sumus supra *Decis. XLI. num. 18.* Addit tamen Emin. Cardin. de Lauræa, quòd in tali casu non est dicendum, quòd inferior Confessarius absolvat directè à non reservatis, & indirectè à reservatis, ut communiter asserunt Moralistæ, sed quòd ipse Deus absolvit. *Secundò,* potest Confessarius inferior absolvere à reservatis pœnitentem, qui antea fecerat suam confessionem coram Superiore, sed oblitus est ipsa reservata inculpabiliter. 13 Ita DD. apud Salmanticenses *d. cap. 13. à num. 43. & seqq.* id ampliantes, etiamsi confessio facta fuisset non coram Superiore Ordinario, sed coram ejus Delegato, qui facultatem absolvendi à reservatis habuisset. Huic tamen assertioni non acquiescit Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp. 19. à n. 420. usque ad num. 425.* & requirit ulteriùs, quòd Superior habuerit intentionem liberandi pœnitentem ab omnibus reservatis; secùs autem si à confessis tantùm. Nec valet exemplum de confessione, & absolutione data tempore Jubilæi, quia in illa præsumitur talis esse intentio Papæ, ut oblita reservata possint extra Jubilæi tempus absolvi à quocunque; at hæc præsumptio cessat in Episcopo. Cæterùm contrarium tenent communiter DD. quibus adhæret etiam Mastrius in *Theol. Moral. disp. 21. num. 235. Tertiò* potest inferior Confessarius absolvere à reservatis pœnitentem, qui se præsentavit Superiori, & ab eo remissus fuit ad inferiorem; censetur enim abstuliisse reservationem, vel concedere necessariam

14 cessariam facultatem. Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 8. num. 129.* nec non *d. cap. 13. n. 59.* Eminent. Cardin. de Lauræa *d. disp. 19. à num. 381. & seqq.* ubi bene advertunt, Superiorem non posse dimidiare confessionem pœnitentis, audiendo ejus peccata reservata; & ab aliis eum absolvendo; & pro non reservatis illum remittendo ad inferiorem: quia vel debet audire tam reservata quàm non reservata; & ab omnibus eum Sacramentaliter absolvere; vel dare ei licentiam, ut de utriusque coram inferiori confiteatur, per quem ab iisdem possit absolvi; & hoc docent omnes moderni, reprobata contraria antiquorum doctrina, relata à Suarezio *d. disp. 31. sect. 1.* per totam; & ab Eminentiss. Cardin. Lugone *disp. 10. sect. 6.* qui advertunt, multò minùs inferiorem posse absolvere à non reservatis absque necessitate, remittendo pœnitentem ad Superiorem pro reservatis. *Quartò*, possunt absolvi omnia reservata ab in-
15 feriori Confessario, quando vel ipse, vel pœnitens obtinuit à Superiore per generalia verba facultatem pro absolvendo. At si in specie Superior fuisset locutus, vel cum restrictione ad numerum peccatorum reservatorum, vel ad tempus, vel ad personam, non posset inferior absolvere ultra dictam personam, speciem, numerum, vel tempus. Idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 19. à n. 434. & seqq.* ubi *n. 437.* notat, quòd cessante hac restrictione absolvendus erit pœnitens, etiamsi laberetur in reservata ob confidentiam obtentæ facultatis prædictæ, quod docet etiam Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp. 20. sect. 8. Quintò*, Confessarius ipse habens reservata, & petens à Superiore licentiam in genere pro uno pœnitente absolvendo, potest absolvi ab alio inferiore; dummodò Superior non dixerit ipsi, *concedo tibi facultatem, ut illum pœnitentem absolvas*; tunc enim subdelegare non potest licentiam alteri; sed utique si generaliter dixerit, *concedo, ut pœnitens absolvatur.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. sect. 8.* & Eminentiss. Card. de Lauræa *ubi prox. n. 438. Sextò*, Peregrinus, qui habet
16 peccata reservata in sua Diœcesi, accedens ad aliam Diœcesim, in qua illa peccata non sunt reservata, potest à quocunque inferiore confessario absolvi; dummodò non venerit in fraudem sui Ordinarii, sed ex aliqua legitima causa; & eò magis si moraturus sit per notabile tempus in hanc secundam Diœcesim. Fagnanus *in cap. Omnis Utriusque sexus. n. 86. & 87. De Pœnit. & remiss.* qui firmat, quòd reservatio Casuum Episcopalium est localis, ideò extra Diœcesim cessat. Diana Coordinatus *tom. 1. tract. 5. resol. 47. 48. 49. & 50.* ubi DD. cumulat, quibus adhærent Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 13. n. 24.* & ibi Suarez *disp. 20. sect. 1. n. 4.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *disp. 20. sect. 5. num. 71.* & concedit Eminentiss. Cardin. de Lauræa *ead. disp. 19. num. 445.*

Corollarii loco, omnes DD. notant, Superiorem difficilem esse non debere, absque urgenti causa, in concedendo petentibus facultatem absolvendi à reservatis, ne in desperationem inducat pœnitentes; ut latè dixerunt Navarrus *in cap. Placuit. num. 119. de Pœnit. dist. 6.* Quaranta *in Verb. Casus reservati. num. 1.* & Salmanticenses *d. cap. 13. num. 61. & 62.* notantes, quòd etiam licentia petita injustè denegetur, pœnitens sæcularis à quocunque absolvi non potest, licèt contrarium procedat circa pœnitentes Regulares; ut in sequenti Decisione videbimus, idemque docet Eminentiss. Cardin. de Lauræa *cit. disp. 19. num. 441.*

DECISIO XLVI.

ARGUMENTUM.

Disseritur de potestate Regularium circa casus reservatos. Refertur Decretum Clementis VIII. circa reservationem Casuum pro Religiosis. Quæ, & quanta sit auctoritas Prælatorum Regularium circa casus reservatos à Papa, vel ab Episcopis, in absolvendis suis Religiosis? A quibus Confessarii Regulares non possint absolvere suos pœnitentes sæculares? Quam facultatem iidem habeant dispensandi in votis, ac in Irregularitatibus cum suis Pœnitentibus sæcularibus.

SUMMARIUM.

1 *Prælati Regulares quomodo possint reservare sibi casus?*
2 *Clementis VIII. decretum circa casus reservatos Religiosorum.*
3 *Censuram sibi reservare an Prælati Regulares possint?*
4 *Casus reservati à Regula subsistunt, præter illos Clementis VIII.*
5 *Prælati Regulares à quibus casibus reservatis absolvant suos subditos?*
6 *Prælati Regulares an audiant confessiones suorum Religiosorum?*
7 *Confessarii Religiosorum quot deputandi in omni Monasterio? Eorum qualitates. Eorum facultas pro reservatis.*
8 *Prælatus Regularis, si cadat in casum reservatum, à quo absolvatur?*
9 *Casus per Episcopos, vel per Bullam Cœnæ reservati quintuplici jure prohibentur absolvi à quocunque Confessario.*
10 *Prælati Regulares non possunt absolvere suos subditos lapsos in casus Episcopo reservatos, & num. 12.*
11 *Religiosi an cadere possint in casus Episcopo reservatos?*
13 *Prælati Regulares non absolvunt suos Religiosos à casibus Bullæ Cœnæ; neque ab aliis quinque Papæ reservatis.*
14 *Religiosi à quibus casibus Papæ reservatis absolvantur per suos Prælatos?*
15 *Prælati Regulares absolvunt, & dispensant cum suis Religiosis, prout Episcopi cum suis subditis ex Privilegio B. Pii V.*
16 *Confessarii Regulares non absolvunt à casibus Bullæ Cœnæ; neque à quinque aliis Papæ reservatis, neque à reservatis Episcopo.*
17 *Opinio damnata, quòd Regulares possint absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, & à reservatis Episcopo.*
18 *Regulares an absolvant à casibus Papæ reservatis?*
19 *Vota sæcularium an dispensentur à Confessariis Regularibus?*
20 *Irregularitates an Confessarii Regulares dispensent?*

SEd, antequam materiam casuum reservatorum concludamus, agere oportet de facultate competente Regularibus tum Prælatis, tum subditis circa casus reservatos, non solùm pro ipsorũ Religiosorum absolu-

absolutione; sed etiam sæcularium, qui iisdem peccata sua confitentur. Quare tria sunt hic examinanda.

Primò: Quam potestatem habeant Prælati Regulares in reservatione casuum?

Secundò: A quibus casibus reservatis possint iidem Prælati absolvere subditos suos Religiosos?

Tertiò: An Confessarii Regulares possint absolvere pœnitentes sæculares à casibus per Papam, vel per Ordinarium reservatis? commutare eorum vota; & super aliqua irregularitate dispensare.

Quo ad Primum: Quia Prælati Regulares sunt Ordinarii suorum subditorum, quorum curam 1 gerere dicuntur, tanquam eorum Pastores. *Clem. 1. De Rebus Eccles. non alien. & cap. Abbatis de Priv. in 6.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœnitent. disp. 19. n. 284.* ideò, sicut olim reservabant sibi casus circa eosdem, ita & hodie eandem reservationem sibi facere possunt; at non ad libitum, sed ad præscriptum Decreti Clementis Papæ VIII. *die 26. Maii 1593.* repositum in Bullario Romano Laertii Cherubini *tom. 4. ad Bullam XXVI. Urbani VIII.* & integrè relatum à Bordono *Var. resol. part. 1. resol. 37. num. 1.* in quo decreto Summus Pontifex restrinxit facultatem Prælatorum Regularium ad undecim infrascriptos casus, videlicet: 1. *Apostasia etiam retento habitu.* 2. *Nocturna, ac furtiva egressio è Monasterio.* 3. *Veneficia, incantationes, & sortilegia.* 4. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.* 5. *Furtum mortale de rebus Monasterii.* 6. *Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus.* 7. *Juramentum falsum in legitimo judicio.* 8. *Procuratio, consilium, seu auxilium ad abortum fœtus animati, etiam effectu non secuto.* 9. *Occisio, seu vulneratio, aut gravis percussio cujuscunque personæ.* 10. *Falsificatio manus, seu Sigilli Officialium Monasterii.* 11. *Malitiosum impedimentum, retardatio, aut aperitio litterarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.*

Hos autem casus Clemens VIII. indixit reservandos, non ut omnes à Prælatis Regularibus reserven- 2 tur; sed ex his aliqui ad eorum arbitrium; at non alii præter hos, nisi de consensu Capituli Generalis, vel Provincialis. Quaranta *Verb. Casus reservati.* Suarez *de Pœnitent. disp. 28. sect. 3. num. 13. & tom. 4. de Relig. tract. 8. libr. 2. cap. 18.* Lezana *tom. 1. cap. 18. num. 20.* Bordonus *d. resol. 37. num. 41. & 42.* Collegium Salmanticense *d. tract. 6. cap. 13. num. 9.* ubi notat in sua Religione Carmelitarum Discalceatorum tres tantùm casus esse Superioribus reservatos, & Donatus *de Reb. Regular. tom. 2. tract. 10. quæst. 23.* qui colligit, tria requiri, ut in Religionibus casus sit reservatus, nempè ut sit peccatum mortale; & ut sit grave, ut sit, opere externo completum, quia non sufficit, si tantummodò sit inchoatum.

Sed utrùm Prælati præter supradictos casus possint aliquid præcipere, vel prohibere sub censura 3 sibi reservata? Est dissensio inter Theologos, quos allegant Lezana *d. tom. 1. cap. 18. num. 21.* & Donatus *d. tract. 10. quæst. 24.* Sed negativa sententia circa dictæ censuræ reservationem prævalere debet; nam eam quoque esse prohibitam per Decretum Clementis VIII. respondit Sacra Congreg. Regular. *die 7. Julii 1617.* cujus responsum ponit Bordonus *d. resol. 37. n. 44.* atque Donatus *d. quæst. 24. n. 7.* subdens, nunc opus esse, prædictas censuras reservatas decernere in Capitulo vel Generali, vel Provinciali. Et ulterius *ibid. quæst. 26. n. 1.* addit 4 aliam declarationem ejusdem Sacræ Congregationis *diei 22. Aug. 1631.* qua respondit, casus reservatos Superioribus à Regula, non esse extinctos per d. Decretum Clementis VIII, sed eorum reservationem subsistere, etsi diversi sint à supradictis undecim casibus. Quomodo autem sint intelligendi, & explicandi ipsi undecim casus Clementini? videantur Quaranta *d. Verb. Casus reservati*; & Lezana in locis per ipsum citatis *tom. 3. Verb. eod. n. 32.* ubi copiosè declarant eosdem casus, & citant alios DD. de eis differentes; quibus ego adjungo Bordonum *d. part. 1. à resol. 40. & seqq.* ubi fusiùs eosdem casus interpretatur.

Quo ad secundum. Circa potestatem Prælatorum Regularium absolvendi eorum subditos à casibus 5 reservatis, oportet distinguere tres species casuum reservatorum; nam vel loquimur de reservatis *per ipsos Regulares Prælatos*; vel de reservatis, *per Episcopos*, vel de reservatis, *per Summos Pontifices Apostolicæ Sedi.* Loquendo de reservatis per ipsos Prælatos Regulares, cum coincidat in eodem subjecto jus ligandi, & jus solvendi, *cap. Verbum 51. de Pœnit. dist. 1.* utique iidem Prælati suos Religiosos subditos auctoritate ordinaria absolvere possunt. Bordonus *resol. 39. n. 38.* ubi declarat hos Prælatos esse Generalem pro tota Religione, Provinciales pro tota Provincia, & Superiores locales, intra suum Monasterium, seu Conventum; nisi aliter sit dispositum in Regula, vel Statutis, aut Constitutionibus suæ Religionis; à quibus si facultas absolvendi Religiosos à reservatis demandata sit aliis Patribus, ab iisdem prædicta absolutio erit expetenda; siquidem Decretum Clementis VIII. nihil mutavit, aut dispositi circa illos, qui absolvendi habent facultatem; sed eam intactam reliquit in suo statu, ac si Decretum quo ad hoc non emanasset, ut ex Sorbo, & Coriolano firmat Bordonus *d. resol. 39. n. 38.*

Porrò prædicti Prælati Superiores possunt absolvere à reservatis non solùm per se, sed etiam per suos 6 delegatos; idest per Confessarios inferiores, quibus voluerint hanc facultatem committere, ac delegare. Megalla *part. 1. lib. 1. cap. 13. n. 1.* Hic autem scire oportet, quòd ex eodem Decreto Clementis VIII. approbato, & innovato à Sacra Congregatione Concilii jussu Urbani VIII *die 21. Septembr. 1624.* non licet Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando ipsimet subditi sponte, ac proprio motu id ab eis petierint; vel quando casum reservatum habuerint; tunc enim subditi pro absolutione comparentes sunt ab ipsis Prælatis Superioribus audiendi, & Sacramentaliter absolvendi, vel remittendi ad aliquem inferiorem Confessarium cum facultate, ut audiantur, & ab omnibus etiam reservatis absolvantur. Lezana *tom. 1. cap. 18. n. 28. & 29.* nec non *cap. 19. n. 37.* Bordon. *d. resol. 39. n. 46.* Verùm, quia ut plurimùm pœnitentes cum casibus reservatis recusant se præsentare Superiori pro absolutione, timentes vel se infamare, vel sigillum confessionis frangi, vel alia gravia damna incurrere, & pro illis comparent Confessarii petentes à Prælato Superiore facultatem pro reservatis; in hoc casu servanda est dispositio prælaudati Decreti Clementis 7 VIII. ita jubentis: *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero majori, vel minori; iique sint docti, prudentes, charitate præditi, qui à non reservatis eos absolvant: & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi,*

ipse in primis Confessarius judicaverit. Ex quibus verbis tria colliguntur à Doctoribus. Unum, quòd Superiores non debent esse difficiles in deleganda petita facultate pro reservatis. Alterum, quòd si eam recusaverit Superior elargiri, potest nihilominùs ipse Confessarius prædictum pœnitentem Religiosum ea vice absolvere; ut declaravit Sacra Congregatio Cardinalium jussu Urbani VIII. apud Gobatum *tract. 7. num. 705.* his verbis; relatis etiam à Bordono *d. resol. 39. num. 50. Sanctitas sua deinceps declaravit, & declarat, ut si hujusmodi Regularium Confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit; possint nihilominùs Confessarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absolvere.* Idem notant mea Erotemata *cap. 122. n. 14.* Tertium est, quod per verba, *illa vice*, non intelligitur *unica vice*, seu *semel tantùm*; sed *toties, quoties* vel ipse Confessarius, vel ipse pœnitens accesserit, & petierit facultatem à Superiore, & ab eo fuerit denegata. Ita Bordonus *d. num. 50.* Pellizzarius *in Manual. Regular. tom. 2. tract. 8. cap. 2. n. 163.* Dicastillus *disp. 11. dub. 20. n. 339.* Cotonius *lib. 2. Controv. 7. cap. 5. n. 152.* & novissimè Gobatus *d. tract. 7. num. 706.*

Sed nec illud est ignorandum, quòd si ipse Prælatus cadat in peccatum ab eo reservatum, potest 8 confiteri, & absolvi à quocunque confessario; quia nulla est reservatio respectu ipsius Prælati, qui seipsum ligare non potest. Emin. Card. de Lugo *de Pœnitent. disp. 20 sect. 5. n. 57.* Si verò reservatio facta fuisset à Superiore majori ipsius Prælati, puta à Provinciali, vel à Generali, & facultas absolvendi esset demandata ipsi Prælato, potest absolvi ab eo, quem in confessarium elegerit; at si esset commissa alteri Religioso, ab eo tenetur petere absolutionem. Emin. Card. de Lugo *ubi supra n. 60.* Lezana *tom. 5. In Mare Magno Minorum n. 111.* & Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 13. n. 34. & 36.* Et hæc duo ad reservata per ipsos Prælatos, vel ipsis Prælatis Regularibus.

Si verò loquamur de casibus reservatis vel à Papa, vel per Episcopos, ac locorum Ordinarios, sunt prænotanda quinque Jura, quæ vetant, ac prohibent absolutionem ab eis; quæ quidem jura per extensum referuntur à Quaranta *in Summa Bullar. Verb. Casus reservati.* Ab Augustino Barbosa *de Officio Parochi cap. 19. in fine.* A Hyacintho Donato *Rerum Regul. tom. 2. tract. 11. quæst. 11.* A Laureto de Franchis *part. 1. n. 1458.* Ab aliis autem pluribus Theologis summatim recensentur, & præcipuè à Cotonio *lib. 4. Controv. 8. à n. 132. & seqq.* & ab Emin. Card. de Lauræa *de Pœnitent. d. disp. 19. n. 356. & tribus seqq.* 9 *aliis.* Primum Jus est Decretum Sacr. Congregationis *Episc. & Regular.* de mandato Clementis VIII. editum *die 29. Januarii 1601.* quo prohibet omnibus Regularibus, ne sub prætextu quorumcunque Privilegiorum absolvant *à Casibus Bullæ Cœnæ Domini; aut ab aliis reservatis, vel reservandis per Summos Pontifices; neque à reservatis, vel sibi reservandis per Episcopos; nisi in mortis articulo; vel de licentia in scriptis danda ab eo, qui reservavit, imposita contrafacientibus pœna excommunicationis Papæ reservata, privatis officiorum, dignitatum, &c. ac inhabilitatis audiendi Confessiones eo ipso. Non obstantibus Privilegiis, Indultis, &c. quæ omnia irritat, cassat, &c.* Secundum Jus est aliud Decretum ejusdem Sacr. Congregationis *diei 26. Novembris 1602.* antecedentis declarativum; quo de mandato ejusdem Clementis VIII. declarat, *prohibitionem factam Regularibus, ac Sæcularibus absolvendi à reservatis comprehendere tantummodò casus contentos in Bullâ Cœnæ Domini; Violationem Immunitatis Ecclesiasticæ; Clausuræ Monialium ad malum finem; pugnantes in duello; injicientes violentas manus in clericos; & Simoniam realem scienter contractam. Item omnes casus, quos Ordinarii locorum sibi reservarunt, vel in posterum reservabunt. In reliquis omnibus aliis casibus reservatis, qui habent Privilegia absolvendi, absolvere possint. Sed quo ad præmissa revocat, derogat, irritat omnia privilegia prægnantissimis clausulis, ac verbis, &c.* Declarat tamen, *Licentiam absolvendi à prædictis reservatis etiam oretenùs dari posse.* Tertium Jus est aliud Decretum ipsiusmet Sacr. Congregationis jussu Pauli V. promulgatum *die 7. Januarii 1617.* per quod, cùm aliqui Confessarii non observarent suprædicta duo Decreta Clementis VIII. & asserent, in eis non esse comprehensas Censuras Sedi Apostolicæ, vel Ordinariis reservatas; *illa iterùm confirmantur, & ab omnibus tam Sæcularibus quàm Regularibus observari mandantur, prohibendo omnibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus absolvere ab Excommunicationibus, & Casibus iisdem Ordinariis, vel Sedi Apostolicæ reservatis, sub iisdem pœnis; & cum derogatione Privilegiorum quorumcunque, &c.* Quartum Jus est novum aliud ejusdem Sacr. Congregationis Decretum de mandato Urbani VIII. emanarum *17. Nov. 1628.* per quod decernitur, *per confirmationes post Trident. Conc. obtentas Privilegiorum quorumcunque, nequaquam revixisse facultatem absolvendi à Casibus Bullæ Cœnæ Domini, & à reservatis per Ordinarios sivè intra, sivè extra Italiam; ideò neminem à prædictis casibus posse absolvere sub pœna nullitatis absolutionis. Quo verò ad alios casus extra Italiam, si quis habet Privilegia absolvendi, ea sint salva.* Hoc decretum refert etiam Novarius *in Summa Bullarii part. 1. Commentar. 135.* Et Jordanus *tom. 1. lib. 3. tit. 4. num. 11.* Quintum tandem Jus est Bulla Clementis Papæ X. *Superna magni Patris familias diei 20. Maii 1670.* quam transcripsimus supra *Decis. XXXVIII. n. 32.* in qua §. 6. & §. 7. renovatur prohibitio Regularibus absolvendi à Casibus per Episcopos sibi reservatis; & declaratur, Privilegia non ampliùs iisdem Regularibus suffragari quo ad dictos casus Episcopis reservatos, ibi: §. 6. *Ex facultatibus per Mare Magnum, aliave Privilegia Regularibus cujuscunque Ordinis, Instituti, aut Societatis, etiam JESU concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis. Et per confirmationes prædictorum Privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post S. Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquàm revixisse Privilegia prius ab eodem Concilio, aut deindè Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absolvendi à casibus Episcopo reservatis:* & §. 7. immediatè sequenti: *Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis; non ideò à casibus Episcopo reservatis posse absolvere.*

Igitur his juribus stantibus, & tot reiteratis prohibitionibus, ac declarationibus vel à Sede Apostolica emanatis, vel per eandem confirmatis; dicendum, & affirmandum est Prælatos Regulares 10 non posse absolvere Religiosos eorum subditos à censuris, & à casibus per Episcopos, seu ipsis Episcopis reservatos; ut differit, & in terminis nostri Quæsiti ostendit Bordonus *Var. Resol. part. 1. resol. 3. quæs. 7. & quæs. 10. num. 20. & num. 24.*

Sed

Sed dicet aliquis, quomodo Religiosi, qui non sunt subditi Episcopis, sed exempti ab eorum jurisdictione, possunt incurrere in casus, vel censuras per Episcopos sibi reservatos? Reservatum non afficit non subditos; *cap. A nobis* il primo *De Sentent. Excommunic. cap. Romana. eod. tit. in 6. cap. 1.*
11 *§. In eos. De Privil. lib. 6.* Lauret. de Franchis *d. part. 1. num. 1105.* Respondetur, quòd etsi Religiosi sint exempti ab Episcopis, in pluribus tamen sunt iisdem subjecti, ut passim docent scribentes. Barbosa *de Jure Eccles. Univ. lib. 1. cap. 43. num. 114. & seqq.* Fagnanus *in cap. Grave à num. 37. usque in finem* (ubi casus 47. refert, in quibus Regulares subjacent Jurisdictioni Episcoporum) *De Officio Ordinar.* Et ex Regularibus latè demonstrat Bordonus *d. part. 1. Resol. 7. per totam*; qui omnes concedunt, Religiosos ipsos in prædictis casibus incurrere in reservationem casuum, ac censurarum Episcopalium. Sint exempla. Episcopus facit casum sibi reservatum, *alloqui Moniales, vel eis litteras, aut munera mittere ad malum finem.* Si Religiosus incidat in hoc crimen; ab eo tanquam à reservato absolvi non poterit, nisi ab Episcopo, vel ab habente ab Episcopo facultatem; attenta Bulla Gregorii XV. *Inscrutabili*, per quam Religiosi in hac materia subjiciuntur Episcopis, à quibus etiam censuris puniri possunt. Lauret. de Franchis *d. part. 1. à num. 1112. & seqq.* Fagnanus *tom. 7. in cap. Quanto de Privileg.* ubi *à num. 8. usque in finem* agit de potestate, quam habent Episcopi tum de Jure communi, tum *ex d. Constit. Gregor. XV.* puniendi etiam censuris eosdem Regulares. Similiter per eandem Bullam Gregorianam ipsi Religiosi subduntur Episcopis, si delinquant in administratione Sacramentorum, vel in cura animarum. Idem Fagnanus *tom. 2. in cap. Grave num. 37. & num. 64. De Offic. Ordinar.* Item cum studiorum causa morantur extra Monasterium, *ibid. num. 55.* Lauret. de Franchis *part. 2. quæst. 6.* Vel si monetas aureas, vel argenteas tundunt, fabricant, colorant, vel adulterant juxta Bullam Urbani VIII. editam *Idibus*
12 *Novembr. 1627. Incipien. In Suprema.* Itaque si prædictos, ac consimiles casus Episcopi sibi reservent, vel sub censuris sibi reservatis eos prohibeant, & in eosdem Religiosi ruant, utique absolutionem à suis Prælatis recipere non poterunt; sed tantummodò ab Episcopis, vel ab habentibus subdelegatam ab eis auctoritatem. Idcircò cavendum est ab assertione contraria DD. quos allegat Collegium Salmanticen. *tract. 10. de Censuris cap. 2. num. 70.* interpretantium Jura, & Decreta supra relata procedere circa sæculares, non autem circa Religiosos; siquidem lex generaliter loquens generaliter est intelligenda *tex. ac DD.* apud Barbosam *Axiom. 136.* Fusarius *de Substit. quæst. 394. num. 56. & 57.* qui id ampliat, etiamsi sit major ratio in uno, quàm in alio. Et quando lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Barbosa *ibid. n. 4.* & prædicta Decreta Clementis VIII. absolutè prohibent absolutionem à reservatis per Episcopos, undè intelligenda sunt æqualiter de absolutione sæcularium, ac Religiosorum, qui in eos inciderint; si enim hos non comprehendi voluisset, eos expressisset. DD. per Barbosam citati, ubi *prox. num. 5. & 6.* subdens, quòd lex id noluisse præsumitur, cum facilè id exprimere potuisset, neque expressit.

Loquendo autem de potestate Prælatorum Regularium circa Casus per Summos Pontifices Sedi 13
Apostolicæ reservatos duæ Regulæ habentur in veritate, ac certitudine firmatæ. Una negativa, altera affirmativa. Prima est, quòd Prælati Regulares virtute Privilegiorum non possunt absolvere suos subditos à casibus contentis in Bulla Cœnæ Domini, neque ab aliis quinque Papalibus expressis in Decreto Clementis VIII. *diei 26. Novembris 1602.* de quo supra *num. 9.* Ita, rejecta, ac confutata opinione contraria, docet Tambur. *de Jure Abbatum tom. 2. disput. 14. quæs. 15. num. 3.* ubi alios DD. cumulat; quibus adhæret Diana *part. 3. tract. 2. resolut. 10. in fine*, ubi ait, quòd hæc opinio est omninò tenenda, prout tenent alii citati *ead. part. 3. tract. 2. resol. 72. num. 2.* & utraque resolutio est in opere Coordinato *tom. 7. tract. 1. resol. 251. & resol. 299.* quibus addo eundem Dianam *part. 10. tract. 13. resol. 22.* ubi agit de prohibita absolutione ab illis quinque casibus expressis in Decreto Clementis VIII. & est in Coordinato *d. tom. 7. tract. 1. resol. 268. num. 2.* Concordant Salmanticenses *tract. 6. de Sacramentis. cap. 13. num. 53.* Lezana *tom. 1. cap. 18. num. 38.* nec non *tom. 3. verb. Bulla Cœnæ. num. 52. & numer. 54.* Novarius *in Lucerna Regular. verb. Absolutio num. 3.* atque Bordonus *d. part. 1. resol. 3. num. 4.* qui confutat contrarium scribentes, refellendo eorum argumenta tanquam nimis debilia, & nullius probabilitatis. Novissimè Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Pœnitent. disp. 19. à num. 355. & seqq.* atque plures alii DD. congesti per Collegium Salmanticen. *tract. 10. de Censuris cap. 2. n. 74.*

Affirmativa Regula est, quòd Prælati Regulares possunt absolvere suos subditos ab aliis casibus 14
reservatis Papæ (exceptis supradictis in Regula negativa) & cum iisdem subditis dispensare eodem modo, quo possunt Episcopi in casibus occultis, juxta Concil. Trident. *sess. 24. de Reform. cap. 6.* non quidem vigore *d. cap. 6.* in quo non includuntur Prælati Regulares, sed tantùm Episcopi ex declaratione Sacr. Congregationis, quam ponit Lezana *tom. 1. capit. 10. num. 35.* Sed virtute Privilegii S. Pii V. concessi Superioribus Ordinis Prædicatorum, & per communicationem etiam aliorum 15
Ordinum; relati tum per Collegium Salmanticen. *d. tract. 10. de Censuris cap. 2. num. 71. & 72.* per Suarezium *tom. 4. de Religione tract. 8. libr. 2. cap. 12. num. 8. & 9.* per Lezanam *d. tom. 1. cap. 18. num. 31.* (ubi notat, quòd id concessit S. Pius V. cum duabus conditionibus, scilicet, quòd Prælati Regulares dispensent, vel absolvant subditos suos per se ipsos, & quòd casus reservati Papæ sint occulti) tum per Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 19. n. 361.* qui eandem facultatem recognoscit in Prælatis Religionum erga suos subditos, sed cum dictis duabus conditionibus. Igitur quidquid possunt Episcopi circa dispensationem, & absolutionem suorum subditorum ex Concilio Trident. *sess. 24. cap. 6.* possunt Prælati Religionum cum suis Regularibus ex prædicto Privilegio S. Pii Quinti, ut latè Collegium Salmanticen. *de Sacrament. d. tract. 6. cap. 13. num. 33. 34. & 47.* addens, posse eosdem Prælatos Regulares uti tali facultate etiam in favorem suarum personarum, quatenus egerent dispensatione, vel absolutione in aliquo eorum delicto occulto, Papæ reservato.

Quo ad Tertium, & ultimum; in quo quæritur,
16 An confessarii Regulares possint absolvere pœnitentes sæculares à casibus per Papam, vel per Ordinarium reservatis? Item an possint commutare eorum vota? Et super aliqua Irregularitate dispensare? Respondeo quo ad absolutionem à reservatis; eos non posse absolvere à reservatis Papæ contentis in Bulla Cœnæ Domini, nec à quinque casibus expressis in Decreto Clementis VIII. *die 26. Novembr.* 1602. relato supra *d. num. 9.* neque à reservatis per Ordinarios locorum, ut ostensum est supra *num. 13. & seqq.* de Prælatis eorum, quocunque eorúndem privilegio non obstante, & docent etiam Bonacina *de Pœnit. Sacram. disp. 5. quæst. 7. punct. 5. § 2. n. 14.* Nicolius *in Flosculis Verb. absolutio num. 7.* Collegium Salmanticense *d. tract. 7. cap. 13. num 51.* novissimè Pignatellus *tom. 7. consult. 8. à n. 48.* ubi plures Declarationes S. Congregationis ponit.

Non me latet, plures Theologos contrarium asserere, opinantes, prohibitionem absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ, vel à reservatis Episcopo, esse intelligendam de casibus publicis, non autem de occultis, idest in foro fori, non in foro poli. Diana prædictos allegans *part. 3. tract. 2. resol. 10. in fine*, sedente in operis Coordinati *tom. 7. tract. 1. resolut. 251.* cum aliis sequentibus usque *ad ref.* 199. Et Pignatellus alios annumerans *tom. 1. consult. 292.* Sed scio pariter eorundem opinionem explosam fuisse ab eadem Sac. Congreg. Concilii de speciali Mandato Innocentii Papæ X. *die 7. Decembris. 1646.* per
17 litteras ad Archiepiscopum Neapolitanum, quas transcribunt Donatus *tom. 1. tract. 13. quæst. 17. sub num. 26.* & Pignatellus *d. tom. 1. consult. 292.* & tandem sub Alexandro VII. *die 24. Septembris* 1665. tanquam scandalosam fuisse proscriptam; ut legitur in Propositionibus ab eo damnatis *ad n. 3.* his verbis: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt; & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est,* 1629. 18. *Junii in Consist. S. Congreg. Eminentiss. Cardin. visa, & tolerata est.* Et paulò infrà *ad n. 12. Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Sileant igitur Moralistæ contrarium docentes, & ab eorum opinione quilibet caveat; eos enim qui sequuntur in his propositionibus, excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam ipso facto incurrunt, juxta Decretum ejusdem Alexandri VII. præter aliam consimilem, qua afficiuntur præsumentes absolvere à prædictis casibus Bullæ Cœnæ, & aliis quinque, de quibus *d. n. 9.* & à reservatis Ordinario, ut legitur in ipso Decreto Clementis VIII. *diei 9. Januarii* 1601. & in subsequenti Pauli V. *diei 7. Jan.* 1617. ultra privationem ipso Jure beneficiorum, officiorum, dignitatum, &c. ut in iisdem Decretis.

18 Circa alios casus Papæ reservatos (ultra prædictos Bullæ Cœnæ, & Decreti Clementis VIII. 26. Novembris 1602.) magna est altercatio inter Theologos Morales, utrum Confessarii Religiosi possint absolvere pœnitentes sæculares? Eorum Major pars affirmat; ut videre est apud Lezanam *tom. 1. cap. 19. num. 16.* Bordonum *part. 1. resolut. 6. num. 10.* Sanchezium *part. 2. in Decal. libr. 6. cap. 15. num. 76.* & Donatum *tom. 1. part. 2. tract. 4 quæst. 33. num. 7.* & omnes innituntur propriis Privilegiis, sibi ab Apostolica Sede tam ante, quàm post Concilium Tridentinum concessis, qui recensentur à Salmanticensibus *d. tract. 6. de Sacramentis cap. 13. num. 51.* Cæterùm vera, & tuta sententia est, quòd intra Italiam Religiosi Confessarii non possunt absolvere sæculares à quovis casu Papæ reservato; extra Italiam eos absolvunt, exceptis supradictis Bullæ Cœnæ, & Clementis VIII. Ratio est manifesta, attento Decreto Urbani VIII. *diei 17. Novembris* 1628. de quo supra *d. num. 9.* ita declarante; ut in sensu veritatis differit Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 19. num. 360.* Cujus hæc sunt verba: *Dico 2. Neque possunt Regulares quicunque absolvere sæculares ab aliis casibus Papæ reservatis, extra mortis articulum. Prob. Licet olim ex Privilegio Leonis X. Pauli III. Clementis VIII. & aliorum Pontificum, ut ex Confect. in Summ. Privil. possent in quibusdam temporibus à dictis casibus absolvere; nunc tamen per præfatum Decretum Urbani VIII. ablata est talis facultas Regularibus intra Italiam. Ergo. Antecedens patet, verba enim clara sunt.* Ab aliis verò casibus, & censuris (*exceptis casibus Bullæ Cœnæ, & Ordinarii*) siquidem Regulares habent à Sede Apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse. *Ergo intra Italiam à nullo casu Papæ reservato, neque à casibus Ordinarii Confessarii Regulares, virtute Privilegiorum possunt absolvere sæculares pœnitentes: eam enim habent, quæ sibi à Papa permittitur. Cùm igitur per eum auferatur explicitè, non habent illam.* Sanè tam clara sunt verba Decreti Urbani VIII. ut præter existimationem debitam sapientiæ, ac integritati hujus Eminentissimi Theologi, nefas sit, ab ejus doctrina recedere.

Circa verò commutationem votorum, quæ à
19 pœnitentibus sæcularibus fuissent emissa, hæsitat Lezana *tom. 1. cap. 19. num. 22.* an Confessarii Regulares hisce temporibus retineant facultatem, à suis Privilegiis antiquitus illis provenientem; dubitans, ea omnia remanere inutilia, tanquam vivæ vocis Oracula; quæ hodie sunt penitùs abolita, & revocata tum à Greg. XV. per suam *Constit. 27. in Bullar. Rom.* tum ab Urbano VIII. per aliam suam *Constit. 157.* Sed absque hæsitatione, & constanter docent, eosdem Regulares Confessarios posse suorum pœnitentium sæcularium vota dispensare, ac commutare (exceptis illis quinque reservatis Summo Pontifici) scilicet Castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ; Peregrinationis in Terram Sanctam; ad Limina SS. Apostolorum Petri, & Pauli; ac ad S. Jacobum in Compostellam; Yson Pfavu Monachus S. Galli, *in Collect. Privileg. part. 2. sect. 3. §. 2.* Virginius Alviset Monachus Bisontinus *De Privileg. Regular. Sect. 3. cap. 5. §. 3.* Nicolius *in Flosculis Verb. Regulares num. 39.* Diana *part. 3. tract. 5. resol. 25.* transportata in Coordinato *tom. 8. tract. 4. resol. 78.* & Bordonus *Var. Resol. part. 1. resol. 15. per totam*; qui omnes citant alios DD. concordantes, & referunt Privilegia scripta, & subsistentia, quibus ego duo authentica connecto; unum Eugenii IV. concessum Monachis Cassinensibus Sanctæ Justinæ de Padua; ut in eorum Bullario *tom. 1. Constitut. 63. num. 10.* Aliud Sixti IV. datum Patribus Minimis Sancti Francisci de Paula, ut in Bullario Romano ejusdem Pontificis *Constit. 5. §. 7.* adeòut non sit de hac facultate dubitandum; quæ extenditur etiam ad juramenta, & ad incestuosos, ut possint petere debitum; ut latè docet Bordonus *d. resol. 15.* in qua examinat, quando etiam ipsi

Regulares

Regulares dispensare, seu commutare possint vota Summo Pontifici reservata, si sint pœnalia, vel sub conditione emissa, vel aliquo modo imperfecta; quam studiosos, confessarios non pigeat legere; præcipuè ubi casus dispensationis, vel commutationis Votorum occurrerit.

Tandem circa Irregularitatem, affirmant DD. communiter, quòd Confessarii Regulares possint super ea dispensare cum pœnitentibus sæcularibus in casibus occultis, ut videre est apud Dianam *part. 9. tract. 8. resol. 50.* nec non *part. 11. tract. 4. resol. 3.* quæ resident in Operis Coordin. *tom. 7. tract. 1. resol. 300. & 301.* ubi plures DD. allegantur, docentes, Confessarium Regularem posse absolvere Sacerdotem Sæcularem, & cum eo dispensare super Irregularitate contracta, eo quia suspensus à Divinis à suo Episcopo, non obstante suspensione, quæ tamen erat occulta, Missam celebraverat. His Doctoribus à Diana allegatis adhærent supradicti Monachi Yson Pfavu *d. part. 2. sect. 3. §. 1.* & Virginius Alviset *d. sect. 3. cap. 5. §. 3. n. 2.* ob diversa Privilegia per Summos Pontifices concessa Regularibus, in quibus hæc facultas est expressa; ac in specie *in cit. Privil. PP. Minimor.* à Sixto IV. emanato in ejus *Constit. 5. Bull. Rom. d. §. 7.* ubi iisdem potestatem dedit *Confessiones audiendi, & ab omnibus casibus, excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, ac super quacunq; Irregularitate eidem Archiepiscopo* (Consentino) *tam à Jure, quàm ab eo reservatis, & præmissis toties, quoties opus foret, & esset, absolvendi, & dispensandi; votaque quæcunque permutandi, & relaxandi, ac pœnitentiam salutarem injungendi.* Hoc Privilegium refertur etiam à P. Augustino à Virgine Maria Carmelita *in Compend. Privil. verb. Confessio Sæcularium n. 29.* Hæc tamen facultas cum duabus restrictionibus est intelligenda; Una, quòd pœnitentes incurrerint irregularitatem ex delicto occulto, & dispensentur Pœnitentes in foro conscientiæ tantùm; ne plus videantur posse Confessarii Regulares, quàm Episcopi, quorum facultas subjacet huic restrictioni ex Concil. Trident. *sess. 24. de Reform. cap. 6.* Altera est, quòd irregularitas non sit contracta ex homicidio voluntario, mutilatione membrorum, vel bigamia; quia hæ semper censentur exceptæ; ut bene advertit Donatus *d. tom. 2. tract. 5. quæst. 36. n. 4.* loquendo de sæcularibus, quia circa subditos Regulares majorem facultatem Prælatis eorum concedunt DD. etiam in prædictis Irregularitatibus.

DECISIO XLVII.

ARGUMENTUM.

Proponitur Controversia; An Parochi Regulares tempore Episcopalis Visitationis teneantur recipere Confessarios missos ab Episcopo ad prædicandum eorum populis, ac confessiones excipiendas? Et datur Declaratio Sacræ Congregationis, Anni 1668. Quòd tenentur eos recipere.

SUMMARIUM.

1 *Cardinalis Barbadici mos mittendi Missionarios ad Parochias per eum visitandas.*
2 *Episcopus Parochus Parochorum.*
3 *Inferior non potest resistere Superiori bene agenti.*
4 *Missionarii pro Visitatione ordinantur de jure canonum.*
5 *Parochi possunt assumere sibi coadjutores per aliquot dies.*
6 *Ecclesiæ Curatæ Regularium sunt Episcopo subjectæ.*
7 *Parochi Regulares sunt subditi Episcopo ex Bulla Gregor. XV.*
8 *Populus Parochiarum Regularium non est exemptus ab Episcopo.*
9 *Regularium Parochorum electio spectat ad eorum Prælatos.*
10 *S. Congregationis declaratio, quòd Parochi Regulares tempore Episcopalis Visitationis tenentur recipere Confessarios missos Episcopo.*

SEd cùm hucusque locuti simus de Confessariis Regularibus, eorum approbatione, & Privilegiis, incongruum non erit annectere hic quæstionem illam; An possit Episcopus occasione visitationis mittere Confessarios ad Ecclesias Regulares curatas, qui populorum iisdem subjectorum confessiones excipiant? Mos fuit Eminentissimi ac Reverendissimi Gregorii Cardinalis Barbadici olim Episcopi Patavini, visitaturi Diœcesim, præmittere Missionarios, Sacerdotes scilicet, tum Sæculares, tum Regulares, qui illum præcederent de Villa in Villam, & de Parochia in Parochiam; prædicando plebibus verbum Dei, earum confessiones audiendo, ac Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento illas nutriendo; ut uberiorem fructum ex visitatione sui Pastoris caperent. At Anno 1668. nonnulli Curati Regulares, præfecti animarum regimini in Ecclesiis unitis, ac de Mensa suorum Monasteriorum, detrectarunt recipere eosdem Missionarios Confessores; putantes, id non licere Emin. Prælato, & vergere in præjudicium suorum Privilegiorum; quare delata controversia ad Sacram Congregationem Episcoporum, ac Regularium pro informatione ejus, ad favorem Curiæ Episcopalis Patavinæ, in qua Auditoris munere tunc fungebar, scripsi: posse Eminentissimum Præsulem mittere antedictos Sacerdotes Missionarios, tenerique Parochos Regulares eos in suis Ecclesiis recipere, ac pro prædictis functionibus explendis admittere. 1

Primò, quia concors est doctrina Theologorum, ac Canonistarum, quòd Episcopus tanquam Parochus Parochorum in sua Diœcesi, & eorum Superior, ubi agitur de salute animarum, potest mittere Sacerdotes, qui earum confessiones audiant, non expectato Parochorum beneplacito, imò ipsis invitis. S. Thomas *Opusc. 19. contra impugnantes Relig. cap. 4. & in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. qu. 5.* Sotus *dist. 18. q. 4. art. 5.* S. Antoninus *3. p. tit. 17. cap. 9.* Glossa *in Clem. Dudum. verb. Liberè. De sepulturis.* Navarrus *in cap. Placuit dist. 6. n. 57.* Reginaldus *lib. 1. n. 46.* Suarez *de Pœnit. disp. 26. sect. 1. n. 9.* 2

Secundò, quia inferior non potest resistere voluntati Superioris in bene agendo; sed tenetur obedire, juxta illud Apostoli: *Obedite Præpositis vestris* Ad Hebr. *cap. 13. Vers. 17.* At Curati Regulares sunt inferiores, ac subjecti Episcopo in concernentibus curam animarum. Tamburin. *de Jure Abbat. tom. 3. disp. 5. q. 11. n. 45.* Loterius *lib. 1. q. 24. n. 49.* Fagnanus *in cap. Cum Capella n. 14. & seqq. de Privileg.* Ergo recusare non possunt Confessarios prædictos. 3

Tertiò, nam resistere receptioni bonorum Confessariorum præcedentium proximam Eminentissimi Pastoris visitationem, est resistere Juri Canonico 4

nico, à quo eorundem missio ordinatur. *cap. Inter cætera 19. de offic. Ordin.* ubi ita legitur dispositum: *Sancimus, ut Episcopi viros idoneos ad sanctæ prædicationis Officium salubriter exequendum assumant, potentes in opere, & sermone: qui plebes sibi commissas, cùm per se iidem nequiverint, sollicitè visitantes, eas verbo ædificent, & exemplo.* Concordat textus *in cap. 1. §. Sanè. de Censib. in 6.* Et hujusmodi Confessariorum præmissionem commendant Jordanus *tom. 2. lib. 7. tit. 1. num. 14.* & Fagnanus *in cap. Ut justa n. 14. de Offic. Ord.*

Quartò, quia si non liceret Episcopo uti in Visi-
5 tatione Diœcesis suæ his Missionariis, esset pejoris conditionis, quàm sit quilibet alius simplex Parochus; cui de jure conceditur, urgente necessitate, coadjutorem assumere per aliquot paucos dies. Loterius *lib. 2. q. 27. num. 166.* Layman *libr. 5. tract. 6. cap. 10. num. 13.* Ergo circa illos Episcopus impediri non potest.

Quintò, nam hæc resistentia Parochorum Regu-
6 larium est injuriosa Sacro Tridentino Concilio; à quo eorum Ecclesiæ subjiciuntur Episcopis quo ad visitationem circa curam animarum, ut in *sess. 7. de ref. cap. 7. & sess. 25. de Regular. cap. 11.* Appellatione autem Ecclesiarum non solùm veniunt Altaria, Confessionalia, Calices, Paramenta, & similia; de quibus Rota coram Seraphino *Decis. 1067. num. 4.* sed ipse populus, & Parochiani, quorum curam gerunt prædicti Regulares; & ideò Episcopus debet eorundem conscientias visitare, eorumque mores emendare, & corrigere; idque agit opera Confessariorum, quos mittit ante se, juxta *text. in cap. Placuit. 10. qu. 1.* Hic enim est principalis scopus Episcopalis visitationis, ut jubet idem Concil. Trid. *sess. 24. de ref. cap. 3.* & advertunt Pavinus *de Visitat. part. 1. q. 7. à num. 4. & seqq.* nec non Belletus *part. 1. de Favore Cleric. reali. §. 5. num. 113.* atque Loterius *libr. 1. q. 25. num. 29.* ubi populum appellat Ecclesiam mysticam.

Sextò, quia Parochi Regulares respectu Curæ
7 animarum, quam exercent, in nihilo differunt ab aliis Parochis sæcularibus quo ad subjectionem, & obedientiam exhibendam Episcopo, attenta Bulla Gregorii XV. *incipien. Inscrutabili.* de qua Tamburin. *de Jure Abbat. tom. 1. disp. 15. quæst. 7. num. 51.* & Loterius *libr. 1. qu. 24. num. 54.* in ea enim dicitur, quòd ipsi Regulares *In his, quæ hujusmodi curam, seu administrationem Sacramentorum concernunt, omnimodæ Jurisdictioni, Visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati plenè in omnibus subjiciantur.* Sed Parochi sæculares neque resistunt, neque resistere possunt Missioni prædictorum Confessariorum tempore Visitationis Episcopalis. Ergo neque Regulares, dum in hac parte Episcopus est eorum Superior tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, cui nefas est non obedire.

Septimò, tanto magis quia Confessarii, ac Missio-
8 narii prædicti non mittuntur propter ipsos Regulares; sed ob populum, qui non est exemptus à Jurisdictione Episcopi, etsi Ecclesia Parochialis sit Regularium. *cap. Per exemptionem. 9. §. Verum. De Privileg. in 6.* Tamburin. *d. tom. 1. disp. 15. q. 7. num. 54.* Loterius *d. libr. 1. q. 24. num 14.* Rota *Decis. 156. num. 6. part. 1. recent.* Igitur Episcopus impediri non potest, ne populo sibi subdito mittat Confessarios extraordinarios, à quibus verbo Dei eruditur, ac Sacramentis purificetur occasione Visitationis.

Neque valet argumentum, quòd Parochi Regulares ducunt ab eorum electione; atque deputatione 9
Capellanorum in suis Ecclesiis; cum utraque spectet ad eorum Prælatos, non autem ad Episcopum ex Bulla S. Pii V. de qua Tamburinus *tom. 3. disp. 9. q. 18. num. 3.* & ex Constit. Sixti V. de qua Cespedes *de Exempt. Regular. cap. 8. dub. 64. num. 2.* Siquidem prædictæ electiones, ac deputationes sunt per modum permanentis; hæ autem missiones Episcopi sunt per modum transeuntis, & occasione Visitationis tantùm, quæ in nihilo derogant, vel præjudicant juri eligendi Prælatis Regularibus competenti; prout in nihilo offendunt ipsos Curatos Regulares, aut eorum Capellanos; quia tam isti, quàm illi remanent in eorum officio; & valdè juvantur ab iisdem Missionariis, præcipuè in purificandis conscientiis Parochianorum, qui sæpè sæpiùs ob verecundiam, vel aliis de causis, non confitentur integre peccata sua ipsis Parochis, vel Capellanis ordinariis; ut piè considerat S. Thomas *d. Opusc. 19. cap. 4. col. 11.* quòd, utinam omnes Parochi legerent, & attentè considerarent.

Cæterùm cùm nonnulli ex prædictis Religiosis Curatis, ac eorum Superiores trepidarent; etsi non esset timor, sibi præjudicium inferri, oblatus fuit Sacræ Congregationi sequens supplex libellus, à qua emanavit subsequens Declaratio: *Tenor supplicationis.*

Eminentissimus, & Reverendissimus Dominus
Cardinalis Barbadicus Episcopus Patavinus pro sua 10
egregia Pastorali sollicitudine Diœcesim suam visitaturus, charismata meliora æmulando nonnullos Sacerdotes Sæculares, sivè Regulares, pietate, doctrina, & prudentia selectos præmittere, per aliquot paucos dies intendebat, ut Visitationis quasi Præcursores, Prædicatione Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ administratione viam in animis ovium Pastori mox adventuro parantes, prava in directa facerent, atque asperas in vias planas; nempè ut faciliùs posset Pastor bonus gregem suum in semitas mandatorum Domini deducere. Sed cùm Regulares nonnulli in Ecclesiis suis Parochialibus curam animarum personarum sæcularium exercentes prætendant, *Eminentissimum Episcopum non posse prædictos Sacerdotes ad præenarrata munia in Ecclesiis Regularium curatis obeunda prætermittere; sed posse per se ipsum dumtaxat illa ibi exercere.*

Idem Eminentissimus Episcopus cupiens ponere fines suos pacem, & mutua charitate multiplicare fructus Visitationis suæ, quærebat ex hac Sacra Congregatione: *An prædicti Regulares teneantur Sacerdotes ad suprascriptam causam, & ad præenarratum effectum missos, in Ecclesiis suis curatis admittere.*

Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, respondit: *Teneri admittere.*

Romæ 31. Augusti 1668.

M. Cardinalis Ginettus.

Loco † Sigilli.

C. de Vecchiis Archiepisc. Athen. Secretarius.

Vista, e licenziata 1668. adi 28. Settembre in Collegio per la sua esecutione.

Giulio Cesare Alberti Segretar.

DECI-

DECISIO XLVIII.

ARGUMENTUM.

Continet hæc Decisio Eminentissimi Cardinalis Majoris Pœnitentiarii originem, antiquitatem, & in præteritis sæculis amplissimam auctoritatem. Innuit numerum ejus Officialium, ac Ministrorum. Refert novissimam Constitutionem Innocentii Papæ XII. anni 1692. reformativam Officii S. Pœnitentiariæ; ex qua dignoscitur, quando Major Pœnitentiarius possit, aut non possit absolvere à reservatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini, & à Censuris etiam latis ab homine. Item dispensare, vel non, super Irregularitatibus, præcipuè cum Hæreticis, Apostatis, malè promotis ad Ordines & beneficia, cum Simoniacis, cum Regularibus, & cum homicidis. Item quomodo, & quando dispensare valeat circa impedimenta Matrimonii Vota Juramenta, malè ablata, vel retenta; & quam habeat Jurisdictionem cum suis Officialibus, & Ministris. Tandem docetur, qui possint esse executores litterarum S. Pœnitentiariæ; & Quot in earum executione sint observanda? Item Qualis sit Canonici Pœnitentiarii in Ecclesiis Cathedralibus obligatio, & potestas?

SUMMARIUM.

1 *Pœnitentiarii Majoris Urbis Romæ Officium.*
2 *S. Pœnitentiariæ Romanæ origo antiquissima.*
3 *Pœnitentiarius Major est etiam Cardinalis.*
4 *Leander Cardinalis Colloredus laudatus.*
5 *Pœnitentiarii minores Romæ qui, & quot? Lauretani Qui?*
6 *Pœnitentiarius Major Cardinalis quando audiat Confessiones?*
7 *Officiales duodecim Sacræ Pœnitentiariæ qui, & quales sint?*
8 *Hieronymus de Bertis Officialis S. Pœnitentiariæ commendatur.*
9 *Pœnitentiarii majoris auctoritas amplissima antiquis temporibus.*
10 *Innocentius XII. reformavit Officium Sacræ Pœnitentiariæ anno 1692.*
11 *Summarium ejus Constitutionis, ac Reformationis.*
12 *Indulgentia dierum 100. se submittentibus Virgæ Pœnitentiali Majoris pœnitentiarii.*
13 *Litterarum Sacræ pœnitentiariæ executores qui esse possint?*
14 *Magistrorum in Ordinibus Religiosis quatuor sunt genera. Et quæ?*
15 *Privilegium Jesuitarum non doctorum aperiendi Litteras S. Pœnitentiariæ an communicetur aliis Religionibus?*
16 *Executor Litterarum S. Pœnitentiariæ tria servare debet. Et quæ?*
17 *Pœnitentiarius Major potest approbare Confessarios ubique.*
18 *Pœnitentiarii Canonici in Ecclesiis Cathedralibus obligatio, ac facultas.*

CUm scriptum sit ab Ecclesiastico *cap. 32. vers. 7. Gemmula carbunculi in ornamento auri*; & præsens tractatus de Sacramento Pœnitentiæ sit aurum pretiosum, eo quia potestas absolvendi à peccatis provenit à pretioso Sanguine Christi, *Qui* (ut ait Joannes *Apoc. 1. 5.*) *dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo*; de quo ita locutus est Apostolorum Princeps *1. Petr. 1. 18. Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis; sed pretioso Sanguine quasi Agni immaculati Christi*; idcircò convenit ut ad ejusdem tractatus ornamentum summatim hic inseramus *Gemmulam carbunculi*; scilicet Decisionem de Sacra pœnitentiaria Urbis Romæ; cujus suprema facultas refulget in toto Orbe Christiano in excessibus remittendis, atque super Votis, Irregularitatibus, aliisque pœnis dispensandis. Itaque videbimus,

Primò: Quid sit Sacra Pœnitentiaria Urbis Romæ & quando habuerit originem?

Secundò: Qui, & quot sint ejus Ministri, seu Officiales?

Tertio: Quæ, & quanta fuerit olim ejusdem Sacræ Pœnitentiariæ auctoritas?

Quartò: Quæ nostris temporibus sit ejus facultas?

Quinto: Quis possit aperire, & exequi litteras Sacræ Pœnitentiariæ?

Sextò: Quæ, & quot, sint observanda ab earundem Litterarum executore?

Quo ad primum. Sacra Pœnitentiaria Urbis Romæ est Tribunal à Summo Pontifice erectum, in quo unus ex sapientioribus, ac magis piis Cardinalibus præsidet; & tanquam ejusdem Summi Pontificis Vicarius, ac Delegatus, pœnitentes ab universo Orbe Christiano ad ipsum recurrentes excipit, audit, vel præsentialiter, vel supplices libellos; eosque ab excessibus quantumvis enormibus, aut reservatis, vel per se vel per alios Confessarios, quos subdelegat, absolvit, & cum iisdem circa Vota, Irregularitates, aliasve pœnas spirituales dispensat. Cum enim Summus Pontifex Romanus sit Vicarius Christi, & habeat universalem Jurisdictionem in toto Orbe terrarum; ac ad eum pertineat cura animarum omnium Christi fidelium; hoc Tribunal & Officium Sacræ pœnitentiariæ instituit, ut ad illud pro suarum conscientiarum expurgatione quilibet Christianus possit accedere; & inde beneficium absolutionis, seu dispensationis pro foro conscientiæ gratis reportate. Ludovic. Gomes, (qui ejusdem Sacræ pœnitentiariæ Regens fuit sub Paulo Papa Tertio anno 1538.) *in Regul. Cancell. Proœm. q. 1. cap. 2.* Octavianus Vestrius *in Practica Romana Cur. libr. 1. capit. 2.* & ibi Gravatius *in Annotat. Verb. Pœnitentiarium*, ex Theologis Azorius *tom. 2. libr. 5. cap. 39.* & ex Historicis Chassanæus *in Catalogo Glor. Mund. part. 4. Consid. 17.* Quo verò ad ejus Originem, etsi non habeatur certum initium, non est ambigendum, Sacram pœnitentiariam fuisse institutam Romæ in primitiva Ecclesia, ut disserit novissimè Eminentiss. Cardin. de Luca *in Theatro Veritatis in Relatione Rom. Curia discurs. 12.* ea ratione, quia cùm temporibus Paganorum, & sub eorum persecutionibus multi fidelium, metu tormentorum, in Apostasiam à fide & alia gravia peccata caderent, quorum absolutio in resipiscentibus solius Pontificiæ erat potestatis & Pontifex autem per seipsum hoc absolutionis munus cum injunctione salutaris pœnitentiæ, ob alias graves occupationes, solus explicare non posset; Summum Pœnitentiarium tanquam suum Coadjutorem ac Vicarium pro recipiendis, ac absolvendis pœnitentibus deputavit; ut ex Cassiodoro, Socrate, ac

Sozomeno antiquissimis Scriptoribus deducunt Gravatius *in addit. ad Vestrium d. cap.* 2. & Gomez *d. q.* 1. *cap.* 2. ubi observat, Sanctum Damasum Papam scribere in Vita Sancti Marcelli, quòd iste Pontifex instituerat in Urbe Cardinales XV. propter baptismum, & pœnitentiam multorum, fuit autem S. Marcellus assumptus ad Pontificatum Anno 304. Concordat Gonzalez *Commentar. in libr.* 1. *Decretal. ad cap. Ad reprimendam.* 8. *De Offic. Ordin. num.* 3. scribens, quòd in primis Ecclesiæ sæculis ad Episcopos spectabat pœnitentias imponere fidelibus lapsis, ad Ecclesiam revertentibus, & confitentibus peccata sua, ut *ex Can.* 5. *Concilii Ancirani*, quod fuit celebratum circa Annum Domini 308. ut legitur in *tom.* 1. *Concilior. in Princ. d. Conc. Ancir.* & notat ad illud Illustrissimus Episcopus Baptaglinus in sua Historia Conciliorum *Anno* 314. *Sed* (subdit Gonzalez) *cùm, crescente fidelium peccantium numero, Episcopus non sufficeret pœnitendis, reservata Episcopis pœnitentiæ solemnis impositione, facultas imponendi pœnitentiam privatam Presbyteris data fuit, qui ex eo tempore ordinati fuerunt, & in singulis Ecclesiis creatus fuit unus Sacerdos ad illud ministerium.* Socrates *lib.* 5. *Histor. c.* 19 *& Ant.* Augustinus *in Præfat. ad Pœnitentialia.* Igitur etiam Romæ vetustis illis temporibus, & hac de causa institutum fuit Sacræ Pœnitentiariæ officium, quod summo zelo salutis animarum exercuit sub Gregorio Nono Sanctus Raymundus de Penniafort, qui relatus fuit inter Sanctos Anno 1601. à Clemente VIII. in antea pariter Summo Pœnitentiario; ut testatur idem Illustrissimus Baptaglinus *in Animalibus Sacerdotii, & Imperii d. Anno* 1601. *num.* 12.

Quo ad Secundùm. Regimini Sacræ Pœnitentiariæ præsidet semper unus ex Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, 3 ætate, moribus, scientia, prudentia pietate, ac benignitate conspicuus; qui eligitur à Summo Pontifice, & vocatur Major Pœnitentiarius; hancque dignitatem in præsenti obtinet Eminentissimus, ac Reverendissimus Leander Cardinalis Colloredus, de quo disputabile est: An major sit splendor, quem ipse à Purpura ac Dignitate prædicta recipit, vel fulgor ejus heroicarum virtutum, quibus Purpura ipsa, atque Officium 4 Sacræ Pœnitentiariæ coruscat. Eminentia sua pro audiendis auricularibus confessionibus habet Sacerdotes trium diversorum Ordinum Confessarios Religiosos; pro regimine autem sui Officii, & pro expediendis Litteris, ac Bullis pro absolutionibus, ac dispensationibus personarum absentium retinet Officiales duodecim. Religiosi Confessarii, qui minores Pœnitentiarii dicuntur alii sunt è Societate Jesu, qui residunt in Vaticano, in Ecclesia Principis Apostolorum confessiones Sacramentales audiunt. Alii sunt Ordinis Minorum 5 observantium Sancti Francisci, habitantes penes Basilicam Lateranensem, & in eadem exomologeses pœnitentium auscultantes. Alii Ordinis Prædicatorum degentes apud Basilicam Liberianam, seu Sanctæ Mariæ Majoris, in qua Sacramentum Pœnitentiæ administrant. Consimiles ex antedicta Societate Jesu hoc idem munus exercent in Alma Domo Lauretana; & prædicti omnes sedentes in Confessionariis in signum suæ potestatis virgam in manibus tenent, & nonnullis potiuntur prærogativis, suntque subjecti Summo Pœnitentiario; ut latius scribit Eminentissimus Cardinalis de Luca *in d. Relatione Rom. Curiæ disc.* 12. *à num.* 8 *& seqq.* Sed ipse quoque Eminentissimus Cardinalis Major Pœnitentiarius singulis annis personaliter audit Confessiones Sacramentales fidelium in tribus nominatis Basilicis; videlicet die Dominico Palmarum in Lateranensi; feria quarta subsequenti in illa Sanctæ Mariæ Majoris; in feria autem quinta Cœnæ Domini, & feria sexta Passionis illius in Vaticana Divi Petri Apostoli; sedetque super elevato solio, tenens in manu virgam Pœnitentialem; cui qui reverenter se tangendos submiserint, centum dies Indulgentiæ consequuntur ex concessione Pauli V. ut traditur à Marco Paulo Leone *in Praxi ad Litter. Major. Pœnit. part.* 1. *pag.* 5. qui subdit; quòd ad Cardinalem Majorem Pœnitentiarium spectat, ter quolibet Anno coram Summo Pontifice solemniter Missam celebrare, idest feria quarta Cinerum, feria sexta Majoris Hebdomadæ; & die Anniversario Defunctorum. 6

Officiales autem duodecim, quibus utitur Major Pœnitentiarius pro expeditione litterarum, absolutionum à casibus reservatis, & censuris; nec non dispensationum pro foro conscientiæ, sunt *Regens Sacræ Pœnitentiariæ*, qui solet assumi ex Auditoribus Sacræ Rotæ, *Decanus*, *Corrector*, *Consultores duo*, *unus Theologus*, *alter Canonista*, *Sigillator*, *Procuratores*, seu *Secretarii tres*, ac alii tres *Scriptores*; quorum omnium officia enarrantur à d. M. Paulo Leone *in cit. part.* 1. *à pag.* 2. *& seqq.* nec non ab Eminentiss. Cardin. de Luca *d. disc.* 12. *à num.* 16. *usque in fin.* ubi ab utroque duo præcipua de iisdem Officialibus notantur: *Unum* est, quod omnes præstant Juramentum de secreto servando circa casus, qui in sacra pœnitentiaria discutiuntur; ideoque ad sigillum tanquam Confessarii sunt obligati. *Alterum* est, quod omnes operantur omnia gratis, nullamque rem accipiunt neque sponte oblatam à confugientibus ad Prædictum Sacrum Officium; singuli enim habent honesta stipendia ex redditibus Ecclesiasticis, quibus Sacra Pœnitentiaria à Summis Pontificibus est cumulata. 7

Hinc triginta ab hinc annis cum ego Romæ immorarer, amicitiam inivi cum Reverendissimo Hieronymo de Bertis uno ex Officialibus prænominatis, viro Summæ integritatis, pietatis, ac virtutis; qui se mihi revertenti Patavium cum Eminentissimo, ac Reverendissimo S. M. Domino meo Cardinali Barbadico Episcopo, semper paratum exhibuit, gratis remittere litteras facultatis absolvendi, vel dispensandi in foro conscientiæ super casibus in hac Diœcesi occurrentibus, de quibus ad ipsum scriberem; prout non raro feci ad salutem animarum? erga quas jugiter paratum reperi, & eximio zelo, ac benignitate ornatum suspexi. 8

Quo ad Tertium. Olim amplissima erat Sacræ Pœnitentiariæ auctoritas, ut testantur inter antiquos Gomezius, Vestrius, & Gavatius *loc. supracit.* & inter modernos Eminentiss. Cardin. de Luca *d. disc.* 12. *num.* 4. Siquidem Major Pœnitentiarius commutabat, & derogabat ultimas voluntates: uniebat, supprimebat, ac transferebat Ecclesiastica beneficia; concedebat laicis jura patronatus; permittebat Religiosis habitare extra claustra; declarabat nullas eorundem professiones; assensum præstabat super bonorum Ecclesiasticorum alienatione; cum irregularibus ex homicidio etiam voluntario non solum dispensabat, ut ad Ordines Sacros possent ascendere, sed etiam beneficia obtinere; licentias Religiosis se docto- 9

doctorandi dabat; ac beneficiatis facultatem retinendi fructus malè perceptos faciebat; prout etiam super ætate promovendorum dispensabat; sed instante conclusione Tridentini Concilii, in quo Patres in eo congregati desiderabant, à Summo Pontifice universam Curiam Romanam reformari, Pius Quartus Pontifex Maximus tunc regnans, omnium Tribunalium, ac Officiorum ejusdem Curiæ reformationem adortus, etiam Officium Sacræ pœnitentiariæ *Constit. 53.* regulavit, & ferè omnes supradictas facultates, vel restrinxit, vel revocavit. Idem fecit Urbanus VIII. Constitutione sua *Regimini universalis Ecclesiæ die* 10. *Januar.* 1634. ut
10 legitur in iisdem Constitutionibus, & disserit Emin. Card. de Luca *d. disc.* 12. *num.* 4. ac notat Nicolius *Lucubrat. Canon. libr.* 5. *tit.* 39. *num.* 196.

Quo ad Quartum. Facultas Summi Pœnitentiarii, ac Officii Sacræ Pœnitentiariæ deprehenditur ex novissima Constitutione Innocentii Papæ Duodecimi incipien. *Romanus Pontifex*, data *Anno* 1692. *Tertio Nonas Septembris*, quam per extensum ponit Pignatellus *tom.* 9. *consult.* 69. & in qua ipse Summus Pontifex multa prohibuit & multa confirmavit; ac concessit eidem Majori Pœnitentiario, prout sequitur.

Primò concedit, ut in casibus hic prohibitis possit Major Pœnitentiarius consulere oretenus ipsum Pa-
11 pam; & procedere juxta ejus vivæ vocis Oraculum, de quo ipsi Majori Pœnitentiario asserenti indubia fides ab omnibus debeat adhiberi.

Secundò: Eidem concedit, ut possit absolvere omnes, quoscunque Pœnitentes laicos, Ecclesiasticos, sæculares, ac Regulares ab omnibus censuris, culpis, & excessibus tam publicis, quam occultis, quamvis reservatis nedum Ordinariis locorum, ac Superioribus Regularibus; sed etiam Sedi Apostolicæ, etiam in Bulla Cœnæ Domini; injuncta semper salutari Pœnitentia, & aliisquæ de Jure fuerint injungenda. Cum hac tamen distinctione, quod possit absolvere Regulares à culpis, & censuris in utroque foro; laicos verò, & Ecclesiasticos sæculares in foro conscientiæ tantùm. At eosdem censuris affectos ab homine tunc possit absolvere in utroque foro, quando expiraverit Jurisdictio Judicium, à quibus fuerunt censuris ligati, vel si earum absolutio sit Sedi Apostolicæ remissa, vel si legitimo impedimento detenti eosdem Judices pro absolutione nequeant adire; cum conditione tamen ut pareant judicato, & satisfaciant parti, alias reincidant in eas-
dem censuras.

Tertiò: Quod possit absolvere advenientes Romam, ut indulgentias consequantur, à quibuscunque censuris etiam latis ab homine (non tamen in Romana Curia) si timor sit, ut ad suos Judices euntes in itinere moriantur; at cum obligatione ad eosdem suos Judices eundi; & cum reincidentia, si intra congruum tempus iter ad eos non suscipiant.

Quartò: Prohibet in hac Constitutione Innocentius XII. eidem Summo Pœnitentiario absolvere à casibus publicis Bullæ Cœnæ Domini Principes, vel personas Dominium, aut Rempublicam administrantes; neque Episcopos, aut alios Prælatos Superiores, Sede Apostolica vacante, vel Pontifice ita infirmante, ut eum consulere non possit.

Quarto: Præcipit, ne absolvat, neque in occultis, neque in foro conscientiæ, Cardinales, aut alios quoscunque, nemine excepto, qui tractaverint, aut pacta fecerint de Summo Pontifice eligendo, vel excludendo, seu inciderint in pœnas, ac censuras de hac re inflictas per Bullas Gregorii XV. ac Urbani VIII. Item neque illos, qui Astrologia judiciaria inquirunt de Statu Reipublicæ Christianæ vel de vita, & morte Romani Pontificis, vel per se vel per alios. Item ne absolvat in casibus publicis violantes Ecclesiasticam immunitatem, seu libertatem.

Quinto: Concedit, ut possit absolvere hæreticos occultos, vel mandare, ut absolvantur in foro conscientiæ tantùm absque alia abjuratione; etsi fecerint aliquos actus exteriores noscibiles hæresiæ dummodo ad eos nullus adverterit. Item Apostatas à Religione, & hæreticos in eodem foro conscientiæ dumtaxat, in iis solùm casibus, in quibus necesse non est complices denunciare.

Sextò: Vetat absolvere recipientes munera à Regularibus ultra valorem Scutorum decem contra Bullam Clementis VIII. Anno 1594. editam, ante factam restitutionem. Exceptis rebus medicinabilibus, vel devotionis. Infra verò dictam Summam, nisi facta eleemosyna arbitrio Confessarii, quæ vergat in utilitatem Conventus.

Septimò: Prohibet absolvere violantes clausuram Monialium ad malum finem in casibus publicis; nisi ad preces Episcoporum; & dummodo casus non fuerint deducti ad S. Congregationem. Vetat concedere Confessarios Monialibus, nec non dare facultatem Capuccinis audiendi confessiones.

Octavò: Permittit autem eidem Majori Pœnitentiario dispensare, & mandare, ut dispensetur super quibuscumq; Irregularitatibus ex quocunque delicto, etiam ex homicidio voluntario, in casibus tamen occultis, tam cum Ecclesiasticis, quàm cum laicis, tam ut possint Ordines suscipere, quam in susceptis ministrare; & ad superiores ordines conscendere, ac dignitates retinere; vel consequi (exceptis Ecclesiis Cathedralibus, vel Metropolitanis, quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu.)

Nonò: Concedit, ut cum hæreticis, ac Apostatis à fide, quando hæresis non est propalata, possit dispensare ab omni irregularitate tam circa Ordines susceptos, & suscipiendos, quam circa beneficia. Item cum malè promotis, vel per saltum, vel sine dimissoriis, vel non servatis interstitiis, si timor sit scandalorum, & in casibus occultis, ut secretè recipiant ordinem omissum à quocunque Catholico Antistite.

Decimò: Non vult, ut dispensetur cum promotis per simoniam cum ipso Ordinatore, nisi in casu occulto, & injuncta gravi pœnitentia. In Simonia reali in beneficio scienter contracta prohibet prorsus dispensare, si per ignorantiam inculpatam sit contracta, dispenset, si casus sit occultus, & in foro conscientiæ tantum. In casibus publicis nunquam cum Simoniacis dispenset.

Undecimo: Permittit, ut possit convalidare titulos beneficiorum in concursu obtentorum cum inhabilibus aliqua censura irretitis, in foro tamen conscientiæ tantùm, & in occultis. At non dispensat quo ad validitatem tituli, & condonationem fructuum cum Episcopis electis, qui intra tempus à Jure statutum munus consecrationis non susceperint. Neque quo ad condonationem fru-

ctuum beneficialium, aut distributionem malè perceptorum in casibus non occultis, In occultis concedit ut dispensetur cum Gallis, Belgis, Germanis, Polonis, & ulterioribus, prævia compositione, & injuncta pœnitentibus erogatione eleemosynæ ad arbitrium. Cum Italis componat, & compositio solvatur Receptoriemolumentorum Datariæ, nisi paupertas pœnitentis excuset.

Duodecimo: Annuit, ut cum Regularibus dispenset super Irregularitate quorumcunque criminum, tum ad ordines suscipiendos, tum ad ministrandum in susceptis, ac etiam ad obtinendas quascunque Dignitates, & Officia in Religione, vel obtentas retinendas (Generalatu excepto) at in casibus occultis, ac pro foro conscieutiæ tantùm. In publicis verò, non nisi auditis eorum Superioribus, ac iisdem supplicantibus, & bonum testimonium de ipsis Regularibus ferentibus.

Decimò tertiò: Concedit, ut dispenset in utroque foro cum homicidis, bannitis, aliisque delinquentibus, ut possint ingredi Religionem, satisfacto prius fisco, ac parte; ita tamen, ut nisi facta professione, neque ordines suscipere, neque in antea susceptis possint ministrare. Quò autem ad Apostatas, & transitus ad alias Religiones; Papa reservat sibi deliberare.

Decimò quartò: Quo ad Matrimonia concedit Pontifex eidem Majori Pœnitentiario, ut possit dispensare in foro conscientiæ tantùm super impedimentis dumtaxat. Secus autem in dirimentibus, quamvis occultis, neque pro foro conscientiæ, seu si scandala immineant. In matrimoniis contractis non vult, ut dispenset in primo, & secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, etsi casus sint occulti; præterquam si impedimentum in secundo gradu duraverit occultum per decennium & Oratores publicè contraxerint, & credantur legitimi conjuges. In tertio, & quarto gradu in occultis possit dispensare, ac etiam in puclicis, si nullitas processerit ex causa subreptionis, vel obreptionis Litterarum Apostolicarum; præterquam si falsitas consistat in narratione copulæ præcedentis, quæ tamen antea non intercesserat. Si Litteræ pro Matrimonio expeditæ fuerint in Dataria super primo, & secundo, aut super secundo gradu tacita culpa, eo quia sine honoris detrimento detegi non poterat, possit Sacra Pœnitentiaria revalidationem concedere, si adhuc copula sit secreta; sed pro foro conscientiæ tantùm, soluta compositione Ducat. 50. Auri de Camera Datariæ, per eam eroganda postea pauperibus; nisi gratia fuisset antea expedita in forma pauperum; quia tunc Papa consentit, ut revalidatio concedatur, absque compositione. Si verò gratia fuit concessa super primo & secundo aut super secundò tantùm gradu expressa copula; sed tacita malitiosa intentione. ut facilius haberent dispensationem, permittit Papa, ut Major Pœnitentiarius cum personis miserabilibus dispenset, ac reconvalidet: At cum nobilibus, & illustribus personis non, nisi facta compositione cum Dataria, & Datariæ solvenda, ac per eam pauperibus eroganda. Si & hi paupertate laborent, ipse Pœnitentiarius, ac Datarius opportunè provideant.

Decimo quintò: Indulget Pontifex, ut idem Pœnitentiarius Major dispenset in Affinitate ex copula illicita in casu occulto tam ante, quàm post contractum Matrimonium in foro conscientiæ tantùm, Item super impedimento occulto Criminis aduiterii commissi neutro machinante. Si cum machinatione, non nisi ratione gravis periculi. Et hæ facultates locum habent, etiamsi gradus aut impedimenta sint multiplicia. Et potest declarare prolem legitimam, tam susceptam, quam suscipiendam, in foro conscientiæ tantùm; excepto si fuisset concepta in adulterio.

Decimò sextò: Quo ad Vota concedit idem Papa antedicto Majori suo Pœnitentiario, ut simplicia omnia, etiam illa quinque Papæ reservata, commutare possit in aliapietatis opera, in foro conscientiæ tantùm; & ut qui matrimonium contraxit voto castitatis adstrictus, debitum petere valeat. Item ut dispenset cum non valentibus recitare Officium, nisi cum difficultate, aliis precibus recitandis ei assignatis. Item ut relaxet juramenta nulli præjudicialia in foro conscientiæ tantum. Ac etiam ut male ablata, vel retenta condonet in parte Oratoribus, si pauperes sint; residuum pauperibus loci, vel piis operibus, pro arbitrio Pœnitentiarii, seu Confessarii elargiatur. Item dispenset cum puellis non Virginibus, quæ dotes Virginibus dandæ per fraudem obtinuerunt, in casibus occultis, & in foro conscientiæ tantùm.

Decimo septimò: Ordinat Papa, quod ipse Major Pœnitentiarius possit declarare dubia concernentia Materiam peccatorum, seu forum pœnitentiale cum consilio Doctorum, & Theologorum suorum. Quod ejusdem Majoris Pœnitentiarii commissiones non expirent, etiamsi ipse desinat esse talis, re integra, & illis nondum præsentatis. Quòd Sede Apostolica vacante expediat ea tantùm; quæ ad forum conscientiæ pertinent; in reliquis omnibus Officium S. pœnitentiariæ conquiescat.

Decimo Octavò: Dat facultatem ipsi Majori Pœnitentiario, si aliquis ex suis Procuratoribus, vel Scriptoribus infirmetur, alios substituendi; ac etiam aliqua alia justa causa urgente; qui substitnti solitum juramentum teneantur præstare.

Decimo nonò; Mandat ut minoues Pœnitentiarii trium Basilicarū Urbis non admittantur, nisi examinati, & approbati à Majore Pœnitentiario, & tota ejus congregatione. Idem de Pœnitentiariis Lauretanis; horum tamen examen committi potest Episcopo loci, seu alii beneviso; quorum quoque facultatem Major pœnitentiarius restringere potest, vel ampliare.

Vigesimò: Tandem idem Summus Pontifex concedit centum dies Indulgentiæ omnibus Christi fidelibus, qui juxta antiquum morem sese Pœnitentiali Virga tangendos submiserint Pœnitentiario, suo munere solemniter fungenti, Hebdomada Sancta, in tribus Basilicis Urbis. Et has Litteras jubet Sanctitas sua ab omnibus in perpetuum servari, & à nullo impugnari posse addendo amplissimas clausulas confirmatorias, ac respectivè derogatorias juxta Romanæ Curiæ stylum. 12

Igitur facultas, ac auctoritas Officii Sacræ Pœnitentiariæ metienda est ad normam hujus Innocentianæ Constitutionis Anno 1692. promulgatæ; non autem à dictis Moralistarum, vel aliorum Doctorum, qui ante eam scripserant; illud unum non inficiando, quod quidquid in ea dicitur posse facere Majorem Pœnitentiarinm tam in absolvendo, quam in dispensando; intelligendum est, vel per se, vel per suos Officiales, vel per alios Commissarios, quales sunt Sacerdotes Confessarii; quibus diriguntur, & præsentantur Litteræ Sacræ Pœntientiariæ; ut constat ex Lectura ejusdem Constitutionis.

Quo

Quo ad Quintum, in quo quæritur, *Quis possit*
13 *aperire, & exequi Litteras Sacræ pœnitentiariæ?* Respondetur, quod triplex potest esse directio earundem Litterarum. *Una* discreto Viro Confessario ex approbatis per Ordinarium, à Latore præsentium eligendo; & in hoc casu quilibet Confessarius sivè Sæcularis, sive Regularis, qui sit ab Episcopo ad confessiones audiendas approbatus, potest eligi, & easdem Litteras aperire, ac executioni demandare. *Secunda*, si in directione, vel suprascripta Litterarum dicatur, Doctori Sacrorum Canonum; & tunc absque controversia, qui non est doctoratus in jure Canonico, in aliqua publica Academia, non potest ipsas Litteras aperire, aut exequi. *Tertia* est, si inscribantur, & dirigantur Confessario in Theologia Magistro; & tunc circa Confessarios sæculares manifestum est, quod debent esse doctorati in Theologia in publico aliquo Gymnasio vel Universitate; nam idem est, esse Magistrum, ac Doctorem, Sanchez *libr.* 8. *de Matrim. disput.* 34. *num.* 5. Lezana *tom.* 3. *Verb. Gradus. num.* 2. &
14 *tom.* 4. *Verb. Litteræ Apostolicæ. num.* 14. At circa Confessarios Regulares non transit sine difficultate Ideò sciendum, quòd in Religionibus quatuor sunt genera Magistrorum. *Primum* est eorum, qui doctorati sunt in Academia publica, ut in hac Patavina, in qua plures sunt Doctores Theologi Collegiati ex illustrissima Congregatione Cassinensi, ex Carmelitis, Servitis, Minoribus Sancti Francisci, & alii; qui quidem omnes si sint approbati per Ordinarium ad Confessiones, possunt aperire, & exequi Litteras prædictas *Secundum* genus est eorum, qui susceperunt Lauream Doctoratus in aliquo Collegio sui Ordinis habente facultatem à Sede Apostolica ad id faciendum; prout eam habet præclarissimum Carmelitarum Salmanticense Collegium ex Indulto Urbani VIII. *diei* 26. *Augusti* 1634. de quo Lezana *tom.* 3. *Verb. Gradus num.* 6. & hi pariter possunt Litteras Sacræ pœnitentiariæ recipere, aperire, ac exequi cum sint veri in Theologia Doctores, ac Magistri. *Tertium* genus est Religiosorum, qui doctorantur à suo generali ex speciali concessione Summi Pontificis; & hi pariter habiles sunt ad earundem Litterarum executionem. *Quartum* genus est eorum, qui solum propter Litterarum exercitia ab eis præstita creantur Magistri ab eorum Superioribus localibus cum aliquibus Privilegiis, juxta varia Ordinum instituta; & hi non possunt aperire, neque exequi prædictas Litteras; quia non sunt veri Doctores, aut Magistri in Theologia; sed solùm secundùm quid in eorum Ordinibus; & eo minus alii, qui vocantur Licentiati, seu Bachalaurei, ut disserit Sanchez *de Matrim. d. libr.* 8. *disp.* 34. *num.*
15 7. & Filliucius apud eundem. Lezana *tom.* 4. *d. Verb. Litteræ Apostolicæ num.* 14. & 15. ubi advertit, Gregorium XIII. Anno 1582. concessisse Confessariis Societatis Jesu ab Episcopo approbatis, & à suis Superioribus ad id designatis; quamvis Lauream Doctoratus non susceptibus, ut prædictas Litteras Sacræ Pœnitentiariæ possint aperire, ac exequi; quod quidem Privilegium non posse extendi aut communicari ad alias Religiones pluribus rationibus probat idem Lezana *d. num.* 15. à quo dissentit Pellizzarius *in Manuali Regul. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 189. & *num.* 193. sed cum Lezana tenendum videtur.

16 Quo ad sextum & ultimum: Quærentibus, *Qua & Quot sint observanda ab earundem Litterarum Executore?* Respondetur, tria esse præcipua servanda *Unum*, ut executor attendat diligenter ad omnia, quæ in ipsis Litteris à Majori pœnitentiario præscribuntur, & juxta earum tenorem procedat; alias irritum erit, quidquid operabitur: facultas enim Delegati exerceri non potest, nisi juxta voluntatem Delegantis. Lezana *tom.* 3. *Verb. Absolutio, num.* 6. & *tom.* 4. *d. Verb. Litteræ Apostolicæ num.* 20. notans, quod si Litteræ dicant, ut absolutio, dispensatiove detur in foro conscientiæ, probabile est, eam dari posse non audita Sacramentali Confessione, ut etiam opinatur Navarrus *in Manuali cap.* 27. *n.* 41. & *lib.* 5. *Consil. de Privileg conf.* 11. *n.* 2. Secus autem, si dicant, in foro pœnitentiæ; & eo minus, si expressè habeant, in ipso actu Sacramentalis Confessionis. Thesaurus *in Praxi part.* 1. *cap.* 22. §. *Secunda differentia. Alterum* servandum ab Executore est, ut data absolutione, vel facta dispensatione juxta tenorem Litterarum, eas laniare lacerare, vel comburere debeat; alias pœnam excommunicationis sibi comminatam in iisdem Litteris ipso facto incurrit. Utrum autem, si restituat ipsas Litteras Pœnitenti, absolutio, seu dispensatio data valeat? Affirmant DD. quos citat, & sequitur idem Lezana *d. tom.* 4. *Verb. Litteræ Apostolicæ. n.* 33. quia mens Majoris Pœnitentiarii esse videtur, ut eæ non prosint pro foro externo, seu litigioso; secus pro foro interno. *Tertium* tandem, quod ab Executore servari oportet, est; ut gratis omnino expediat ipsas litteras; neque aliquid accipiat sub quocunque prætextu, neque spontè oblatum à pœnitente; & hoc ad impediendam Simoniæ labem, quæ facilè irreperet, si licitum foret munera accipere, prout declaravit Sac. Congregatio apud Garziam *de Benefic. part.* 8. *cap.* 1. *num.* 102. & apud Barbosam in *Summa Apostol. Decis. Collect.* 257. *num.* 5. & Lezanam *d. tom.* 4. *Verb. Litteræ Apostol. num.* 34.

Corollarii loco notanda est doctrina Thesauri (qui fuit Pœnitentiarius Apostolicus in Basilica Sancti Petri Romæ) in suo *Tract. de pœnis Eccles. part.* 2. *Verb. Absolutio cap.* 2. *Vers. limita* 17
2. advertentis, quòd Major Pœnitentiarius tanquam Vicarius Papæ habens jurisdictionem ordinariam in toto Orbe Christiano potest approbare Confessarios in quacunque Diœcesi; undè fit, quod aliquando committit Sacerdotibus non approbatis ab Ordinario, ut audiant Confessiones latorum litterarum S. Pœnitentiariæ, & eos absolvant juxta eorum indigentiam; quod quidem est notatu dignum.

Ultimò addendum, quod ad exemplar Majoris Pœnitentiarii Almæ Urbis instituti sunt Canonici 18
Pœnitentiarii in omnibus Ecclesiis Cathedralibus ex Decreto S. Concilii Tridentini *sess.* 24. *de Ref. cap.* 8. de cujus obligatione, & potestate agunt Barbosa *de Canon & Dignit. cap.* 26. Garzias *de Beneficiis part.* 5. *cap.* 4. *num.* 125. & Nicolius *d. libr.* 5. *Lucubrat. Canon. tit.* 38. *à num.* 12. & *seqq.* ubi tria notat; *Unum*; quòd Canonicus Pœnitentiarius non potest sequi Episcopum in Visitatione Diœcesis, quia debet singulis Dominicis, ac aliis festis diebus audire Confessiones in Cathedrali. *Alterum*, quod habet vacationes à Choro prout alii Canonici; non autem à Prædicta obligatione audiendi Confessiones singulis diebus festis. *Tertium*, quòd non potest absolvere à Casibus reservatis per Episcopum; nisi specialiter id ab Episcopo sibi concedatur. Et super his omnibus plures emanarunt Declarationes Sacræ Congregationis, ibidem à Nicolio relatæ.

DECISIO XLIX.

ARGUMENTUM.

Declaratur, Quid sit Sigillum Confessionis. A quotuplici jure proveniat? Quæ personæ teneantur illud servare? Et de quibus rebus? Quot modis Sigillum Sacramentale frangatur? Quando licear Confessario uti scientia Confessionis? Pœnæ contra hujus Sigilli violatores. Historia crudelitatis Wenceslai Imperatoris; ac exempla Confessariorum ultimo supplicio punitorum ob violandum Sigillum.

SUMMARIUM.

1 *Quid sit Sigillum Confessionis? Et à quo Jure proveniat?*
2 *Sigillum nulla de causa frangi potest. Henricus Garnetus Soc. Jesu injuste damnatus in Anglia ob Sigillum.* ibidem.
3 *B. Joannes Canonicus Pragensis Martyr ob Sigillum Confessionis.*
4 *Wenceslai Imperatoris crudelitas contra ejus coquum.*
5 *Sigilli fractio non admittit levitatem materiæ.*
6 *Personæ plurimæ tenentur servare Sigillum confessionis. Et quæ?*
7 *Chartam cum peccatis pœnitentis si quis legat, an teneatur ad Sigillum?*
8 *Sigilli obligatio quas res, vel personas complectatur.*
9 *Pœnitens an teneatur ad Sigillum dictorum sibi à Confessario?*
10 *Sigillum quot modis frangatur?*
11 *Notitia confessionis quando Confessarius possit uti?*
12 *Licentia loquendi de auditis in Confessione quomodo à pœnitente sit danda?*
13 *Prælati ex notitia confessionis punire non possunt Subditos Decretum Clementis VIII. de hac re afficit omnes Confessarios.*
14 *Confessarius sciens in confessione sibi mortem parari, quid aget vel periculum imminere proximis, aut totiregno?*
15 *Famulus fur si confiteatur Sacerdoti Hero suo, hic quid faciet?*
16 *Excommunicato, vel peccatori indisposito cognito in confessione, an danda Eucharistia?*
17 *Processus quomodo formandus super fractura Sigilli Sacramentalis?*
18 *Pœna contra Confessarios revelantes Confessiones.*
19 *Exempla Confessariorum punitorum ultimo supplicio ob revelatas Confessiones.*
20 *Confessarius quando sine licentia Pœnitentis possit cum eo loqui de Confessis?*

POstrema, sed suprema, ac omnium maxima obligatio, quam habent Sacerdotes audientes Sacramentales Confessiones, est servandi Sigillum. Sigilli nomen significat instrumentum, quo Litteræ, vel aliæ res obsignantur, ut eo durante nec legi, nèc videri possint; hinc per metaphoram translatum est ad significandam prædictam strictissimam obligationem Confessariorum nunquam revelandi, aut manifestandi audita in confessione; sed ea retinendi sub Sigillo, idest sub secreto ac silentio inviolabili. Quapropter videndum est

Primò. Quid sit Sigillum Confessionis, & quo Jure sit introductum?
Secundò. Qui teneantur ad illud servandum?
Tertiò. Quæ cadant sub obligatione Sigilli?
Quartò. Quot modis contingat frangere Sigillum?
Quintò. An dentur casus, in quibus liceat Confessario uti scientia Confessionis in rebus suis, vel aliorum?
Sextò. Qua pœna sit puniendus Confessarius frangens Confessionis Sigillum?

Quo ad primum. Sigillum Confessionis *est strictissima obligatio Confessarii servandi secretum de omnibus* 1 *auditis in Confessione; & ea non revelandi cuicunque personæ, non obstante quacunque gravissima causa, vel mali impediendi vel boni patrandi, à Jure Naturali, Divino & Ecclesiastico indispensabiliter introducta, propter plura majora bona, quæ omne aliud superant bonum.* Ita Theologi tam Scholastici, quàm morales; ac etiam Canonistæ de Sigillo Confessionis tractantes, inter quos Suarez *de Pœnitentia disp. 23. sect. 1.* Eminentissimi Cardin. Toletus *lib. 3. cap. 16.* De Lugo *disp. 23. sect. 1.* & de Lauræa *disp. 21. art. 5. & seqq.* Mastrius *in 4. sent. disp. 5. quæst. 20.* & in ejusdem Theologia Morali *disp. 21. q. 10.* Tamburinus *de exp. Confess. libr. 5. cap. 1.* Gobatus *in Experim. Theolog. tract. 7. à num. 781. & seqq.* novissimè Nicolius *in Lucubrationibus Canonic. libr. 5. tit. 38. à num. 18.* atque Emanuel Gonzalez. in *Commentar. libr. 5. Decretal. tom. 1. ad cap. Si Sacerdos. 2. De Offic. Ordin.* qui omnes, prædictam Sigilli strictissimam obligationem procedere probant primò ex jure Naturali, quo tenemur, secreta nobis commissa fideliter servare. *cap. Qui ambulat. 55. dist.* & non facere aliis, quæ nobis fieri nolumus. *cap. 1. dist. 1. cap. Cum omnes. De Constitut.* Ideòque cum nemo velit amittere propriam famam, suique rectam opinionem, quæ æqualiter ac vim æstimatur, *l. Justa, ff. de Manumiss. Vindict.* Imò & sæpiùs vitæ præfertur. *l. Si adulterium. ff. Ad leg. Jul.* sequitur, quòd Confessarius jure naturali prohibetur peccata in confessione audita detegere, ne famam pœnitentium denigret. Ad hoc jus respexit Ovid. *lib. 2. de Art. amand.* dum ceeinit;

Eximia est Virtus præstaro silentia rebus:
At contra gravis culpa tacenda loqui.

Secundò demonstrant, eam provenire à Jure Divino positivo, quia hoc ipso, quod Christus instituit, & præcepit confessionem peccatorum fieri, censetur etiam illam instituisse, ac præcepisse eo modo, quo possit ab hominibus practicari, ad quem modum maximè spectat prædictum Sigillum omnino inviolabile; nam si homines scirent, posse revelari à Confessariis peccata eis manifestata, detererentur à confessione facienda; & eis redderetur odiosa; remanerentque cum continua inquietudine, mentis ac timore; & non reportarent ex confessione illam pacem, atque serenitatem conscientiæ, quæ ex Concil. Trident. *sess. 14. cap. 3.* est præcipuus Pœnitentiæ fructus. Hinc sequitur, hoc Sigillum non posse neque à Papa ex plenitudine potestatis per dispensationem auferri *cap. Dilectus. De Excessibus Prælator.* Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 21. num. 183.* Tertiò Sigillum provenit etiam ex Jure Ecclesiastico per textus expressos *in cap. Sacerdos. De Pœnit. dist. 6.* ubi S. Gregorius ait: *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, quæ ei confiten-*

confitentur, peccata alicui recitet: nam si hoc fecerit, deponatur, &c. Et ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *in cap. Omnis utriusque sexus, De Pœnit. & Remiss.* in illis verbis: *Caveat autem omnino* (Sacerdos) *ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem, &c.* subdens postea pœnam, si quovis modo præsumpserit peccata in confessione audita revelare.

Ab hac autem Sigilli obligatione nulla quamvis gravissima causa excusat sive impediendi mali, sive operandi boni; etsi ageretur de salute totius Regni. 2 Gigas *de Crimine læsæ Majest. tit. Qui accusare Quæst.* 18. Decianus *tract. criminal. tom.* 2. *libr.* 7. *cap.* 34. Hinc injustè fuit condemnatus in Anglia P. Henricus Garnetus Soc. Jesu tanquam complex conjurationis pulveriariæ, de qua Illustrissimus Bataglinus *in Annal. Sacerd. & Imperii Anno* 1605. *num.* 22. nam ob Sigillum Confessionis Sacramentalis eam revelare non poterat, Ideo Sigillum est servandum, etiamsi esset casus de impediendo Matrimonio ob impedimentum dirimens, cognitum in Confessione. Pontius *de Matrim. lib.* 5. *c.* 35. sive ad salvandum fœtum matris emortuæ, quæ se in confessione ex illicito coitu gravidam accusasset. Possevinus *De Offic.* 3 *Curati cap.* 6, *de Baptismo quæst* 8. Gonzalez *ad d. cap. Si Sacerdos num.* 5. *De Offic. Ordin.* Sive ad effugienda tormenta per Tyrannum inferenda; ut accidit Beato Joanni Canonico Pragensi Prædicatori eximio, atque Confessario Imperatricis Joannæ, filiæ Serenissimi Alberti Ducis Bavariæ, nuptæ Wenceslao Cæsari Filio Caroli Quarti Imperatoris, qui quidem Wenceslaus crudelissimus, ac nefandissimus Princeps, inter cætera enormia ejus flagitia præsumpsit obligare eundem B. Joannem ad sibi detegenda peccata Imperatricis, Sanctissimæ Principissæ; quod Sacrilegium pius Canonicus detestans & nunquam se commissurum protestans; diris tormentis, ac morte affectus fuit à prædicto Tyranno, ut narrant in ejus vita *Ephemerides Sacræ* 4 *diei* 16. *Maii* Hieron. à Basilica Petri; qui de crudelitate ejusdem Wenceslai subdit; *ibid. num.* 8. *Non passò molto, che essendò à pranso gli fù porsato avanti un cappone non ben cotto? infurio VVenceslao contro il cuoco, à tal segno, che lo fece spogliare, e legare ad uno spiedo, & arrostire al fuoco.* Obiit Martyr ob observantiam Legis Divinæ, Naturalis, ac Ecclesiasticæ Beatus ille Canonicus, & Confessarius die antevigilio Ascensionis Domini *Anno* 1383, & de feritate prædicti Imperatoris differit etiam P. Antonius Foresti *in Mappamund. tom.* 2. *libr.* 23. *cap.* 33. *de Vitis Imperator.* nec non de Regibus Bohemis *tom.* 4. *part.* 2. *libr.* 8. *Anno* 1378. ubi hæc verba: *Ingelosito della Reina sua Consorte honestissima, chiamò il Sacerdote, che udir solea le di Lei Confessioni, per ricavarne quanto il suo folle sospetto gli suggeriva. E perche il Sacerdote ricusò di violare il Sacrosanto Sigillo, VVinceslao fece affogarlo nel fiume.* Igitur neque pro tuitione propriæ vitæ violari potest Sigillum Sacramentale. Ratio est, quia bona in eo contenta superant quodcunque aliud bonum; siquidem, ut ait Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 21. *num.* 190. *In observantia secreti confessionis habetur reverentia debita Sacramento, quod est bonum Religionis: bonum fidelitatis de non aperiendo arcano: bonum charitatis de non infamando proximum: bonum obedientiæ ad legem Divinam, & Humanam, bonum salutis fidelium petentium Sacramentum: & tandem bonum securitatis totius Ecclesiæ de accedendo ad Sacramentum Pœnitentiæ absque metu infamiæ, vel alterius damni, sive in bonis vitæ sivè in bonis fortunæ Quibus bonis non potest comparari quodcunque aliud bonum, quod posset ex revelatione confessionis obtineri.* Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa, qui subinde *d. disp.* 21. *art.* 7. addit, hoc præceptum de non frangendo Sigillum Confessionis, cùm sit negativum, obligare semper, & ad semper; itaut neque Papa possit obligare ad ejus fractionem, & ejus inviolata observantia debet custodiri etiam post mortem pœnitentis; quod advertit etiam Gonzalez *ad d. cap. Si Sacerdos. num.* 5. *de Offic. Ordinar.* & hæc quidem obligatio adeò urget, ut circa ejus 5 transgressionem non detur levitas materiæ excusans à peccato mortali; unde mortaliter peccat Confessarius revelans unum tantum peccatum veniale, ut pluribus DD. allegatis probant Salmanticenses *de Sacrament. Pœnitent. tract.* 6. *cap.* 14 *num.* 9. ubi tamen ex capite meræ inadvertentiæ, aut imperfectæ deliberationis venialiter solummodò Confessorem delinquere concedunt ex Leandro *disp.* 10. *quæst.* 5, ac Emin. Cardin. de Lugo *disp.* 23. *num.* 69.

Quo ad secundum. Ex communi Theologorum calculo tenentur ad observandum Sigillum Sacramentale omnes personæ sequentes: 1. Confessarius ipse qui audivit confessionem, nedum quando absolvit pœnitentem; sed etiam quando noluit vel non potuit eum absolvere. 2. Ille, qui Confessarius ipse iniquè, ac sacrilegè revelavit peccatum pœnitentis auditum in confessione, 3. Ille qui vel casu, vel malitiosè audivit confessionem, quam pœnitens faciebat Confessario, & intellexit unum, vel plura ejusdem pœnitentis peccata. 4. Interpres pœnitentis nescientis linguam regionis, qui Interpretatus est ejusdem pœnitentis loquelam coram Confessario. 5. Consiliarius, cui à Confessario sive inadvertenter, sivè illicitè revelatum est peccatum confessum, quod ducit in cognitionem pœnitentis. 6 Superior, qui venit in notitiam pœnitentis, dum vel ab eo, vel à Confessario manifestatur peccatum reservatum ad habendam facultatem absolvendi. 7. Qui finxit se Confessarium, & sub hac fictione audivit confessionem, sive iste sit Laicus, sive Clericus, sive Sacerdos non approbatus. 8. Laicus ille, cui in casu necessitatis facta est confessio à pœnitente cum opinione, quòd in tali casu urgeret obligatio ita confitendi; ut diffeuimus supra *Decis. XVIII.* 9. adstantes omnes, sine quorum notitia non potest fieri confessio, ut in periculo naufragii, vel pestis contingit. Quod si quis pœnitens coram pluribus etiam Laicis confiteatur peccata sua ob majorem sui confusionem, absque ulla necessitate; in hoc casu prædicti audientes tenentur ad Sigillum naturale ex justitia, seu fidelitate; non autem ad Sigillum, Sacramentale; quia prædicta accusatio non est Sacramentalis confessio, ut diximns *d.* 7 *Decis. XVIII.* Et 10. qui legit chartam, in qua scripta sunt peccata pœnitentis, eo tempore, quo ipse pœnitens vel eam legit Confessario, vel illi eam porrigit; aut dum porrectam Confessarius legit. Nam si extra prædictos casus repertam chardam cum peccatis alterius aliquis legat, tenetur quidem ad secretum naturale, non autem ad Sigillum Sacramentale, ut sustinet Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp.* 21. *num.* 231. quia charta scripta continens peccata non est confessio: Ergo non obligat ad Sigillum Sacramentale. Multò minùs,

si la-

si lacerata sit, & ab aliquo colligantur frusta, & peccata legantur; tunc enim ad solum secretum naturale censentur obligati; etsi plurimi DD. velint, etiam ad Sigillum Sacramentale adstringi, præter culpam gravem in legendo, etiamsi scripta essent venialia peccata tantùm, ut diximus supra *Decis.* 21. *num.* 20. & tenent Eminentiss. Cardin. de Lugo *disp.* 23. *sect.* 3. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 112. reposita in Coordinato opere *tom.* 1. *tract.* 8. *resol.* 42. & Gobatus *d. tract.* 7. *num.* 856. *& seqq.* Ea ratione quia prædicta charta nimis propinquè se habet ad Confessionem Sacramentalem; estque quasi jam inchoatio, vel complementum ipsius. Supradicti omnes casus decem, atque personæ, quas adstringit Sigillum Sacramentale, referuntur atque rationibus & DD. auctoritatibus confirmantur à Salmanticensibus *d. tr.* 6. *c.* 14. *pu.* 4. *à n.* 57. *& seqq.* à Suarezio *de Pœnit. disp.* 33. *s.* 4. à Nicolio *d. libr.* 5. *tit.* 38. *à n.* 21. *& seqq.* ab Eminentiss. Cardinale Lugone *d. disp.* 23. *sect.* 2. à Gobato *d. tract.* 7. *à num.* 849. & cæteris amplius ab Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 21. *art.* 6. *per totum* ad quos DD. si difficultas emergat, studiosus Lector recurrat, nec non ad nostra *Erotemata cap.* 125.

8 Quo ad Tertium, in quo quæritur, *Quæ cadant sub obligatione Sigilli?* In primis est advertendum ea cadere sub Sigillo, quæ si dicantur, vel manifestentur, designant & indicant personam confessam vel complicem: nam è contra si dicatur aliquid auditum in confessione absque designatione personæ confessæ, & absque periculo illam manifestandi, non est frangere Sigillum; ut bene distinguit Eminentissimus Cardinalis de Lauræa *d. disp.* 21. *art.* 6. *num.* 202. *& art.* 8. *num.* 244. quamvis notabiliter addat, cautè esse loquendum per Confessarios de auditis in Confessione etiam in abstracto, & generic; nam sæpè sæpiùs audientes ex combinatione eorum, quæ solent diversis vicibus dici, veniunt in cognitionem personæ confessæ. Hoc præmisso ad Quæsitum respondetur, hæc omnia sequentia venire sub Sigilli obligatione, si sint audita, seu didicita in confessione. 1. Peccata mortalia. 2. Venialia. 3. Eorundem circumstantias. 4. Complices in iisdem peccatis. 5. Peccata etiam publica, audita tamen à Confessario in confessione; nisi de iisdem habuerit scientiam ab aliis personis extra confessionem; aperiendo modum, quo illa cognovit. 6. Peccatum futurum, seu propositum, quod quis confessus est alicujus mali patrandi. 7 Peccata mortalia etiam in genere, nempè Petrus confessus est mihi plura mortalia; secus autem est de Venialibus in genere, quia sicut illicitum non est dicere, audivi confessionem Petri, ita non est fractio Sigilli dicere in genere audivi venialia Petri. 8. Etiam dicta à pœnitente tanquam peccata, etsi verè non sint peccata. 9. Omnes defectus morales, sivè civiles, sive naturales, qui reddunt pœnitentem odibilem; puta quod sit illegitimus, irregularis, ignarus, filius Patris infamis, & similes, quando sunt dediciti in confessione. 10. Qualitates indifferentes pœnitentis, si à pœnitente manifestentur Confessario cum conditione, ut eas sub Sigillo retineat; exempli gratia, quod sit Clericus, vel conjugatus, vel Doctor, vel nobilis Patricius, ac aliæ hujusmodi; nam dictæ cum hac conditione cadunt sub Sigillo; non etiamsi absque tali conditione cadunt sub Sigillo; non etiamsi absque tali conditione eas insinuet. 11. Omnia particularia pœnitentis, quæ in manifestatione possunt ei displicere, & quæ non essent ab ipso insinuata, nisi ratione confessionis. 12. Virtutes pœnitentis, gratiæ, dona naturalia, ac supernaturalia, si sub eadem conditione retinendi, sub Sigillo dicta sint per pœnitentem Confessario; secus si talis conditio non sit appositа: legimus in vitis Sanctorum ac Sanctarum, eorum, ac earum Confessarios testatos esse virtutes, visiones, pugnas, & alias gratias auditas in confessione; ut latius demonstrat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 21. *art.* 8. ubi id comprobat auctoritate S. Thomæ *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 3. *art.* 3. Scoti *ibid. quæst.* 2. Bonacinæ *de Sacrament. Pœnitent. disp.* 5. *quæst.* 6. *sect.* 5. *punct.* 2. Quibus addendi sunt Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 14. *à num.* 19. Mastrius *in Theol. Morali d. disp.* 22. *num.* 252. *&* 253. Gobatus *d. tract.* 7. *à num.* 788. & Nicolius *d. libr.* 5. *tit.* 38. *à num.* 35. *usque ad* 82. qui omnes rationem reddunt supradictorum objectorum Sigilli; seu materiarum cadentium sub Sigillo; illud unum advertentes, quod è contra ipse pœnitens non tenetur sub Sigillo Sacramentali tacere ea, quæ sibi dicta sunt à Confessario in confessione; sed tantum ad Secretum naturale; quando ex eorum revelatione aliquod damnum Confessario immineret; vel sub conditione secreti locutus fuisset, excepto casu damnatæ sollicitationis, in quo imò obligatus est pœnitens omnia Officio Sanctæ Inquisitionis revelare. Mastrius *d. disp.* 21. *num.* 255. & Gobatus *d. tract.* 7. *num.* 862.

Quo ad Quartum, requirenti *Quot modis contingat frangi Sigillum?* Respondetur, Quod frangitur Sigillum omnibus modis sequentibus. I. Formaliter, si confessarius revelet alicui peccatum pœnitentis, ejus personam manifestando; & hæc formalis fractio Sigilli est crimen enormissimum, continens tria gravissima peccata, scilicet; detractionis, infidelitatis, ac sacrilegii, ut notat Mastrius *in Theolog. Morali d. disp.* 21. *num.* 247. II. Materialiter Sigillum frangitur, quando Confessarius imprudenter loquens, vel agens, causa est, ut eum audientes veniant in notitiam peccati ab aliquo pœnitente confessati. Tamburin. *d. libr.* 5. *cap.* 2. *num.* 2. Idèo III. frangitur Sigillum, si Confessarius voce nimis alta, aut strepitosa reprehendat pœnitentem adstantibus aliis personis. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 21. *num.* 378. IV. Si Confessio secretè imponat pœnitentiam. Eminentiss. Cardin. Toletus *libr.* 3. *cap.* 16. *num.* 5. Fagnanus *in cap. Manifesta. num.* 18. *de pœnitent. & Remission.* & diximus supra *Decis. XVI. num.* 24. V. Si dicat in tali civitate, in qua ipse Confessarius noscitur audire confessiones, committuntur gravia ac frequentia carnis peccata, vel alterius generis; ac multò magis, si id Parochus asserat de sua Parochia, vel de aliquo Monasterio, qui ejusdem sit Pater spiritualis. Idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 16. *num.* 261. VI. Si Confessarius dicat se imposuisse talem, vel talem gravem pœnitentiam Petro sibi confessum fuisse, Eminentiss. Cardin. de Lugo *disp.* 23. *num.* 89. & Diana *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 31. nec non *part.* 11. *tract.* 5. *resol.* 14. Quæ in Coordinato sunt *tom.* 1. *tract.* 8. *resol.* 62. *&* 63. VII. Si narret, pœnitentem scrupulis impertinentiis, næniis, sibi caput obtundere. Layman. *libr.* 5. *tract.* 6. *cap.* 14. *num.* 6. VIII. Si Confessarius vel interrogatus ab aliquo, *An Pœnitentem* 10

Pœnitentem sibi confessum absolverit: vel ultroneus dicat, *Non absolvisse*, denotat enim vel non absolvisse, quia non dispositum eum reperit; vel quia casum reservatum habebat, Tamburin. *de Exped. Confess. d. libr. 5. cap. 3. n. 14.* IX. Si neget attestationem scriptam de Confessione facta, illam pœnitenti petenti; etiamsi ipsum ex legitima causa non potuisset absolvere. Idem Tamburin. *ibid. num. 16.* X. Si narret Confessarius, occupatum fuisse à Pœnitente in Sede confessionali ad ejus confessionem audiendam duos, vel tres dies; decem, vel duodecim horas; quando in loco secreto eum audivit; secùs si in loco publico, ut est Ecclesia, Sacristia, Conclave pervium Monasterii, ubi ab omnibus pœnitens coram Confessario genuflexus videbatur. Gobatus *d. tract. 1. à num. 924. & seqq.* XI. Si Magister decem Novitiorum unum eorum laudet, & commendet, quòd in sæculo numquam carnalia commiserit, atque innocentiam servaverit; censetur enim de aliis asserere, carnalia commisisse, & innocentiam non servasse. Gobatus *d. tractat. 7. num. 884. 891. & 939.* ubi plures alios examinat modos loquendi, quos studiosus Lector videat; hanc tamen regulam custodiat, sobrium scilicet esse debere in loquendo de pœnitentibus, vel de auditis in confessione quemcunque Confessarium; qui si à curiosis, vel à malitiosis de iisdem interrogetur, respondere debet ore rotundo, & absque rubore; nec vobis licet de his interrogare, nec mihi aliquid respondere; ut fusè probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 21. art. ult. à num. 369. usque in fin.* & pluribus DD. allegatis Diana Coordinatus *d. tom. 1. tract. 8. resol. 66.* desumpta ex *part. 5. tract. 11. resol. 43.* XII. Tandem Sigillum frangitur si Confessarius extra confessionem loquatur cum pœnitente de peccatis ab eo auditis in confessione, non obtenta ab eo licentia ita loquendi. Quamvis non desint DD. opinantes Sigillum non frangere, quia secretum non violat. Sanchez *de Matrim. lib. 3. disp. 16.* & Tambur. *d. libr. 5. cap. 5. num. 1.* At Eminentiss. Card. de Lauræa tenet, Sigillum violari à Confessario supradicto *d. disp. 21. num. 276. & 277.* nisi loqueretur ad supplendum defectum præteritæ Confessionis.

Quo ad Quintum, in quo sciri desideratur; *An dentur casus, in quibus liceat Confessario uti scientia Confessionis in rebus suis, vel aliorum.* Pro
11 resolutione tres Regulæ sunt notandæ, à quibus mensurandi sunt plures, sed diversi casus, circa quos Confessarius an possit, vel non, uti scientia in Confessione habita, dubitatur. Prima Regula, si Confessarius ex notitia habita in confessione vult procedere ac exteriores actus, qui sint molesti, afflictivi, ingrati, seu præjudiciales vitæ, famæ, vel bonis ipsius pœnitentis, non potest ad eos devenire, neque uti notitia Confessionis; & Ratio est, quia redderet eam odiosam, amaram, ac difficilem. Secunda Regula est; si Confessarius, è contra, utitur notitia prædicta pro actibus proficuis, gratis, & utilibus eidem Pœnitenti; nihil offendit Sigillum, & licitè agit; nam non reddit confessionem odiosam, neque abhorrendam, etsi pœnitens comprehendat, id procedere ex dictis in confessione. Ita DD. quos citat, & sequitur Tambur. *de Exped. Confess. d. lib. 5. c. 6. §. 2.* Salmanticenses, *d. tract. 6. cap. 14. num. 46. & n. 54.* nec non Gobatus *d. tract. 7. à num. 881. & seqq.* qui omnes multis exemplis utrasque prædictas Regulas illustrant. Tertia Regula est, posse 12
Confessarium uti scientia confessionis de licentia ipsius Pœnitentis; quæ tamen debet esse formalis, expressa, libera, spontanea; non vi, dolo, aut per preces importunas extorta, sivè per metum reverentialem; ut pluribus citatis DD. differit Diana Coordinatus *tom. 1. tract. 8. resol. 30.* deducta ex *part. 5. tract. 11. resolut. 10.* Sed ad hanc Regulam duo sunt observanda; Unum esse tutius, quòd Confessarius recipiat hanc licentiam à pœnitente in scriptis; etsi id non esse necessarium asserant Suarez, Fagundez, & alii apud eundem Dianam Coordinatum ubi proximè *resolut. 31.* quæ in veteri est *d. part. 5. tractat. 11. resolut. 41.* Alterum est, quòd ad hanc licentiam impertiendam pœnitens debet repetere, & denuò dicere Confessario extra confessionem ea, quæ dixerat in confessione, ut pluribus probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disput. 11. à num. 265. & seqq.* ex illa ratione præcipua, quòd Privilegium Sigilli confessionis non est concessum à pœnitente, sed est ex Divina institutione. At DD. multi contrarium tenent, dicentes Privilegium prædictum introductum esse favore pœnitentis, qui propterea favori suo renunciare potest, ut latiùs Diana Coordinatus *d. tom. 1. tract. 8. resolut. 30.* existente in antiquo *part. 5. tractat. 11. resol. 10.* ubi ait primam opinionem esse Scotistarum; secundam S. Thomæ, ac discipulorum; ideòque satis esse, ut pœnitens spontè dicat Confessario, licentiam tibi concedo loquendi, vel agendi, si opus tibi fuerit, de auditis à me in confessione.

Ex his Regulis sequitur facilis resolutio casuum sequentium. I. Confessarius si sit Superior, vel Prælatus, ex notitia habita in confessione à pœni- 13
tente circa ejus personam, mores, seu qualitates, non potest contra eum procedere ad actus justitiæ punitivæ, vel commutativæ, nempe eum castigare, jus ipsi acquisitum tollere; vel ei negare suffragium, aut beneficium, quod ei non negasset, si ejus indignitatem in confessione per eum sibi factam non agnovisset; ut latè demonstrant Sanchez *de Matrimon. libr. 3. disp. 13.* & Tamburinus *d. libr. 5. cap. 6. §. 2.* ubi *num. 8.* refert Decretum Clementis VIII. diei 26. Maii 1594. præcipientis Regularibus, ut *Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur.* Idcircò bene addit Gobatus *d. tract. 7. num. 882.* Decretum Clementis VIII. de Superioribus Regularibus esse omninò intelligendum de omnibus aliis aliorum hominum Confessariis; ita ut nulli Confessario liceat, quoad externas actiones exercendas, aut omittendas, ut prædicta notitia; cum aliqua seu injusta, seu secundùm se justa molestia, incommodo, damno, rubore, iracundia, indignationeve pœniteutis; & idem advertit Eminentiss. Card. de Lugo *de Pœnitent. disp. 23. sect. 5. §. 1.* per totam, prout etiam Eminent. Card. de Lauræa *d. disp. 21. art. 10. à num. 291. & seqq.* II. Si Confessarius ex notitia confessionis comprehendat, sibi mortem parari, vel ex latronibus in

via, vel ex veneno posito in hostia, aut vino adhi-
14 bendo in celebratione Missæ, potest ex aliquo prætextu indifferenti, non manifestativo pœnitentis, evitare periculum mortis, fugendo, non celebrando, aut alia præcautione utendo; at si nesciat reperire aliquem prætextum indifferentem, itaut si velit salvare sibi vitam, cogatur pœnitentem prodere, ac manifestare; hoc facere non potest, & tenetur potiùs subire mortem; quia majus bonum est servare intactum Sigillum confessionis, quàm propriam vitam; ut pluribus rationibus firmant Eminentiss. de Lugo *d. disp. 23. sect. 5.* & de Lauræa *d. disp. 21. art. 11.* III. Si per signa, vel media indifferentia, non manifestativa pœnitentis possit Confessarius impedire malum imminens alicui proximo, de quo malo notitiam habuit in Confessione, potest impedire; secùs autem si non reperiat signa, vel media indifferentia; & periculum sit manifestandi pœnitentem, quamvis ageretur de impedienda ruina totius Regni. Ita antedicti Eminentiss. de Lauræa, ac de Lugo *ubi supra.* Diana *part. 5. tract. 7. resol. 25.* Quæ jacet in Coordinato *d. tom. 1. tract. 8. resol. 25.* atque Gobatus *d. tract. 7. num. 895.* IV. Sacerdos, qui ex Confes-
15 sione novit, suum famulum furem esse, non potest ex sola scientia confessionis ipsum dimittere; ut ex Reginaldo, & aliis notant Salmanticenses *d. tr. 6. cap. 14 num. 51.* Diana *part. 5. tract. 11. res. 37.* ingressa in Coordinati Operis *tom. 1. tr. 8. resol. 21.* nec non Gobatus *d. tract. 7. num. 899.* non detrectans, ut possit diligentiùs custodire res suas. V. Si ego audiam te in confessione esse excommunicatum alibi, non possum à tuo confortio me subtrahere.
16 Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp. 21. num. 332.* Gobatus *d. tract. 7. num. 904.* VI. Si ex tua confessione mihi facta cognoscam, te non esse Confessarium approbatum, possum abstinere confiteri tibi juxta solitum peccata mea, si nullam notam tibi inuram; quòd si ex mea desistentia proveniret tibi damnum, pudor, aut periculum manifestandi tuum crimen, possum simulare tecum meam confessionem, vel sola venialia tibi dicere. Gobatus *d. num. 904.* & Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 14. num. 55.* nec non Eminentiss. Card. de Lugo *d. disp. 23. num. 105.* VII. Peccatori publico confesso, relinquenti publicè signum perseverantiæ in eo publico peccato, non potest, neque debet Confessor, qui eum audivit, ministrare alia Sacramenta neque in occulto, neque in publico. Ita Eminent. Card. de Lauræa *d. disp. 21. num. 349.* ea ratione, quia notoria est ejus perseverantia in publico peccato omnibus aliis personis; & non potest referri negatio Sacramentorum ad didicita in confessione. Ideò si publicè relinquat signum perseverantiæ in eo publico peccato, & publicè petat Communionem, Confessarius tenetur eam illi præbere, licèt sciat verè non reliquisse peccatum, ne utatur notitia confessionis in probrum illius asserti pœnitentis. Hoc autem multò magis est faciendum cum peccatore occulto petenti in publico Sacramenta, licèt ob ejus indispositionem non fuerit absolutus, si Confessor nequeat uti æquivoca negatione. Idcircò si ea potest uti, non debet illi Communionem dare; ita tamen ut caveat ab exprobatione prædictæ indispositionis. Ita pluribus argumentis firmat idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa *ibid. art. 13. per tot. & in art. ult. seqq.* ubi plures alios casus consimiles examinat; ac etiam Gobatus *d. tractat. 7. à num. 898.* Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 14. num. 45. & 46.* & Tamburinus *d. libr. 5. cap. 6. §. 2.* ubi *num. 16.* notat, si in confessione tantùm Confessarius sciat, Ecclesiam esse pollutam, potest in ea celebrare, si desit prætextus prudentialis evitandi necessitatem celebrandi absque manifestatione notitiæ habitæ in confessione.

Quo ad Ultimum; in quo quæritur, *Qua pœna sit puniendus Confessarius frangens Confessionis Sigillum?* ante responsionem notanda est celebris doctrina Patris Gobati *in Quinario tract. 5. cap. 42. sect. 7. qui à num. 181. & seqq.* doctè admodum, & 17
juridicè disserit de modo formandi processum contra Confessarium quærelatum, vel diffamatum, quòd fregerit Sigillum Confessionis, & revelaverit mortale peccatum sui pœnitentis, ad effectum, ut probato delicto, possit Confessarius puniri; & ideò ait, observandum, quòd Judex in primis, & ante omnia debet obtinere licentiam ab ipso Pœnitente inquirendi, ac testes examinandi super prædicta fractione Sigilli; quòd si Pœnitens recuset dare dictam licentiam, nefas est formare processum; ea ratione, quia omnes, qui audierunt peccatum Pœnitentis sive mediatè, sivè immediatè, sivè licitè, sivè illicitè, obligati sunt ad illud tenendum sub eodem Sigillo, ut diximus supra *num. 6. & 7.* & probant omnes DD. quos longa serie allegat idem Gobatus *d. tract. 5. cap. 42. à num. 186.* unde concludit *num. 194. Nullum illorum, qui mediatè, vel immediatè cognoverunt ex confessione aliquod peccatum delictum a Confessario alicujus sui pœnitentis, posse testari in judicio, quòd Confessarius dictum peccatum revelaverit de Pœnitente.* Imò subdit *num. 195.* multò minùs Confessarium ipsum fateri posse in judicio sine licentia pœnitentis, se revelasse aliis peccatum ejusdem pœnitentis; adeòut si non præcedat dicta licentia; & testes id deponant in judicio, ac Confessarius hoc ipsum fatentur, totus processus sit nullus; neque ex eo Confessarius possit puniri ex Menochio, Baldo, Gomezio, Delrio, & aliis, quos refert, & sequitur Dicastillus *de Pœnit. disp. 12. n. 60.* Igitur cautè procedant Curiæ Episcopales in hujusmodi querelis; scientes, licentia Pœnitentis deficiente, non esse licitum inquirere, neque processum formare ob venerationem debitam Sigillo Sacramentali.

Quòd si obtineatur dicta licentia, & probetur delictum fractionis Sigilli, & Confessarius de hoc gra- 18
vissimo crimine convincatur; pœna antiquorum Canonum erat depositionis, & perpetuæ peregrinationis ex *cap. Sacerdos. De Pœnit. dist. 6.* Sed quia cedebat in dedecus Ordinis Sacerdotalis dicta peregrinatio, fuit commutata à Concilio Lateranensi *in cap. Omnis, utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss.* in pœnam perpetuæ detrusionis in Monasterio. Diaz *in Praxi crim. c. 112.* Menochius *de Arbitr. Jud. casu 414.* Thesaurus *de Pœnis part. 2. Verb. Confessio cap. 4.* subdens, quòd hodie dicta pœna est vel carceris, vel triremium, & Reus, ob infamiam, post condemnationem, afficitur etiam pœna irregularitatis. Majolus *eod. tr. libr. 5. c. 19. n. 6.* Porrò ubi hæc fractio Sigilli causasset magna scandala, vel notabilia detrimenta pœnitenti, iniquus Confessarius esset degradandus, ac brachio sæculari tradendus, puniendusque morte corporali, ut olim factum fuisse Venetiis testatur Felicianus *de Degradatione*

cap. 14.

19 *cap.* 14. quem refert idem Gobatus *d. tract. 5. cap.* 42. *num.* 183. Horrendum quippè est aliud consimile exemplum, quod legitur apud P. Theophilum Raynaudum in *Prato Spirituali*. seu *in Centuria Historiarum*, ejus Operum *tom.* 17. *num.* 13. *fol.* 604. & transcribitur ab eodem P. Gobato *d. cap.* 42. *num.* 197. videlicet, apud Tolosates anno 1579. cùm quidam Caupo truculentus exceptum hospitio advenam clam jugulasset; ac in hypogæo sepelisset; post aliquod tempus, pœnitentia ductus, confessus fuit crimen tam immane Sacerdoti: interim parentes advenæ, eo non comparente, fecerunt à justitia proponi præmium iis, qui renunciarent, si quid de illo scirent. Proh scelus? Cauponis Confessarius, quæstum æstimans pietatem, flocci faciens Sigillum confessionis, revelat judicibus peccatum sui pœnitentis, & locum sepulti advenæ. Refosso cadavere carceratur Caupo, qui crimen, antequam ad tormenta poneretur, fassus est; addens à nullo alio potuisse sciri, quàm à Confessario prædicto. Tunc Senatus Tolosanus apprimè Catholicus Cauponem innoxium dimisit; & processum irritum habuit, donec aliundè venirent indicia. Sacerdotem vero Sigilli fractorem, ac sacrilegum, ab Episcopali Curia degradatum, ipse Senatus condemnavit in furcas, in quibus à carnifice, jugulatus est; deindè ejus cadaver igne crematum, Hanc Senatus sententiam commendat Homobonus *part.* 1. *Examin. tract.* 5. *qu.* 110. Torreblanca *libr.* 4. *Dæmonologiæ cap.* 7. *num.* 17. & 18. ac ipse Gobatus *ibid. num.* 198. & 199. quia processus erat ipso jure nullus, tanquam formatus super sacrilega denunciatione cum violatione Sigilli Sacramentalis. Verùm notant DD. apud Dianam Coordinatum *d. tom.* 1. *tr.* 8. *resol.* 58. & 59. existentibus in Veteri *part.* 5. *tract.* 11. *resol.* 6. & *resol.* 51. quòd supradictæ rigorosæ pœnæ, vel mortis, vel triremium, non infliguntur, sed mitiores, quando Confessarius revelavit non peccata, sed aliquas imperfectiones pœnitentis; vel cum eo tantùm locutus est de peccatis confessis absque licentia; excepto casu supplendi defectum præteritæ confessionis; tunc enim absque licentia pœnitentis potest cum illo de peccatis per eum confessis sermonem habere; ut communiter docent Theologi apud ipsum Dianam Coordinatum *d. tom.* 1. *tract.* 8. *resol.* 54. *resol.* 55. & *resol.* 56. ubi tamen ab hac doctrina recedit; sed eam amplectitur, ac defendit Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 21. *num.* 279. & *seqq.*

DECISIO L.

ARGUMENTUM.

Agitur de Præcepto tum Divino, tum Ecclesiastico annuæ Confessionis Ostenditur, quas personas utrumque afficiat? Quando, & Quomodo intra annum sit confitendum? Quæ causæ excusent ab annua Confessione? Circa eam Quæstiones diversæ utiles, ac jucundæ. Præcipuè, an Papa teneatur confiteri? An Deipara Sacramentum Pœnitentiæ susceperit? Et an peccata confessa, & remissa in hac vita sint ab omnibus videnda in die Judicii?

SUMMARIUM.

1 *Præceptum duplex de Sacramento Pœnitentiæ sumendo; Divinum, & Ecclesiasticum. Divinum quas personas, & quo tempore obliget? num.* 2. & *num.* 4.
3 *Deipara an Sacramentum Pœnitentiæ susceperit?*
5 *Præceptum Ecclesiasticum de annua Confessione unde sit? Et quas personas obliget? num.* 6.
7 *Venialium confessio an possit esse de Præcepto?*
8 *Papa an teneatur confiteri semel in anno?*
9 *Annus quomodo computandus pro Præcepto Confessionis?*
10 *Confessio quando reiteranda sit eodem anno pluries de Præcepto?*
11 *Confessione invalida adimpleri Præceptum est opinio damnata.*
12 *Causæ quinque excusantes à Præcepto annuæ Confessionis.*
13 *Medicorum obligatio pro Confessione infirmorum.*
14 *Peccata hic remissa an in die Judicii sint ab aliis videnda?*

RESTAT pro conclusione hujus operis, ut de Præcepto Sacramentalis Confessionis breviter disseramus. Est igitur sciendum duplex esse Præceptum de susceptione Sacramenti Pœnitentiæ. Unum *Divinum*, alterum *Ecclesiasticum*. De Præcepto Divino præter testimonium Concilii Constantiæ *sess.* 8. & Florentiæ *in Decreto Unionis*, habemus definitionem Concilii Tridentini *sess.* 14. *cap.* 5. *in princ.* ibi: *peccatorum confessionem omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere*, & post plura versus finem: *ibi: Manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam* (confessionem Sacramentalem) *à Divino mandato alienam, & inventum humanum esse; atque à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis, initium habuisse, docere non verentur.* Idcircò anathemate feriuntur *can.* 6. & *can.* 7. asserentes Sacramentum Pœnitentiæ non esse de Jure Divino. Præceptum verò Ecclesiasticum habetur expressum in *cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss.* ac de utroque differunt Emin. Card. de Lauræa *de Pœnit. disp.* 23. *à n.* 56. & *seqq.* nec non Mastrius *in Theolog. Moral. disp.* 21. *art.* 1. *num.* 151.

De Præcepto Divino Sacramentalis Confessionis duo præcipua disputant Scholastici, videlicet quas personas afficiat? Et quo tempore obliget? 2 Circa personas concordant omnes, hoc Divinum præceptum afficere homines baptizatos ad usum rationis perventos, qui in peccatum mortale lapsi sunt. Idem Em. Card. de Lauræa *d. disp.* 23. *n.* 98. Emin. Card. de Lugo *disp.* 15. *sect.* 7. Mastrius *d. disp.* 21. *num.* 152. novissimè Salmanticenses *De Sacramentis in genere tract.* 6. *cap.* 7. *punct.* 1. à quibus deducitur, ad hoc Divinum præceptum confitendi Sacramentaliter non teneri Infideles, seu paganos non baptizatos; infantes, pueroſve nondum usum rationis adeptos; adultos fatuos ratione carentes; neque fideles, qui in gratia Dei viventes non committunt mortalia; etsi in venialia labantur. Hinc multò minùs hoc præceptum afficit illos, qui ex speciali Dei gratia abstinent à mortalibus, & à venialibus, idcircò Beatissima Virgo Deipara, quæ toto vitæ suæ tempore fuit immunis à peccatis tam mor-

talibus, quam venialibus ex Trid. Conc. *sess.6. Can. 23.* non fuit obligata huic præcepto ; & quamvis susceperit Sacramentum baptismi , Sacramentum pœnitentiæ non susceperit ; cùm nunquam habuerit materiam neque necessariam, neque sufficientem hujus Sacramenti. Idem Emin. Cardin. de Lauræa *disc.23. n.100.107. & 108.* Et Suarez *in 3. p. D. Th. tom.2. disp.18. sect.3.* ubi ostendit, quæ Sacramenta fuerint susceptа à Virgine Matre Dei Sanctissima ; & quæ non? Utrùm autem Muti, qui non possunt: necnon peregrini, quorum idioma, seu loquelam non intelligit Confessarius , afficiantur hoc Divino præcepto , itaut teneantur confiteri per interpretem , nutus , vel scriptum quando idem Divinum præceptum urget, quod solet esse in articulo mortis? Tutior est opinio affirmativa, cessante periculo revelationis , seu infamiæ. Ita DD. quos cumulant Salmanticenses *d. tract. 6. cap. 7. punct. 2.* Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disc.23. art.6. §.6. & §.7.* ac etiam Mastrius *in Theolog. Morali d. disp.21. num.155. & 157.* & nos supra *Decis.XXII.*

Quo verò ad tempus , in quo obligat Divinum præceptum confitendi peccata, distinguunt Theo-
4 logi , obligationem *per se* ab obligatione *per accidens* ; obligat *per se* in articulo , & in periculo mortis; ut dictum est supra *Decis.XI. num.2.* Hinc dum quis morbo mortali laborat , & lapsus est in mortalia, tenetur ex præcepto Divino confiteri. Item qui se exponit mortis periculo , prout ingredientes bellum , longam navigationem , suscepturi periculosum remedium corporale, mulieres noviter parituræ , vel difficilem partum expertæ ; hi enim omnes tenentur ex Præcepto Divino confiteri priùs peccata. DD. apud eosdem Salmanticenses *d. cap.7. à num.5. & seqq.* Emin. Card. de Lugo *d. disp. 15. sect.7.* Emin. Card. de Lauræa *d. disp.23. à n.179. & seqq.* Mastrius *d. disp. 21. à. n. 159.* qui omnes deducunt , extra prædictos duos casus hoc Divinum præceptum non determinasse tempus præcisum *ex se* faciendi confessionem ; sed hanc determinationem temporis reliquisse arbitrio Ecclesiæ , quæ determinavit unam vicem saltem in anno *in cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remis.* ut infra dicemus. Obligat autem *per accidens* Divinum præceptum tum Sacerdotes administraturos Sacramenta , si lapsi sint in mortalia , & habeant copiam Confessarii ; tum alios Christi fideles, qui susceperuri sunt Eucharistiam , vel aliud Sacramentum ; si pariter peccato gravi maculatam habeant conscientiam , ut juribus , ac rationibus demonstrat Emin. Card. de Laræa *ead. disp.23. àn. 196. usque in finem.* & Mastrius *d. disp. 21. n.162.* ubi ait , obligationem Divini præcepti non afficere , neque statim post commissa mortalia , neque si ex dilatione confessionis periculum sit obliviscendi eorum aliquod ; vel si declinare non posse aliquam tentationem credatur sine præsidio confessionis. Emin. Card. de Lugo *d. disp.15. sect.4.* De Lauræa *d. disp.23. art.7. §. 5.* Gobatus *in Experim. Theolog. tract.6. Casu X. à num.250. usque ad 262.* & nos ostendimus supra *Decis.XI.*

Circa Præceptum Ecclesiasticum suscipiendi sal-
5 tem semel in anno Sacramentum Pœnitentiæ , constat de eo in cit. *cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remis.* in quo ita jubetur : *Omnis utriusque sexus fidelis , post quam ad annos discretionis pervenerit omnia sua solus peccata , semel saltem in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.* Esse autem præceptum , non autem merum consilium constat ex verbis ibidem paulò post sequentibus : *Aloquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur ; & moriens christiana careat sepultura.* Quod latiùs comprobat Emin. Card. de Lauræa *disp.24. art.1. §. 2.* Cæterum cùm plurima quæsita faciant Theologi circa hoc præceptum , & varia dubia examinent , ea omnia reduci possunt ad quatuor genera; scilicet ad personas , quæ huic præcepto tenentur ; ad tempus , in quo illud est adimplendum ; ad modum adimplendi ; & ad causas excusantes ab adimplemento.

Quo ad Personas. Regula est sine exceptione , quòd omnes baptizati , cùm ad usum rationis pervenerint , tenentur ex hoc præcepto suscipere Sa- 6
cramentum Pœnitentiæ , si lapsi sint in gravia peccata ; quamvis non sint apti sacram Eucharistiam manducare, vel ex defectu ætatis , vel ex aliquo corporali impedimento , puta tussi , catarrho, aut vomito : siquidem sunt duo præcepta distincta ; istud Confessionis , & illud Communionis ; ut docet Gonet *de Sacram. Pœnit. disp.8. art.2* ac pluribus DD. citatis Collegium Salmanticense *d. tract. 6. cap.7. num.25. & seqq.* ubi colligit, hoc præceptum afficere etiam hæreticos , & apostatas ; eos quoque qui habent tantummodò peccata mortalia interna ; non autem eos, qui habent venialia tantùm ; vel cum venialibus haberent unum mortale , quòd hic, & tunc ex legitima causa non essent obligati confiteri , ut tenent Suarez *tom.4. disp. 36.* Eminentiss. Cardin de Lugo *disp.15. sect. 7. num.175.* & alii apud Dianam *part. 3. tract. 4. resol.75. & 125.* Quæ resident in Coordinato *tom. 1. tract.3. resol 6. & 61.* Disputant verò hic DD. an Ecclesia possit præcipere confessionem venialium? Alii negant, alii affirmant, eosque citant 7
Salmanticenses *d. tract. 6, cap.7. n.31.* & adhærent affirmantibus , prout facit etiam Eminen. Card. de Lauræa *d. disp.24. à num.102. & seqq.* ea ratione, quia honestum , ac proficuum est animabus confiteri venialia , & sicut ad hæc confitenda potest quis seipsum obligare ex voto , ita valet adstringi ex præcepto; prout de facto adstricti sunt Monachi Benedictini per *Clem. Ne in agro. §. Sanè. De Statu Monachor.* ubi eis imposita est obligatio confitendi semel in mense ; quamvis ex perfectione vitæ, quam faciunt , credantur non habere nisi venialia. Ulteriùs controvertunt Scholastici, an Papa sit obligatus huic præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis ? Et resolutio est affirmativa ex vi di- 8
rectiva, & ne causetur scandalum fidelibus ; negativa autem ex vi præceptiva , quia Supremus Legislator non cogitur stare Legi ; idque pluribus rationibus confirmat ipsemet Eminentiss. Card. de Lauræa *ead. disp.24. art.4. n.138. & 139.* qui limitat, quando Papa vult celebrare, vel recipere, aut ministrare aliis Sacramenta ; tunc enim, si sit in mortali , tenetur sicut cæteri homines suscipere Pœnitentiæ Sacramentum. Idem docet Fagnanus in *d. cap. Omnis, de Pœnit. & Remis. à num.23. & seqq.* dicens: Papam vi compulsiva non ligari hoc præcepto de confitendo semel in anno; sed teneri jure divino confiteri , si committat mortalia.

Quo ad tempus adimplendi hoc præceptum de confitendo semel saltem in anno , disputant Mo- 9
ralistæ, quomodo computandus sit annus ; & quando intelligatur incipere , ac finire , ut sciatur terminus , intra quem huic obligationi possit satisfieri. Alii volunt , esse computandum à

Pa-

Paschate Resurrectionis Dominicæ ad aliud Paschа, Ita Suarez *disp.* 36. *sect.* 3. *num.* 8. Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 8. Bonacina alios referens *de Pœnit. disp.* 5. *qu.* 5 *sect.* 2. *punct.* 4. *n.* 19. Alii dicunt, esse computandum annum ab ultima confessione facta. Bissus *in Hierurg. Verb. Confessio Sacramentalis num.* 440. §. 6. & 7. Alii è contra volunt esse computandum naturaliter à mense Januario usque ad finem Decembris; iste enim propriè intelligitur annus. Diana Coordinatus *d. tom.* 1. *tract.* 3. *resolut.* 53. §. 4. desumpta in Veteri ex *part.* 4. *tractat.* 4. *resol.* 206. & ita tenent etiam Eminentissimi de Lugo *disp.* 15. *num.* 157. & de Lauræa *disp.* 24. *num.* 72. qui respondent opinioni contrariæ, eam procedere ex mera consuetudine, seu devotione fidelium, confitentium in Quadragesima, & quidem laudabiliter ob proximam Communionem Paschalem; sed ad implendum præceptum annuæ Confessionis, cùm ab Ecclesia non sit deputatum tempus Paschæ, prout fecit pro suscipienda Eucharistia, totus annus est computandus ab initio usque in finem; ita ut qui intra hanc latitudinem habens mortalia non fuerit confessus, mortaliter peccet ob transgressionem hujus Præcepti. Sunt etiam discordes DD. in resolvendo, an qui non est confessus hoc anno teneatur confiteri bis anno sequenti? Verior tamen est opinio, quòd semel tantùm debeat confiteri, ut demonstrat ipse Eminent. de Lauræa *d. disp.* 24. *num.* 88, & de Lugo *d. disp.* 15. *num.* 180. nec non Gobatus *d. tract.* 6. *num.* 277. alioquin sequeretur, quòd illi, qui per 20, aut 30. annos vixerunt inconfessi, venientes ad confessionem deberent eam repetere eodem anno viginti, vel triginta vicibus. Ulteriùs inferunt DD. debere confiteri in principio anni illum, qui prævidet, se deindè vel non esse habiturum Confessarium, vel impediendum fore, ne confiteatur ampliùs eo anno. Item confessum eo anno venialia, teneri reiterare confessionem eodem anno, si cadat in mortalia; non autem si confessus mortalia, iterùm mortalia committat, quia cùm jam satisfecerit præcepto, habet novum tempus in sequenti anno pro noviter commissis confitendis; idemque dicendum de mortalibus oblitis, si alia mortalia, de quibus recordabatur, sit confessus; ac etiam de illis, quæ legitima de causa tacuit ob justum timorem infamiæ, detrimenti magni, vel fractionis Sigilli. Emin. Cardin. de Lugo *d. disp.* 15. *num.* 167. & alii DD. plurimi, quos cumulant Salmanticenses *d. tract.* 6. *cap.* 7. *punct.* 4. A quibus tamen dissentit Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 24. *num.* 95. circa peccata oblita, seu omissa; quia licèt indirectè fuerint absoluta, sunt tamen subjicienda clavibus Ecclesiæ intra eundem annum, si habeatur copia Confessarii; ideò Lector in actu practico ad hunc Emin. Auctorem recurrat.

11 Quo ad modum adimplendi hoc idem Præceptum Ecclesiæ de annua Confessione; certum est, adimplendum esse per confessionem validam, ritè, ac rectè factam; siquidem inter propositiones damnatas ab Alexandro VII. *anno* 1665. collocata hæc est *num.* 28. *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*; & eam refert Gobatus *d. tract.* 6. *num.* 279. Idcircò cavendum est à Doctoribus hanc propositionem probabilem affirmantibus, quos allegat Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 119. collocata in Operis ejus Coordinati *tom.* 1. *tract.* 3. *resol.* 50. & qui recensentur à Salmanticensibus *d. tract.* 6. *cap.* 7. *num.* 46. 47. *& seqq.* ubi etiam pluribus rationibus confutantur; idemque fit ab Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp.* 24. *num.* 92. protestans *num.* 93. quòd neque per Sacramentum validum, sed informe (quando scilicet quis non dolet de omnibus peccatis, at inculpabiliter, ex doctrina S. Thomæ *in* 4. *dist.* 17. *qu.* 3. *art.* 4. *quæstiunc.* 1. relati à Salmanticensibus *d. tract.* 6. *cap.* 5. *in princ.*) adimpletur præceptum de annua Confessione, & multò minùs si confessio sit invalida vel per malitiam, vel per inadvertentiam Confessarii dimittentis pœnitentem sine absolutione; tenetur enim pœnitens, cùm id advertit, iterùm confiteri pro præcepto Ecclesiæ adimplendo, ut pluribus argumentis demonstrant Salmanticenses in *d. cap.* 7. *num.* 50. rejectis Azorio, & aliis contrarium scribentibus.

Quo ad causas excusantes ab adimplemento hujus Præcepti annuæ confessionis, quinque referuntur à Theologis, atque Canonistis. *Prima*, si fidelis nondum pervenit ad annum discretionis, qui solet esse in septennio; quare Parochi solliciti esse debent in instruendis, ac promovendis pueris ad Sacramentalem confessionem. *Secunda*, si desit Confessarius, neque ad eum pœnitens accedere possit, nisi per iter nimis longum, ac difficile. *Tertia*, si timeat aliquod grave detrimentum vitæ, bonorum, vel famæ, si confiteatur Sacerdoti, de cujus prudentia, seu secreto legitimè dubitat; & alius non reperiatur. *Quarta*, si aut ratione angustiæ loci, aut surditatis Confessarii opus sit alta voce confiteri, & ab adstantibus audiri. *Quinta*, si ob injuriam acceptam non possit fidelis ita cito se disponere ad confessionem; tunc enim quamvis non liceat Episcopo, minùsque Parocho prorogare tempus annuæ Confessionis, nefas non est dissimulare, & aliquantulùm differre. Ita Suarez *disp.* 36. *sect.* 6. Bonacina *disp.* 5. *qu.* 4. *sect.* 2. *punct. ult.* Salmanticenses, qui alios cumulant *d. tract.* 6. *cap.* 7. *punct.* 6. Bissus *d. Verb. Confessio Sacramentalis n.* 440. §. 17. & Pax Jordanus *tom.* 1. *libr.* 3. *tit.* 4. *num.* 149. qui deinde *num.* 150. attendendam esse, ait, tum Episcopis in præcipiendo, tum Medicis in exequendo *Const.* 3. S. Pii V. Incipien. *Super Gregem Domini &c.* de anno 1566. mandantem, ut Medici desinant 13
visitare infirmum, si post tres dies monitus de gravitate morbi Sacramentalem confessionem suorum peccatorum non fecerit, de qua Medicorum obligatione latè tractat Zacchias *in Q Q. Medicolegal. tom.* 1. *libr.* 6. *tit.* 1. *q.* 4.

Tandem his Decisionibus det finem gravis illa Quæstio, Utrùm peccata electorum hic per Pœ- 14
nitentiam deleta, sint ab aliis videnda in die Judicii? Negat Magister Sententiarum *in* 4. *dist.* 43. *Vers. Hic quæritur in fin.* & alii apud Suarezium *disp.* 57. *sect.* 7. Affirmat S. Thomas *in* 4. *ead. dist.* 43. *art. ult.* & alii apud Mastrium *in Theol. Mor. disp.* 28. *n.* 51. & 52. ubi pro utraque opinione examinat argumenta. Notabile est, quòd dicit Ant. Glielmus *in Reflex. SS. Trinit. disc.* 19. *in princ.* scilicet: Si videbuntur ab aliis, non erit confusio ob factam in hac vita Pœnitentiam, juxta illud D. Ambrosii *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 7. *Non habet, quod erubescat, cui est remissum peccatum.*

FINIS.

INDEX

INDEX

VERBORUM, AC RERUM

Magis Notabilium in hoc tractatu

DE VIRTUTE, AC SACRAMENTO POENITENTIÆ.

A.

ABbates, aliive Superiores Regularium an possint audire confessiones sæcularium, sine licentia Episcopi? Decis. 37. num. 26. in fine. & Dec. 38. num. 26. An possint sibi reservare casus? Decis. 44. num. 6.

Abbatissæ quam auctoritatem habeant in Moniales? Decis. 19. num. 29.

Ablatio rei alienæ vel est sacrilegium, vel rapina, vel furtum. Decis. 27. n. 23.

Abraham, Loth, & Elisæus an commiserint peccatum scandali? Dec. 26. n. 14.

Absentes quare non possint absolvi Sacramentaliter? Dec. 16. n. 21.

Absolutio à censuris in Sacramento Pœnitentiæ an omittenda ante absolutionem à peccatis? Dec. 31. n. 11.

Absolutio à peccatis an sub conditione dari possit? Dec. 35. n. 12. An absenti possint impertiri? ibid. num. 13. & 17. An præsenti confitenti per litteras? num. 16. Quid si absolutio sit omissa per oblivionem? num. 17. An sufficiat moralis præsentia ad dandam absolutionem? num. 18. an absolutio à Censuris possit dari absenti? Decis. 39. num. 19.

Actus Christianarum Virtutum delent Venialia. Decis. 33. n. 14.

Adam an fuerit Hermaphroditus? Decis. 43. num. 4.

Adulterii circumstantiæ, & peccatorum carnis inter conjugatos quænam sint? Dec. 27. n. 17.

Ætas in peccatore aggravat peccatum. Decis. 26. num. 5.

Afflictiones voluntariæ, præter Sacramentalem Pœnitentiam, an de Præcepto assumendæ? Decis. 3. num. 1. & seqq. An illatæ nobis à Deo, aut ab hominibus, sint satisfactoriæ pro nostris culpis? Decis. 7. num. 1. & seqq.

Alexander Sperellus Episcopus Eugubinus laudatus. Decis. 10. n. 20.

Alterutrum significat adinvicem. Dec. 18. n. 1.

Ambrosiana Ecclesia cur incipiat Quadragesimam die Dominico? Decis. 4. n. 9.

S. Ambrosius in auscultandis confessionibus assiduus. Decis. 17. n. 9.

Amor erga Deum duplex, & qualis sit necessarius in contritione? Dec. 2. n. 3.

Androgyni, seu Hermaphroditi an dentur? Et qui tales sint? Eorum diversæ species. Dec. 43. per totam.

Angeli an possint absolvere à peccatis? Decis. 37. num. 29.

Angelicam Salutationem recitantibus ad pulsum campanæ quanta Indulgentia sit concessa? Dec. 9. num. 11.

Animæ damnatæ ob dimidiatam confessionem. Decis. 23. num. 5.

Animæ Religiosorum, ac Sanctimonialium cur tantæ in Purgatorio, si eis est concessa Indulgentia plenaria in articulo mortis? Dec. 33. num. 25. & 26.

Anni Bisextilis cognoscendi regula. Decis. 24. num. 6.

Annus quomodo computandus pro præcepto Confessionis adimplendo? Decis. 50. num. 9.

Antiquitas Orationum Ritualis Romani in commendatione animæ. Decis. 18. num. 22.

Apostoli audiebant confessiones Sacramentales. Decis. 17. n. 1. non erant exempti, sed subditi Jurisdictioni D. Petri. Decis. 19. n. 25. Appellare an possint tum Sæculares, tum Regulares à denegata licentia audiendi confessiones? Decis. 38. num. 16.

Approbatio pro confessionibus audiendis in quibus consistat, & à quo danda? Decis. 15. n. 28. est necessaria pro validitate absolutionis. Decis. 37. num. 1. & seqq. Fit duobus modis. d. Dec. 37. num. 9. Potest committi per Episcopum cuicunque Viro docto. ib. num. 15. Datur vel indefinitè, vel ad tempus limitatum. n. 16. Ordinarius, seu Episcopus Diœcesanus approbat quoscunque Confessarios. d. Decis. 37. à num. 19. & seqq.

Approbatio pro confessionibus quando expiret? Decis. 37. num. 30. Dubius an expiraverit, utrum possit absolvere? ibid. n. 31.

Arbitrium boni viri circa clausulam *Circiter*. Decis. 24 n. 17.

Arithmeticæ origo, laus, necessitas, utilitas. Decis. 24. n. 1. & seqq.

Articulus, seu periculum mortis non egit approbatione Confessarii. Dec. 37. n. 27.

S. Athanasius pluries absolutus ab iisdem calumniis hæreticorum. Dec. 35. n. 10.

Attritionis significationes variæ. Dec. 14. n. 1. Ejus species ibid. num. 2. An sufficiat Attritio pro remissione peccatorum? ibid. num. 7. & seqq. Quomodo transeat in contritionem? num. 9. An extra Sacramentum deleat Venialia? Dec. 15. n. 7. & Decis. 33. n. 13. An absque Sacramento ex Dei auxilio fieri possit contritio? Decis. 18. num. 29.

Attritio formalis de Venialibus an necessaria in Confessione? Dec. 33. n. 6.

Auctoris opinio circa Jurisdictionem Confessariorum Regularium, Decis. 38. n. 15.

Auditus Organum in quibus consistat. Decis. 22. num. 5.

S. Augustinus declaratus *in cap. 1. de Pœnit. dist. 6. & in cap. Sanatum de Consecr. dist. 4.* Dec. 18. n. 17, & 20.

Aureus Numerus quid sit? Et quomodo reperiatur? Dec. 24. n. 10.

B.

BAjamontis Theopuli excidium. Decis. 13. n. 12.

Baro-

Baronii Cardinalis libertas in monendo Pontifice Clemente VIII. Decis. 36. n. 9.
Beguinæ quænam fuerint? Et cur damnatæ? Decis. 40. num. 3.
Beneficia, ac Præbendæ quando institutæ? Decis. 10. num. 13.
Beneficiarii solam suam sustentationem habere possunt de fructibus beneficii. Decis. 10. n. 9. non sunt domini, sed dispensatores eorundem fructuum. ib. n. 14. & 17. Non dantes eleemosynam de superfluis, an ipsi, & eorum hæredes obligati sint ad restitutionem? ib. n. 15. 16. & seqq.
S. Bernardus testis est de usu Sacramentalis Confessionis sæculo XII. Dec. 12. n. 21.
Blasphemiæ circumstantiæ quæ sint explicandæ in confessione? Dec. 27. n. 3. An prolatæ in loco Sacro sint etiam Sacrilegia? Dec. 28. n. 2.
Bonacina notatus circa examen conscientiæ. Dec. 21. num. 8.

C.

Cæcilianus Episcopus Carthaginensis pluries absolutus ab iisdem calumniis hæreticorum. Decis. 35. n. 10.
Canones dicentes confiteri posse laico, quomodo intelligendi? Dec. 18. n. 2. Pœnitentiales antiqui. ibid. num. 31.
Capellanorum duorum injusta appellatio à denegata licentia audiendi confessiones. Decis. 37. n. 17.
Capitula, ac Monasteria non approbant Confessarios in beneficiis curatis de eorum mensa. Decis. 37. n. 23.
Cap. *Fures* 13. q. 2. declaratum. Decis. 18. num. 24.
Cardinales quas Indulgentias concedere possint? Dec. 20. n. 14.
Cardinalis Barbadici mos mittendi Missionarios ad Parochias visitandas. Dec. 47. n. 1.
Cardinalis Colloredus laudatus. Dec. 41. n. 17. & Dec. 48. n. 4.
Carnes comedere in die jejunii est duplex numero peccatum. Dec. 25. n. 12.
Carnifice deficiente unus ex pluribus reis assumendus ad illud officium. Decis. 3. n. 5.
Caroli Casalichii lepida relatio de muliere historicè confitente. Dec. 15. n. 20.
S. Carolus Borromæus non audiebat confessiones, & cur? Dec. 39. n. 3. Induebat asperum cilicium. Dec. 5. n. 8. Indixit publicam Pœnitentiam Regiis Ministris. Decis. 16. n. 26.
Casinenses quare incipiant Quadragesimam feria secunda ante Cineres? Dec. 4. n. 10. Quot, & quibus diebus se flagellent disciplina? Decis. 6. num. 11.
Casus reservati Apostolicæ Sedi quinam sint? Dec. 41. n. 12. Quinam Episcopis? ibid. num. 13. Quis possit absolvere ab iisdem? ibid. num. 18. Prohibitio absolvendi à reservatis per Papam, vel per Episcopum. Dec. 46. n. 4. & 9.
Casus reservati pro Regularibus qui, & quot esse possint? Et quis absolvat ab eis? Decis. 41. per totam.
Catechumeni an teneantur Sacramentaliter confiteri eorum peccata? Dec. 15. n. 16.
Causæ quinque excusantes à præcepto annuæ confessionis. Dec. 50. n. 12.
Censurarum absolutio etiam absenti datur? Decis. 35. n. 19.
Cephalus J. C. Ferrariensis ubi sepultus? Dec. 39. num. 15.
Chartæ per exhibitionem an fieri possit confessio de peccatis in ea scriptis? Decis. 21. n. 21.
Chinenses an possint simulare adorationem Idoli tenentes Crucem occultam? Decis. 26. num. 15.
Chivali? diabolica salutatio Patavinorum de nocte Decis. 32. num. 8.
Christus in flagellatione an ligatus facie versus columnam, vel tergo? Dec. 6. n. 8. An prohibuerit confiteri publicè peccata? Decis. 16. n. 11.
Cilicium undè dictum? Quotuplex? Ejus usus pro pœnitentibus antiquissimus. Dec. 5. à num. 1. & seqq. ubi exempla omnium graduum personarum, cilicio utentium.
Circumstantia quid, & quotuplex sit? Decis. 25. à num. 1. & seqq. Alia mutans speciem; alia aggravans. n. 3. & seqq. An utraque sit explicanda in confessione? Opiniones hinc indè. d. Dec. 25. n. 13. Distinctio Auctoris ibid. à num. 17. usque in finem. Item Dec. 15. n. 33.
Circumstantiæ septem in quolibet peccato. Et quæ sint? Decis. 26. à num. 1. & seqq. Explicatur Circumstantia QUIS, nempè qualitas peccantis, ibid. à num. 2. usque in finem.
Circumstantia QUID plenè declarata. Dec. 27. per totam, ubi exempla circa omnia præcepta Decalogi, præcipuè in materia luxuriæ, & Restitutionis.
Circumstantiæ UBI. Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando, explicantur dilucidè. Decis. 28. per totam.
Claves Ecclesiæ quæ, & quales sint? Decis. 15. n. 34. & Decis. 19. n. 1. Earum etymologia. Auctor. Divisio. ibid. d. Dec. 19. à n. 2. & seqq. Aliæ aureæ; aliæ argenteæ; aliæ ferreæ. ibid. n. 5. 6. 7.
Claves metaphoricæ, naturales, industriales, & spirituales, quæ, & quot sint? d. Decis. 19. à num. 9. & seqq.
Claves Ecclesiæ aliæ pro foro externo; aliæ pro foro interno. d. Dec. 19. num. 15. 16. 17. Quibus datæ sint à Christo? d. Decis. 19. n. 19.
Clavis scientiæ, & Clavis Jurisdictionis cum qua differentia data sit per Christum D. Petro, Romanisque Pontificibus; simulque Apostolis, & Episcopis eorum Successoribus? d. Decis. 19. n. 23. & 24. Jurisdictionis à quo recipiatur per Episcopos, aliosque Prælatos, ac Sacerdotes, tam pro externo foro, quàm pro interno? ibid. à n. 26. usque in fin.
Clavium fori interni effectus triplex. Et qualis? d. Dec. 19. n. 34.
Clausula *per modum suffragii* quid significet? Decis. 20. n. 13.
S. Clemens Papa commendat Sacramentalem confessionem. Dec. 17. n. 2.
Clementis Papæ VIII. decretum prohibens absolvere à reservatis. Dec. 23. n. 18. Ejusdem Decreti interpretatio. ibid. Aliud Decretum ipsius Clementis VIII. pro reservandis peccatis Religiosorum. Dec. 46. n. 2.
Clementis Papæ X. Constitutio circa Confessarios Regulares. Dec. 38. n. 32.
Coeundi modus ex Medicorum doctrina. Dec. 27. n. 13.

Complex peccati an manifestandus in Sacramentali confessione? Decis. 23. num. 14.
Concilia quando habeant infallibilitatem? Decis. 19. num. 20.
Conditiones Confessionis Sacramentalis sexdecim apud antiquos; apud modernos quatuor, Diligens, Integra, Fidelis, & Obediens. Decis. 15. n. 32.
Confessarii non approbati absolutio invalida. Dec. 31. n. 24. Item dormientis, vel non audientis, vel penitùs ignorantis. ibid. n. 15. & 16.
Confessarius non approbatus an possit absolvere in articulo mortis; præsente alio approbato? Dec. 37. n. 28.
Confessarii non approbati absolventis pœna. Decis. 38. n. 30. & Decis. 40. n. 12.
Confessarii Religiosorum à quibus approbentur? Decis. 39. n. 1. & 8.
Confessarii Regulares quando absolvant à reservatis? Decis. 41. num. 18. Eorum numerus, & qualitas pro unoquoque Monasterio. Decis. 46. num. 7. & 16.
Confessarii Monialium à quibus approbentur? Decis. 41. & Dec. 42. Eorum qualitates, & cautelæ in audiendis Monialibus infirmis, d. Dec. 41. Item Dec. 38. n. 31. Alii ordinarii, alii extraordinarii; & quomodo se gerant circa casus reservatos earum. d. Dec. 41. per totam. Eorum obligatio strictissima circa Sigillum; & ne Monialis pœnitens manifestetur. d. Decis. 41. & Decis. 49. n. 14. & seqq.
Confessio. Plures hujus vocis significationes. Dec. 15. n. 1. Alia Forensis, alia Sacramentalis. ib. n. 9. & 10. Hæc à Christo instituta. n. 15. Debet esse vocalis. num. 21. Utrum per schedulam scriptam, vel per Interpretem? ib. n. 23. & seqq. Auricularis secreta, non autem publica, nisi spontè, & ex humilitate. Dec. 16. n. 2. 3. & seqq. & n. 14. ac 25. ubi exempla. Per Epistolam est damnata. d. Dec. 16. n. 7. Ad aures Presbyterorum incœpit ab initio Ecclesiæ, & per omnia sæcula fuit in usu. Dec. 17. per totam. Quando sit invalida, ac repetenda? Dec. 31. per totam. In eodem anno quando sit pluries facienda ex præcepto? Dec. 50. n. 10. & seqq.
Confessionis Sacramentalis definitio, & ejus copiosa declaratio. Decis. 15. à num. 10. usque in finem.
Confiteor in Officio, & in Missa quid prosit? Dec. 15. à num. 3. & seqq. Ejus recitatio antiquissima. ibid.
Congregationi casuum conscientiæ an Regulares Confessarii teneantur accedere? Decis. 38. num. 28.
S. Congregationis responsa anni 1658. circa Confessarios Regulares Patavinos. Dec. 38. n. 20. Circa casus reservandos. Dec. 44. n. 13. Circa recipiendos Missionarios pro Visitatione Episcopali. Dec. 47. num. 10.
Conjugatorum obligationes quoad copulam. Dec. 27. num. 20.
Contemptus legis, vel Superioris quando sit culpa mortalis? Dec. 25. n. 20.
Contritio quid sit? Dec. 2. n. 2. & Dec. 13. n. 5. & 7. Ejus requisita, ut sit vera. Dec. 13. à n. 6. & seqq. Quinam sint ejus effectus? Dec. 30. n. 5.
Contritio sola quando sufficiat ad sumendam Eucharistiam? Decis. 18. n. 25.
Copula cum infideli est expressè manifestanda in confessione. Et cur? Decis. 27. num. 12. Commissa in Ecclesia quando sit Sacrilegium? Decis. 28. n. 4. Martialis in quibus casibus sit peccaminosa? Dec. 27. à num. 20. & seqq.
B. Corradi Eremitæ exemplum restitutionis damnorum. Dec. 27. n. 26.
Crucis Signum an faciendum à Confessario in absolutione à peccatis? Decis. 35. n. 6.
Curati Regulares an teneantur dare refectionem aliis Parochis in die Congregationis casuum conscientiæ? Decis. 38. num. 29.

D.

Debet Verbum importat necessitatem. Decis. 30. n. 7. & Dec. 34. n. 6.
Dæmonum trium nomina, claudens cor, claudens os, claudens crumenam. Decis. 23. n. 6. Idem in crimine pessimo nunquam succubi. Decis. 27. n. 22.
Deipara an habeat Pœnitentiam in habitu? Dec. 1. n. 6. An Pœnitentiæ Sacramentum susceperit? Dec. 50. n. 3. Ejus officii parvi quis Auctor? Decis. 9. num. 7. Ejus Rosarium, ac Litaniæ quantæ efficaciæ in satisfaciendo pro peccatis? Decis. 9. n. 9. & 10. Ejus Coronam recitantes, ac Angelicam trinam salutationem quot Indulgentias acquirant? ibid. n. 11. & 12.
Deus bis non judicat in idipsum. Dec. 7. n. 5.
Diabolus non potest propalare peccata confessata Sacerdotibus. Decis. 17. n. 20.
Diaboli per os obsessi manifestantis peccata adstantium exemplum. Dec. 18. n. 8.
Differentia inter necessitatem Baptismi, atque Confessionis. Dec. 18. n. 28.
Diluvio deperditi homines an omnes damnati? Decis. 7. n. 6.
S. Dionysius Areopagita reprehendit quendam rigidum Confessarium. Dec. 17. n. 3.
Disciplina odio habetur à diabolo. Decis. 6. num. 12.
Divites de eorum bonis superfluis quando teneantur facere eleemosynam; Dec. 10. n. 3.
Doctores expressè loquentes de judicio idoneitatis, & de Jurisdictione danda Confessario. Decis. 37. num. 8.
Dolor de peccatis Qualis, & Quantus esse debeat? Dec. 2. n. 1. Intensus remittit totam pœnam. Decis. 4. n. 6. Duplex est; animæ, & sensus. Decis. 13. num. 6. Quo tempore eliciendus? ibid. num. 8. De venialibus an necessarius in Confessione? ibid. num. 9. Debet esse cum detestatione peccatorum; & actualis, duobus casibus exceptis. ead. Decis. 13. num. 13. & 14. Eo deficiente confessio est invalida. Decis. 15. num. 17.
Drusilla uxor Præsidis Felicis, quis esset? & cujus Filia? Decis. 14. n. 6.
Dubitans an sua licentia expiraverit, Utrùm possit absolvere? Dec. 37. n. 31.

E.

EBrietas in Ecclesia quale peccatum sit? Decis. 28. num. 13.
Ecclesiæ curatæ Regularium sunt subjectæ Episcopo. Decis. 47. n. 6.

Ecclesiastici an teneantur de præcepto facere eleemosynam de fructibus beneficiorum? Decis. 10. à num. 5. & seqq. usque in finem, ubi medullitùs disputatur hæc Quæstio.
Eleemosyna est opus. satisfactorium. Decis. 4. n. 7. Quid, & Quotuplex sit? Decis. 10. num. 1. Quando sit de Præceptotam in laicis? quàm in Ecclesiasticis, ibid. n. 2. & seqq. Exempla virtutis eleemosynæ, ibid. n. 24. & 25. Facta pro aliqua obligatione an deserviat pro imposita à Confessario? Decis. 34. num. 11.
Elisabethæ Reginæ Lusitaniæ dictum circa Medicos, Advocatos, ac Theologos. Decis. 36. in fine.
Episcopi debent esse Doctores, & coram Papa examinati. Decis. 19. n. 18. Recipiunt à Papa Clavem Jurisdictionis cum duabus conditionibus; & quæ sint, ibid. num. 16. Approbant omnes Confessarios in sua Diœcesi. Decis. 37. n. 20. Cur ipsi non audiant confessiones Sacramentales? Decis. 39. n. 3. Cui confiteri possint? ibid. num. 6. An absolvant ab omnibus casibus occultis? Decis. 41. num. 14. Utrùm etiam à casibus Bullæ Cœnæ Domini; & aliis Papalibus? Decis. 45. num. 5. & seqq. Sunt Parochi Parochorum, Decis. 47. n. 2.
Etymologia Pœnitentiæ multiplex. Decis. 1. in princ.
Eucharistia an danda indigno cognito in confessione? Decis. 49. num. 16.
Examen conscientiæ quid sit? Decis. 21. n. 1. Ejus necessitas, & effectus. ibid. num. 2. & 7. Ejus omissio invalidat confessionem. ibid. num. 15.
Examen Confessariorum quando faciendum? Decis. 37. & Decis. 38.
Excommunicatio Pœnitentis quando reddat nullam ejus Confessionem? Decis. 31. n. 9.
Excommunicati recipiunt validè omnia Sacramenta; non autem Pœnitentiam, & cur? Decis. num. 10.
Excommunicatus Sacerdos denunciatus an possit absolvere moribundum? Decis. 45. num. 2.
Executor litterarum Sacræ Pœnitentiariæ quæ, & quot debeat observare? Decis. 48. num. 16.
Exempla animarum Purgatorii petentium suffragia. Decis. 3. num. 13. Fructuosæ sufferentiæ in afflictionibus. Decis. 7. n. 7. Beneficiatorum damnatorum. Decis. 10. num. 21. Virtutis eleemosynæ in delendis pœnis. ibid. num. 24. & 25. Suggestionis diabolicæ in articulo mortis. Decis. 11. num. 8. Confessionum publicè factarum. Decis. 16. num. 14. & 25. Coram Laico. Decis. 18. num. 6. 7. & 30.
Exemplum indiscreti Confessarii cum quodam bajulo. Decis. 30. num. 4. Summè contritorum. ibid. num. 5. Pœnitentis, qui elegerat stare tres dies in Purgatorio. Decis. 30. num. 11. Confessariorum punitorum ob revelatas confessiones. Decis. 49. num. 19. Martyrizatorum pto servando Sigillo, ibid. num. 2. & 3.
Exomologesis idem est, ac Confessio Sacramentalis. Decis. 17. num. 5.

F.

FAma propria jure naturali tuenda. Decis. 16. num. 4. Non læditur per Sacramentalem confessionem. ibid. num. 18. Ablata à detractore est restituenda. Decis. 27. num. 28. Difficultas restitutionis prædictæ. ibid. num. 29.
Farræ Ecclesia Curata de mensa Capituli Paduani. Litigium super approbatione illius Curati cum Curia Episcopali. Decis. 37. num. 24.
Festivo die peccare quænam circumstantia sit? Decis. 28. num. 16.
Fidelitas in confessione quid sit? Decis. 29. num. 1.
Flagellatio Redemptoris crudelissima ob quinque causas. Decis. 6. num. 7. 8. 9.
Flagellorum usus, & numerus apud antiquos Judæos. d. Decis. 6. num. 1. Apud Romanos num. 3. & 6. Sanctorum in primitiva Ecclesia, ac Monachorum. ibid. num. 10. & 11.
Flagellantium hæreticorum secta Anni 1313. quænam fuerit? Decis. 6. num. 16.
Fœminæ ingredientes claustra Regularium sunt excommunicatæ. Decis. 28. num. 5.
Forma Sacramenti Pœnitentiæ quænam sit? Decis. 15. num. 35. & Decis. 35. num. 1. & 2. Ejus vis, & effectus. ibid. num. 7. An sint de ejus essentia illa Verba *In nomine Patris &c.* ibid. num 3.
Forma absolvendi peccata publica. Decis. 16. num. 9.
Fornicationis circumstantiæ. Decis. 27. num. 11.
Forum Ecclesiæ duplex. Decis. 16. num. 6. ideſt Sacramentale, & contentiosum. In primo absolvit à peccatis occultis: in secundo à censuris, non autem à peccatis. ibid. num. 20.
Franciſci Suarezii curiosus successus circa Parochum, & Capellanum ignorantes formam Sacramenti Pœnitentiæ. Decis. 31. num. 17.
S. Franciscus Xaverius pœnitentiam exsolvit pro suo pœnitente. Decis. 34. num. 19.

G.

GEntiles cur dicerent, virilia Sacerdotum adorari à Christianis? Decis. 17. num. 6.
Gloria, laus, & honor, &c. ut in die Palmarum, quis Auctor fuerit? Decis. 17. num. 17.
Glossæ errantes circa confessionem Sacramentalem. Decis. 18. num. 26. Earum auctoritas in Decretalibus. Decis. 38. num. 11. est præferenda aliis Doctoribus. Decis. 39. num. 10.
Gradus publicè pœnitentium olim quinque. Decis. 18. num. 32.
Gratianus, Magister Sententiarum, & Petrus Comestor an fuerint uterini, & adulterini? Decis. 13. num. 11.

H.

HÆresis mentalis, seu occulta an sit reservata? Decis. 44. num. 10.
Hæretici omnes odio habent Pœnitentiam. Decis. 1. n. 2. Se flagellantes An. 1313. Decis. 6. n. 16.

Qui impugnaverint Sacramentum Pœnitentiæ? Decis. 12. n. 1. Negant infallibilitatem in Papa. Decis. 19. n. 21. ubi explodunturs eorum assertiones.
Henrici Garneti Jesuitæ mors in Anglia. Decis. 49. num. 2.
Hermaphroditi qui sint? Quot eorum species? Quomodo cognoscantur? An profiteri possint? Ordines suscipere? Matrimonium inire? Succedere in feudis, aut fideicommissis? Decis. 43. per totam.
Hermaphrodita Monialis an sit retinenda in Monasterio? d. Decis. 43. ubi de modo procedendi super ejus expulsione num. 16. & 18.
Hieronymus de Bertis Officialis S. Pœnitentiariæ laudatus. Decis. 48. n. 8.
Historicæ narrationes in confessione Sacramentali evitandæ. Decis. 15. num. 19.
Homicidii, ac odii circumstantiæ in Confessione explicandæ. Decis. 27. n. 8.
Hospites in Monasteriis an confiteri possint Confessariis Religiosorum? Decis. Confessariis Religiosorum? Decis. 39. num. 23.
D. Jacobi epistola *cap.* 5. *Vers.* 16. declarata. Decis. 18. num. 16.

I.

IActantia de peccato commisso specialiter confitenda. Decis. 27. n. 10.
B. Ida eleemosynis liberat Patruum suum à Purgatorio. Decis. 10. num. 25.
Idoneitatis judicium in approbando Confessario, in quibus consistat? Et quæ requirat? Decis. 37. n. 4. & Decis. 39. n. 11.
Jejunium opus satisfactorium. Decis. 4. n. 7. Ejus valor, & fructus. n. 8. Primitivorum Christianorum quàm rigorosum. n. 11. & 15. ubi exempla. An in pane, & aqua possit imponi à Confessario; ibid. num. 18.
Jesuitissæ quænam fuerint? Et cur suppressæ? Decis. 40. num. 4.
Jesuitarum privilegium pro exequendis Litteris Sacræ Pœnitentiariæ. Decis. 48. num. 15.
Ignorantia affectata circa Dei præcepta est in confessione explicanda. Decis. 28. num. 12.
Ignorantibus deneganda est facultas audiendi confessiones. Decis. 37. n. 18.
Incestus in primo gradu specificè manifestandus in confessione. Et cur? Decis. 25. num. 11.
Indulgentia an prosit respuentibus voluntarias Pœnitentias? Decis. 3. n. 11. Ut plurimùm infructuosa. Et cur? Ibid. n. 12. Plenaria concessa omnibus Regularibus in articulo mortis. n. 14. Quot annorum recitantibus *Angelus Domini, &c.* Litanias, Coronam Deiparæ, ac Redemptoris? Decis. 9. num. 10. & seqq. An possit applicari defunctis? ibid. num. 8.
Indulgentiæ etymologia, ac definitio. Decis. 20. n. 1. & 2. Potestas concedendi Indulgentias data est à Christo, & earum usus antiquissimus. ibid. n. 5. & 7. Earum hostes qui fuerint? n. 6. conceduntur à Papa plenariæ; limitatæ à Cardinalibus, Legatis, & Episcopis, à num. 12. & seqq. usque ad n. 18. ubi novem observationes circa dandas ab Episcopis. An Abbates, & Prælati Regulares eas concedant? n. 19. Publicatio earum à quibus facienda? ibid. num. 21.
Indulgentia se submittentibus virgæ Pœnitentiali Summi Pœnitentiarii Papæ. Decis. 48. n. 12.
Inferior non resistit Superiori bene agenti. Decis. 43. num. 3.
Infidelitatis peccatum est exprimendum in confessione cum subjecto, ac objecto; idest cum secta, & erroribus, quibus consensit. Decis. 27. num. 2.
Infirmi magis dolent de infirmitate, quàm de peccatis. Decis. 15. num. 18.
Innocentii XII. Bulla reformativa Tribunalis Sacræ Pœnitentiariæ. Decis. 48. num. 10. & seqq.
Institutio in beneficiis alia authorizabilis; alia collatoria tituli. Decis. 37. num. 10.
Integritas Confessionis quid, & quotuplex sit? Decis. 23. n. 1. & seqq. Ejus necessitas. num. 4. In quibus casibus possit omitti? à num. 7. & seqq. usque in finem. Ea omissa absque causa confessio est tota repetenda. Decis. 31. num. 3.
Intentio in agente quid, & quotuplex sit? Decis. 8. num. 1. & 2. An virtualis in patiente sufficiat ad satisfaciendum? ibid. num. 3.
Interpretem an quis cogatur adhibere in Confessione? Decis. 15. num. 23. Tenetur ad Sigillum. Decis. 49. num. 6.
B. Joannes Canonicus Pragensis Martyr, ne violaret Sigillum Confessionis. Decis. 49. num. 3.
S. Joannes Chrysostomus andiebat confessiones Sacramentales. Decis. 17. num. 11.
Joannes Wicleff damnatus ut hæreticus an. 438. Decis. 17. num. 25.
S. Irenæus testatur usum Confessionis Sacramentalis in secundo Sæculo. Decis. 17. num. 4.
Irregularitates à quibus Confessarii dispensari possint? Decis. 46. num. 20.
Itinerantes Religiosi cui possint confiteri? Decis. 39. num. 17.
Jubilæi tempore quem Confessarium Religiosi eligere valeant? Decis. 39. num. 7. An omnes Confessarii absolvant à reservatis? Decis. 45. n. 10. Eo transacto an ab oblitis, aut malè confessis? ibid. num. 11.
Judas, quem pœnituit, qui confessus est suum peccatum, & restituit denarios, cur damnatus? Decis. 13. num. 19.
Judex in foro externo, uti non potest charta, in qua quis scripsit sua peccata pro Sacramentali confessione. Decis. 21. num. 20.
Judicia tria Dei severissima; & quæ? Decis. 21. num. 14.
Jurisdictio necessaria in Confessario Decis. 37. n. 7. Quis eam det Confessariis Regularibus? Decis. 38. num. 10. & 12. An validè detur sine examine, ac sine approbatione? Decis. 39. num. 12.

L.

LAico an confitendum deficiente Sacerdote. Decis. 15. n. 22. & Decis. 18. à n. 1. & seqq. ubi rationes, & jura pro affirmativa, ac pro negativa, quæ firmatur. num. 9. & seqq. Si tamen audiat, tenetur ad Sigillum. ibid. num. 15. Si absolvere præsumat, puniendus est à S. Inquisitionis officio. ibid. num. 12. & Decis. 31. num. 12. Absolutio ejus est invalida. d. Decis. 31. num. 13.
Leander Cardinalis Colloredus laudatus. Decis. 41. num. 17. & Decis. 48. num. 4.
Legati, seu Nuncii Apostolici quas Indulgentias impertiant? Decis. 20. num. 15.

Legens chartam Confessionis alterius peccat mortaliter. Decis. 21. num. 20.
Leoni Papæ III. oculi, & lingua miraculosè restituta. Decis. 22. num. 11. An ipse ex osculo sibi dato in manu à muliere passus sit tentationem? Decis. 27. num. 16.
Licentia data Regularibus pro audiendis confessionibus, an revocabilis? Decis. 38. num. 18. & seqq. Eligendi confessarium ad libitum an concedenda per suos Prælatos Religiosis? Decis. 39. num. 18. Loquendi de auditis in confessione, quomodo per Pœnitentem sit danda Confessario? Decis. 49. num. 12.
Linguâ abscissâ Catholici loquentes. Decis. 22. num. 10.
Lis inter Episcopum Paduanum cum Confessariis Regularibus, Anno 1653. quomodo decisa à S. Congregatione. Decis. 38. num. 19.
Litanias Nominis JESU, ac SS. Virginis recitantibus Indulgentiæ. Decis. 9. num. 10.
Litigium Capituli Paduani cum Curia Episcopali pro approbatione Curati Villæ *Farræ*. Decis. 37. num. 24.
Litterarum S. Pœnitentiariæ quis possit esse executor? Decis. 48. num. 13. & seqq.
Litteris ab absente fieri non potest Confessio Sacramentalis. Decis. 15. num. 26. exceptio quædam *ibi*. & Decis. 35. num 16.
Locus publicus addit peccato circumstantiam scandali necessariò exprimendam. Decis. 28. n. 9.
Loquela est propria hominis, non brutorum. Decis. 15. num. 8.
Lutheri error circa absolutionem à peccatis. Decis. 18. num. 11.
Luxuriæ species, & circumstantiæ omnes exponendæ in confessione quæ sint? Decis. 27. à num. 9. usque ad num. 22.

M.

MAgistrorum inter Regulares quatuor sunt ordines; & qui sint? Decis. 48. num. 14.
Malachiæ Regis Hyberniæ anima in Purgatorio. Decis. 4. num. 16.
Mares an possint converti in fœmina? Decis. 43. num. 7.
Marinus Advocatus Venetus laudatus. Decis. 37. num. 24.
Maritus an possit desistere à copula ante seminationem? Decis. 27. num. 18.
Materia Sacramenti Pœnitentiæ alia remota, alia proxima. Decis. 13. num. 1. & 2. Item alia necessaria, alia sufficiens; alia essentialis, alia integralis. ibid. num. 3.
Mauritius Imperator flagellatus à Deo in hac vita. Et cur? Decis. 6. num. 15.
Medicorum obligatio pro confessione infirmorum. Decis. 50. num. 13.
Memoriæ felicis, ac in felicis exempla variarum personarum. Decis. 21. num. 3. 4. & 5.
Mendacium quid sit? Quot ejus species? Decis. 29. num. 2. & 3. Semper est peccatum; ac à Deo indispensabile. num. 3. & 5. Exempla dicentium mendacia, & nolentium dicere, à n. 6. & seqq. Dictum in confessione an sit mortale, vel veniale? ibid. num. 11.
Meretrices, quæ recusarunt peccare in loco publico. Decis. 28. num. 10.
Minister Sacramenti Pœnitentiæ solus Sacerdos. Decis. 36. num. 1. Ejus requisita quinque. ibid. à num. 2. & seqq. Ejus obligatio in interrogando, ac monendo pœnitente, à num. 8. usque in finem.
Minus peccatum an suadendum, ut evitetur majus? Decis. 26. num. 16.
Missæ in die festivo omissæ, vel indevotè auditæ circumstantiæ exponendæ in confessione. Decis. 27. num. 6.
Missionarii pro visitatione Episcopali recipiendi. Decis. 47. num. 4.
Modus confitendi secretè an sit institutus à Christo? Decis. 16. num. 17.
Monachi, & Regulares mendicantes quando cœperint audire confessiones laicorum? Decis 38. num. 1.
Moniales S. Petri de Padua laudatæ Decis. 19. num. 8.
Monialium Confessarii egent speciali approbatione Episcopi sivè sæculares, sivè Regulares. Decis. 38. n. 31. Eorumdem officium, obligatio, ac facultas præcipuè circa casus reservatos. Decis. 41. per totam. Decis. 42. à num. 1. usque ad num. 6. & Decis. 43. à num. 15. & seqq.
Monitio ad Prælatos circa examen Confessariorum. Decis. 31. num. 18. In re gravi habet vim præcepti. Decis. 33. num. 4.
Moralis præsentia sufficit ad absolvendum pœnitentem. Decis. 35. num. 18.
Moralistæ corrigendi circa eorum dicta de approbatione confessariorum. Decis. 37. num. 21. & 26. Eorundem assertiones proscriptæ circa confessariorum approbationem, & facultatem. Decis. 38. num. 14.
Moribundus amissa loquela, seu destitutus sensibus quando possit absolvi? Decis. 32. num. 1. & seqq. Habens tantùm venialia an teneatur illa confiteri? Decis. 33. num. 1. & 22.
Mortis in articulo, aut periculo quilibet Sacerdos potest absolvere, etiam à reservatis. Decis. 45. num. 1.
Motiva pœnitendi in hac vita quæ, & quot? Decis. 1. num. 8.
Mulierem mortuam carnaliter cognoscens, quale peccatum committat? Decis. 26. n. 9.
Mulieres distent ab Altari, nec Missæ inserviant. Decis. 17. num. 15. Earum adunantiæ non permittendæ. Decis. 40. num. 5. Exempla illarum, quæ simulato sexu vixerunt inter Religiosos. Decis. 43. num. 20. & 21. Quæ conversæ sint in Viros ibid. num. 3.
Musicales claves quæ, & quot sint? Decis. 19. num. 11.
Mutorum diversitas Decis. 22. num. 1. & 2. Mutitatis causa num. 3. An muti possint contrahere Matrimonium, vel profiteri? num. 8. Eorum ingenium, per exempla plura declaratum à num. 9. & seqq. Quomodo iidem confiteantur peccata sua. à num. 13. usque in finem.
Myrrha symbolum Pœnitentiæ dupliciter. Decis. 7. num. 9.

N.

NAaman cur potuerit genuflectere in templo Idoli? Decis. 26. num. 17.
Necessitas pœnitendi, ac satisfaciendi cur sit in nobis, si Christus satisfecit copiosè pro omnibus? Decis. 2. num. 5.
Nobilitate Romanorum fruebantur olim Tarsenses, ac Paduani. Decis. 6. num. 4. & 5.

Notitia confessionis an Confessarius uti possit? Decis. 49. num. 11.
Novitii in Religione quibus confiteri possint? Decis. 39. à num. 19. & seqq.
Numeri arithmetici inventio, definitio, multiplicitas, ac excellentia pro computis, Decis. 24. à num. 2. & seqq.
Numerorum liber sacer cur sic dictus? Decis. 24. num. 3.
Numerus peccatorum in confessione quomodo, & qualiter sit explicandus? Decis. 24. à num. 11. & seqq.
Numerus Aureus quid sit, & quomodo reperiatur? ibid. num. 10.

O.

Obediens Confessio quænam sit? Decis. 30. num. 1. & 2. Consistit præcipuè in acceptanda, & adimplenda Pœnitentia. ibid. num. 6. & 12.
Objurgatio in Confessarium rigidum. Decis. 15. num. 12.
Obligatio Confessarii interrogandi Pœnitentem. Decis. 21. num. 9.
Oblita circumstantia peccati an sit postea confitenda? Decis. 26. num. 20.
Oblita peccata in confessione pro Jubilæo, si sint reservata, an eo transacto quilibet absolvat? Decis. 45. num. 11.
Occasio proxima peccandi deserenda. Decis. 13. num. 16. An detur excusatio pro non deserenda? ibid. Propositiones quatuor damnatæ circa occasionem proximam non deserendam. Decis. 31. num. 8. Quæ sit verè proxima, & quæ remota? ibid. num. 7.
Octavarum in Officio Divino quatuor differentiæ; & quæ? Decis. 24. num. 9.
Octavi Præcepti Decalogi explicatio circa peccata contra ipsum, & eorum circumstantias, Decis. 27. num. 27.
Odii, ac Homicidii circumstantiæ. Decis. 27. num. 8.
Officiales S. Pœnitentiariæ qui, & quot sint? Decis. 48. num. 7.
Officii Defunctorum, ac Deiparæ Auctores; nec non Indulgentiæ. Decis. 9. num. 5. 6. & 7.
Omissionum peccata difficilè reperiuntur. Et Cur? Decis. 21. num. 12. & 13.
Opinio damnata, quod Regulares possint absolvere à Reservatis in Bulla Cœnæ, & ab Episcopo. Decis. 46. num. 17. Item quod per Confessionem invalidam satisfiat Præcepto Ecclesiæ de annua Confessione. Decis. 50. num. 11. Item quod in Sacramentis possit eligi opinio minùs tuta. Decis. 25. num. 18. Et quod Pœnitens non teneatur respondere cum veritate Confessario eum interroganti circa circumstantias peccati. ibid. num. 21.
Opiniones contrariæ de confitendis circumstantiis aggravantibus ad concordiam redactæ. Decis. 25. num. 16.
Opinionem Pœnitentis an Confessarius sequi teneatur? Decis. 36. num. 11.
Oppositum idem operatur in oppositio, ac propositum in proposito. Decis. 33. num. 17.
Opera bona facta in vita causant deletionem culparum venialium post mortem. Decis. 33. num. 29.
Oracula vivæ vocis sunt omnia revocata. Decis. 38. num. 27.
Oratio est opus satisfactorium. Decis. 4. num. 7. Exempla ejus efficaciæ in satisfaciendo. Decis. 9. num. 1. Pissimè composita à S. Francisco Xaverio. Decis. 20. num. 17.
Ova, ac lacticinia an licita in Quadragesima? Decis. 4. num. 13.

P.

Papadopoli Abbas Lector in Gymnasio Patavino laudatus. Decis. 10. num. 9.
Papa an possit auferre Episcopis Jurisdictionem? Decis. 19. num. 27. Casus ei reservati qui sint? Decis. 45. num. 9. An & ipse teneatur confiteri semel in anno? Decis. 50. num. 8.
Parentum contumelia affectorum circumstantiæ explicandæ in confessione. Decis. 27. num. 7.
Parochus factus eo ipso est approbatus ad confessiones. Decis. 37. num. 11. Eas audit de consuetudine in tota Diœcesi. ibid. num. 12. An extra Diœcesim possit absolvere suum Parochianum? num. 13. Non potest assumere in confessarios coadjutores approbatos, quoad scientiam tantùm. num. 25. Dimissa Parochia non potest ampliùs audire confessiones. d. Decis. 37. num. 13.
Parochus an possit iterum examinari? Decis. 38. num. 21. An dare facultatem aliis Sacerdotibus audiendi confessiones Parochianorum ejus? Decis. 47. num. 5. An Regularis sit subditus Episcopo? d. Decis. 47. num. 7.
Paulus Segnerius Soc. Jesu Theologus S. Pœnitentiariæ ab Innocentio XII. deputatus. In ejus Vita proprè fin.
Paulus Valaresso Episcopus Concordien. laudatus. Decis. 40. num. 11.
Peccata non dicta inculpabiliter in confessione non faciunt eam nullam. Decis. 31. num. 5. Eorum occasiones aliæ proximæ, aliæ remotæ, ibid. num. 7. Antea confessa, ac dimissa quomodo iterùm dimittantur, si iterùm confiteantur? Decis. 35. num. 8. An hic dimissa, sint ab aliis videnda in die Judicii? Decis. 50. num. 14.
Peregrini habentes reservata quando possint absolvi. Decis. 45. num. 16.
S. Petrus Apostolus jugiter dolens de sua negatione Christi. Decis. 11. num. 7.
Petrus Marini Advocatus Venetus laudatus. Decis. 37. num. 26.
Petrus de Osma hæreticus damnatus anno 1478. Decis. 17. num. 24.
Pipini Ducis Neustriæ humilitas in confitendo Sacramentaliter sua peccata anno 631. Decis. 17. num. 14.
Pœna non remittitur, nisi culpa deleta. Decis. 33. num. 24. Revelantium Confessionem Sacramentalem Pœna quæ, & quanta sit? Decis. 49. num. 18.
Pœnitens recusans pœnitentiam an sit absolvendus? Decis. 30. num. 8. Nunquam manifestandus. Decis. 41. num. 15. An ipse teneatur ad Sigillum. Decis. 49. num. 9. Quomodo possit dare licentiam Confessario de suis peccatis manifestandis. ibid. num. 12.
Pœnitentia Virtus quænam sit? Quale ejus subjectum, & objectum? Quæ, & Quot ejus officia? Decis. 1. per totam.

Pœnitentia Sacramentalis an deleat totum reatum? Decis. 3. num. 6. Antiquitus quanta imponeretur? ibid. num. 8. Quibus temporibus sit de præcepto? Decis. 11. num. 1. & seqq. A quibus hæreticis impugnetur? Decis. 12. num. 1. Est instituta à Christo ibid. num. 2. Ejus definitio. num. 4. Ejus requisita necessaria quinque. ibid. num. 5. An possit esse valida, sed informis? Decis. 13. num. 10. Publica an sit à Confessario imponenda? Decis. 16. num. 24.

Pœnitentium publicè olim quot essent gradus? Decis. 18. num. 32. Quo sæculo cessavit eorum usus? ibid. num. 33.

Pœnitentiarii Majoris de Urbe Persona, Tribunal, Officiales, Potestas, &c. Dec. 48. per totam.

Populus parochiarum Regularium non est exemptus ab Episcopo. Decis. 47. num. 8.

Præceptum Sacramentalis confessionis quas personas, & quibus temporibus obliget? Quotuplex sit? Decis. 50. per totam.

Prælati Regulares non audiunt confessiones suorum Religiosorum nisi volentium. Decis. 39. num. 2. Cui ipsi Prælati confiteantur? ibid. num. 13. Absolvunt à reservatis suos subditos Decis. 45. num. 3. & Decis. 46. à num. 5. & seqq. Sed non à reservatis in Bulla Cœnæ Domini, neque ab aliis quinque Papalibus, neque à reservatis per Episcopos. d. Decis. 46. num. 10. & seqq. Non possunt punire subditos ex notitia Confessionum. Decis. 49. num. 13.

Prælatorum peccata omissionis plura circa officium suum. Decis. 10. num. 18.

Priscillianistæ hæretici docebant licitum mendacium. Decis. 29. num. 4.

Privilegia Regularium circa confessiones, quæ, & quot olim fuerint, & sint in præsenti? Decis. 38. à num. 2. & seqq. Jesuitarum circa apertionem Litterarum S. Pœnitentiariæ. Decis. 48. num. 15.

Privilegio, ac beneficio suo quilibet potest renunciare. Decis. 16. num. 12.

Probabilitatis tractatus omnes confusi. Decis. 36. num. 12.

Processus super fractura Sigilli confessionis quomodo formandus? Decis. 49. num. 17.

Propositum emendationis quid, & quotuplex sit? Decis. 2. num. 4. Necessarium est in pœnitente cum tribus conditionibus. Et quæ sint? Decis. 13. num. 15. An debeat esse explicitum? ibid. num. 17. In contritione debet esse confitendi. num. 18. Eo deficiente confessio est invalida. Decis. 31. num. 6. An sit necessarium in confessione Venialium? Decis. 13. num. 9. Consideratur vel in voluntate, vel in intellectu. Ibid. num. 10.

Psalmorum Gradualium, ac Pœnitentialium vis magna satisfaciendi pro peccatis. Dec. 9. n. 2. 3. & 4. Circa eosdem eruditiones plurimæ. ibid.

Purgatorii pœnæ quam acerbæ. Decis. 3. n. 9. & 10. An expediat, illas eligere? ibid. Animæ in eis existentes petentes Suffragia. ibid. n. 13. & Decis. 30. n. 10. & 11. Cur sit constitutum à Divina Justitia. d. Decis. 30. n. 3. Iisdem an possit applicari satisfactio Sacramentalis? Decis. 34. num. 14.

Q.

Quis? Quid? Quibus auxiliis? circumstantiæ declaratæ. Decis. 26. & Decis. 27. ubi plenè de eis.

R.

Recidivorum periculum. Decis. 28. num. 15.

Reconciliatio Pœnitentium, de qua in Pontificali Episcoporum, non est absolutio Sacramentalis à peccatis. Decis. 16. n. 23. Eorundem publica quomodo, & à quibus fieret? Decis. 18. n. 21.

Regulares quomodo examinentur, & approbentur ad confessiones? Decis. 38. n. 7. & seqq. An teneantur interesse Congregationi Casuum conscientiæ? Decis. 38. num. 28. Curati an dent refectionem aliis Parochis? ibid. n. 29. Approbati pro Sæcularibus. Decis. 38. n. 31. An possint absolvere à reservatis, à votis, ab irregularitatibus. Decis. 46. n. 18. 19. & 20. Quibus ipsi confiteantur? Decis. 39. à n. 4. & seqq. An ipsi à reservatis possint absolvi? Decis. 46. n. 11. 14. & seqq. Tenentur recipere Missionarios pro Visitatione Episcopali Ecclesiarum suarum Parochialium. Decis. 47. num. 9.

Religiosi omnes habent Indulgentiam plenariam in articulo mortis. Decis. 3. n. 14. An invitis eorum Superioribus, si sint approbati ab Episcopo, validè absolvant Laicos pœnitentes licentiam eligendi sibi confessarium ad libitum, possint eligere simplicem Sacerdotem à nemine approbatum? Decis. 39. à num. 4. & seqq. Celebrantes extra Monasterium, ac Itinerantes an confiteri possint peccata sua Sacerdotibus sæcularibus? ibid. à n. 14. Eorum Novitii, Famuli, Hospites, ac Tertiarii quibus confiteantur? ibid. à n. 16. usque in finem.

Remissio culparum an certò sciri possit in hac vita? Decis. 3. n. 7.

Reorum septem genera non gaudentium immunitate loci Sacri. Decis. 28. num. 7.

Repetitio Confessionis quando facienda? Decis. 31. n. 19. Non completa unica vice valet, ibid. num. 20.

Repugnantia sensus in patiendo non admit meritum promptæ voluntatis. Decis. 7. num. 8.

Reservatio Casuum necessaria. Decis. 15. n. 36. In articulo mortis nulla. ibid. n. 37. Reservata non absolvuntur nisi etiam non reservata absolvantur, & è contra. Decis. 23. à n. 15. & seqq. Quid ea sit? Et quis possit reservare sibi casus? Et quos casus? Decis. 44. per totam. Quis possit à reservatis absolvere? Decis. 45. ubi plenè.

Restitutio facienda rei alienæ ablatæ? & damnorum illatorum. Decis. 27. n. 24. & 25. Exemplum restitutionis B. Corradi. ibid. num. 26.

Restituere an teneatur ipse Confessarius, qui non monuit pœnitentem obligatum ad restitutionem? Decis. 36. num. 10.

Revelare peccatum quando possit Confessarius de licentia pœnitentis. Decis. 16. num. 13. & Decis. 49. per totam.

Rosarium Deiparæ satisfactorium pro peccatis. Decis. 9. num. 9.

S.

Sacerdotes habent Claves fori interni, sed cum duobus requisitis, & quæ? Decis. 19. num. 31. Cur prohibiti celebrare, validè consecrent; at prohibiti absolvere invalidè absolvant? ibid. n. 32. Non approbati non possunt absolvere à Venialibus, neque ab aliàs confessis. ibid. n. 33.

Sacramentalia remittunt venialia quo ad culpam. Decis. 33. n. 12. &. 15.

Sacrilegam post confessionem aliæ bona fide factæ an sint repetendæ? Decis. 31. num. 4.
Sacrilegii ob luxuriam circumstantiæ explicandæ. Decis. 27. num. 14.
Sæculares Presbyteri an possint esse confessarii Regularium? Decis. 39. num. 22.
Sanguinis humani violenta effusio in loco Sacro est Sacrilegium. Decis. 28. num. 6.
Satisfacere an possit pro suis peccatis, qui non est in gratia? Decis. 8. à num. 4. & seqq. ubi plenè.
Satisfactio quid, & quotuplex sit; & per quæ opera fieri possit à pœnitente? Decis. 4. à n. 1. & seqq. & Decis. 34. à num. 2. & seqq. In quibus operibus sit injungenda à Confessario? Ibid. num. 3. Ante, vel post absolutionem? num. 4. In quibus casibus Confessarius possit eam omittere? num. 7. An imponenda in operibus de Præcepto? num. 10. Quanto tempore possit differri. d. Decis. 34. num. 20. ubi plura alia quæsita necessaria, & curiosa circa Sacramentalem satisfactionem.
Satispassio in Purgatorio delet Venialia quo ad culpam, & quo ad pœnam. Decis. 33. n. 21.
Scandalum quid, & quotuplex sit; Decis. 26. num. 10. & 11. Quando sit mortale, & quando veniale? num. 12. Nunquam licitum. n. 13. Passivum quando evitandum, vel permittendum? Regulæ quatuor. num. 18. Ejus circumstantiæ in Confessione exponendæ. n. 19. Ob ejus periculum an liceat absolvere à reservatis? Decis. 45. num. 12.
Scribere sua peccata an quis teneatur? Decis. 21. num. 19.
Secretum in pœnitente an de essentia confessionis. Decis. 16. num. 1.
Seminans in orificio vasis muliebris an peccet? Decis. 27. n. 19. Ante seminationem an liceat marito desistere à copula? ibid. num. 18.
Sensus interni in homine quot sint? Decis. 21. num. 6.
Sententiæ plures super eodem delicto possunt pronunciari. Decis. 35. num. 6.
Seta introducit filum, & timor charitatem. Decis. 14. num. 10.
Sexus masculinus, ac fœmininus an dari possit in eodem corpore. Decis. 43. num. 14.
Sigillum confessionis omninò indispensabile. Decis. 15. num. 91. Est de Jure divino. Decis. 16. num. 5. Quid propriè sit? Ejus obligatio? Et quot modis frangatur? Decis. 49. per totam. Pœnitens an sit obligatus ad illud servandum? Decis. 16. num. 19.
Simplicitas adolescentulæ confitentis enormia peccata, quia repererat ea impressa in officiolo. Decis. 29. num. 12.
Status merendi, vel demerendi non est in alia vita. Decis. 33. num. 19.
Superiores monendi à Confessariis de eorum defectibus. Decis. 36. num. 9. ubi Exempla.
Superstitionis circumstantiæ in confessione explicandæ quænam sint? Decis. 27. num. 4.
Symptoma, & Syncopis quid, & quotuplex sit? Decis. 32. num. 2. & 3.

T.

S. Teresiæ dictum de Confessariis ignorantibus. Decis. 37. num. 5.
Tertiariarum mulierum materia plenè explicata. Decis. 40. per totam.
Tertiarii quibus confiteantur? Decis. 39. n. 24.
Testes viriles cur sic appellati? Decis. 43. n. 11.
Testis inimici depositio ad favorem sui Adversarii est magnæ probationis. Decis. 1. num. 8.
Theodorus Beza hæreticus convictus, non conversus. Decis. 1. num. 3.
Thesaurus Ecclesiæ pro Indulgentiis undè conflatus. Decis. 5. num. 6.
S. Thomas circa circumstantias aggravantes declaratus. Decis. 25. n. 15. Ejus dictum in odium mendacii. Decis. 29. num. 9.

V.

Vbi; ideſt circumstantia loci, in quo peccatur, explicanda. Decis. 28.
Vendere res in Ecclesia est sacrilegium. Decis. 28. num. 8.
Venialia cur rarò dimittantur in hac vita? Decis. 3. num. 15. Non absolvuntur à Sacerdotibus non approbatis. Decis. 15. num. 30. & Decis. 44. num. 8. Commissa in confessione an irritent illam? Decis. 31. num. 2. an de præcepto sint confitenda? Decis. 33. n. 2. & 3. Quot modis deleantur tam in Sacramento quàm extra? tam in hac, quàm in alia vita? d. Decis. 33. à num. 5. & seqq. An confitenda in articulo mortis? ibid. num. 22. & 23. Utrùm possint reservari? Decis. 44. num. 7. & 8. Et præcipi eorum confessio? Decis. 50. num. 7.
Verba *Quidquid boni feceris, &c.* in absolutione quid operentur? Decis. 34. num. 18. Quæ sint de essentia formæ Sacramentalis in absolutione? Decis. 35. à num. 1. & seqq.
Vicarius Capitularis an reexaminet Confessarios Regulares? Decis. 38. num. 24.
Vigiliæ Sanctorum, ac Stationes undè dictæ. Decis. 4. num. 14.
Vota sæcularium an dispensentur à Confessariis Regularibus? Decis. 46. num. 19. Circumstantiæ Votorum, ac Juramentorum explicandæ. Decis. 27. num. 5.
Wenceslai Imperatoris crudelitas. Decis. 49. num. 4.

X.

Xerophagia, quibus Christiani vescebantur in die jejunii, quid essent? Decis. 4. num. 12.

FINIS.


CLERICATI
Th
914 a